6
39-e
58

B = 192

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
7 M C
2

6-39.e.58

Digitized by Google

COMMERCII
EPISTOLICI
LEIBNITIANI,

AD OMNE GENVS ERVDITIONIS
COMPARATI,
PER PARTES PVBLICANDI,

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

TOMI PRODROMI
PARS ALTERA,

QVAE ITIDEM BOINEBVRGICA EST.
ACCEDIT APPENDIX CONRINGIANA;
ET
INDEX IN VTRAMQVE PARTEM.

RECENSVIT
IO. DANIEL GRVBER.

HANOVERAE ET GOTTINGAE,
APVD IO. WILHELM. SCHMIDIVM.
cIↄ Iↄ CCXLV.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Libero fidem datam, CANDIDE LECTOR, et Prodromi mei alteram partem ea, qua fieri potuit, accuratione contextam, in nundinas mitto. Poſt argumenta ſingulis epiſtolis præmiſſa, poſt notulas huic quoque volumini paſſim adſperſas, et poſt adiectum vtrique parti qualemcumque et rerum et nominum indicem, omni quidem hac verborum in limine faciundorum opera ſuperſedere poteram. Quandoquidem vero receptus mos ſequendus, et aliquid præfandum eſt; non in laudibus mercis, quam extrudo, multus ero, ne forte lactis gallinacei hauſtum promittere videar. Nimius tamen non ero, ſi ex lectione huius voluminis, ob maiorem cum ſcribentium numerum, tum rerum varietatem, non nihil bonæ frugis, at honeſtiſſimæ voluptatis plurimum, ſperare TE iuſſero.

Licet enim in principio congerrones noſtri per aliquod tempus verſentur in ſolitis ſuis de re publica, ſacra et literaria colloquiis; nouam tamen

)(2 ſce-

ſcenam mox aperit Magni BOINEBVRGII inopinata quidem, ſed a CONRINGIO præuiſa calamitas: e qua feliciter eluctatus, honores omnes tanto ſupercilio contemſit, vt ex illo tempore ad capeſſendum priſtinum, vel aliud in republica munus permoueri nulla vi potuerit. Niſi tum aliquam reipublicæ partem denuo attigiſſe putes, cum ex otio ſuo excitari ſe paſſus eſt ad ſuſcipiendam, inuito quidem et diſſuadente CONRINGIO, pro Duce Neoburgico legationem Polonicam: cuius illuſtrandæ cauſſa intercalaui quædam ad IO. CASIMIRI iuueniles annos pertinentia, eaque ex idoneis fontibus, quos indicaui, hauſta.

Huius legationis ſucceſſus cum enixam officii faciundi voluntatem deſtituiſſet; BOINEBVRGIVS, in priſtinum otium reſolutus, ædificando ſe, legendo et ſcribendo vſque ad vitæ finem oblectauit, qui improuiſum oppreſſit, poſtquam per integrum fere quinquennium iuuenem LEIBNITIVM familiarem habuiſſet: cuius in poſtremis ſuis epiſtolis initia, dotes et in emendandam iuris prudentiam impenſos labores, argute deſcribit. Hiſce in-

intexui itinerarias nonnullas ad BOINEBVRGIVM datas, quas manu ſua deſcriptas ſibi aſſeruauerat LEIBNITIVS, vt pateat, in quæ ſtudia eius tum propenderit animus.

Quemadmodum autem ex tanta literarum, quæ inter BOINEBVRGIVM et CONRINGIVM per integrum vicennium commearunt, copia Duumuirum iſtorum intima patent; ita ad penitus cognoſcendum CONRINGIVM apprime faciet appendix adiecta: vbi iucundum, ni fallor, lectu, qua ratione plagii a ſe crimen remouerit; quid egerit cum SAMVELE PVFENDORFIO; quid cum genero IO. SAVBERTO; quid denique cum Legato Cæſario, eiuſque comitibus.

In conſiliis pro Rege Galliarum boni ciuis officium neglexiſſe iure forte dixeris CONRINGIVM. Sed habet id vitium aliquid excuſationis, non illius quidem iuſtæ, ſed pro iſto tempore et loco probabilis tamen. Nam et Cæſaris orbitas, et Principum Cæſario faſtigio parium paucitas fecit, vt et optimi quique animum deſponderent, cum ceteros ſtudiis ſuis inclinare viderent in Galliam. Simulatque autem

DEVS LEOPOLDO maſculam prolem largitus eſſet; ſuffecto mature patri filio, Gallorum ſpes feliciter diſiectæ ſunt.

Supereſt, vt paucis dicam, quo loco ſit ipſum, quod molimur, et cui Boineburgica iſta præmittenda duximus, Leibnitianum opus epiſtolicum. Atque hic quidem certum TE eſſe iubeo, in promptu eſſe ſequentia: non quod omnium ſint exquiſitiſſima, ſed quia ſunt antiquiſſima: quandoquidem temporis ordinem ſequi conſtitutum eſt, vt hoc modo, quæ parum ad eruditionem facere poſſe videntur, ad vitam tamen et fata LEIBNITII cognoſcenda adhiberi queant.

Proximo igitur volumine comprehendere animus eſt epiſtolas miſcellas, a variis viris ad LEIBNITIVM miſſas, cum Mogumtiæ et Pariſiis degeret ab an. 1668. ad annum 1676. quo Spartam Hanoueranam ſuſcepit. In his principes ſunt IO. LINCKERI, IO. HABBEI, THEOPHILI SPIZELII, FRANCISCI de LANA, Abbatis GRAVELLI, LVDOVICI FERRANDI, PETRI CARCAVII, IO. CHRISTIANI BOINEBVRGII, IO. HENRICI BOECLERI, fratris conſanguinei, IO. FRIDERICI LEIBNITII, et affinium Lipſienſium.

Has excipient, eodem temporis ordine obſer-

uato,

nato, ſequentium virorum celeberrimorum epiſtolæ, ſuis pleræque reſponſionibus ſtipatæ: veluti

HENRICI OLDENBVRGI, Societatis Scientiarum Londinenſis Secretarii, ab anno 1670. ad annum 1677.

ADAMI ADAMANDI KOCHANSKY, e S. I. Poloniarum Regis Mathematici, ab anno 1670-1698. Hic cœptam Moguntiæ, vbi iuuenis in Academia bonis literis operam dederat, cum LEIBNITIO amicitiam per reliquum vitæ frequentibus literis coluit.

PHILIPPI IACOBI SPENERI, et filiorum, ab anno 1670-1716.

HERMANNI CONRINGII, ab anno 1670-1678. quo CONRINGIVS, Leibnitianorum philoſophematum pertæſus, hoc commercium abrupit.

OTTONIS GERIKE, Conſulis Magdeburgici, ab anno 1671-1672. ex quibus diſcemus, hunc inter primos fuiſſe, qui in Germania ſpectacula *electrica* obſeruarunt, quæ hodie cultiorem orbem in admirationem rapiunt.

IO. GEORGII GRÆVII, ab anno 1671-1702.

EZECHIELIS SPANHEMII, ab anno 1672-1710.

PETRI DANIELIS HVETII, ab anno 1673-1692.

FERDINANDI FVRSTENBERGII, ab anno 1676-1680.

VIN-

VINCENTII PLACCII, ab anno 1676-1698.

IACOBI BENIGNI BOSSVETI, ex anno 1679.

IO. SIGISMVNDI ELSHOLZII, Archiatri Brandenburgici, et ANDREÆ MVLLERI GREIFFENHAGII, de literatura Sinica, ab anno 1678-1679.

ERNESTI, Haſſiæ Landgrauii, de grauiſſimis rebus ſcriptæ, ab anno 1680-1693. quo obiit.

VITI LVDOVICI de SECKENDORF, ab anno 1682-1692.

IOBI LVDOLPHI, ab anno 1688-1702.

HENRICI IVSTELLI, ab anno 1677-1693.

THOMÆ SMITHI, ab anno 1693-1710.

FRANCISCI MERCVRII HELMONTII, ab an. 1694-1699.

CAROLI MAVRITII VOTA, S. I. duorum Poloniæ Regum a ſacris, ab anno 1698-1709.

IO. WALLISII reliquæ, ſcriptæ anno 1699. et 1700. poſt editum tertium operum Wallifiano- rum tomum, cui præcedentium annorum epiſtolæ mutuæ omnes inſertæ ſunt.

Hæc, inquam, omnia iam tum ad prœlum parata ſunt. Quia tamen ad ea in lucem producenda aliorum opus eſt opera, quam non ita in poteſtate habemus ac noſtram diligentiam; temerarius ſim, ſi fidem meam, quæ fallere poſſet, ad certum diem obſtringam. Vale! Scripſi Hanoueræ a. d. XXV. Sept. cIↄ Iↄ CC XLV.

ANECDOTORVM BOINEBVRGICORVM
PARS ALTERA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CCXLVII.

Boineburgius Conringio memorabilem *Salmaſii* epiſtolam mittit cum epicriſi *Hottingeri.*

Moguntiæ die S. Thomæ Aquinatis * *1662.*

Scio, placitura, quæ mitto; ideo feſtinantur. *Salmaſii de Grotio* ac *Voſſio* epiſtola ** tandem hoc ſane momento rediit, vna cum epiſtola *Hottingeri.* Eam adiungo, quo habeas vberiorem anſam defendendi optimum *Grotium.* Hottingerianam ſi quando iuxta cum *Grotii* *** remiſeris, rem mihi facies gratiſſimam. Miror, quare tam ſera mihi reddita ſit. Neſcio, vbinam ob-

* Eſt ſeptima menſis Martii.

** Hanc quia neque in *Salmaſianis*, neque in *Sarrauianis* editis reperimus, ſubiungere iuuat, vnacum *Hottingeri* cenſura.

*** Immo vero *cum Salmaſii de Grotio* ſcribendum fuerat, ſi id dicere voluit, quod in mente habuit, aut certe in mente tum habere debebat.

obhæſerit. Quæſo, Grotiana tua matura tandem. Lampadiana Comitiorum propinquatio appropera-bit, vel remorabitur. De libro ciuilis prudentiæ obnitentem monere, quid attinet? Vale!

CCXLVIII.

Claudii Salmaſii ad *Claudium Sarrauium* Epiſtola, qua diſquiritur, *Grotiuſ*ne maior in literis, an *Voſſius* *.

Lugdu-

---

* Prouocauerat hanc epiſtolam *Sarrauius* laudibus *Grotii*, quæ *Salmaſio* videbantur immodicæ, veluti *epiſt.* 113. *Hic coloſſus iacens et proſtratus ſemper tamen* magnus *erit: hæc ſtatua ſine ſua baſi* (Legationis honore) *ſemper excelſa erit et ſublimis.* Et *ep.* 115. *Eminentiſſimus quondam* Richelius, *ingeniorum acerrimus æſtimator*, tres *tantum ſeculi ſui ſumma eruditione inſignes viros magni faciebat, te* (Salmaſium) Grotium *et* Bignonum: *ceteros in ordinem cogebat veluti plebem ſine nomine.* Et *ep.*138. nuntius mortis: *Fuit ergo proh dolor! vir re et nomine* magnus, *clarumque ſeculi noſtri ſidus*, HugoGrotius. *Magnum certe erit*Grotii *nomen, quamdiu honos erit literis et ſcientiis. Solus ille de principatu literario tecum contendere poſſe videbatur. Solus ergo iam regnas.* Denique *ep.* 140. *Vtri veſtrum, te* Grotium*que intelli-*

go,

Lugduni Batauorum d. 20. Nov. 1645.

Princeps tibi eſt *Grotius*; mihi *Voſſius*. Vter noſtrum verius iudicet, non ego ad poſteros eundum exiſtimo, ſed conſulendos huius ætatis ſummos viros, qui in Italia, Germania et in his locis, imo etiam in Gallia noſtra, viuunt. Nec enim omnes idem ſentire crediderim, quod vnum alterumue aut tertium, vt *Sarrauium*, *Bignonium* aliumque aliquem, quem ignoro. De principatu agitur *literarum*, quæ ſic proprie vocantur, nempe *humaniorum*, in quibus Grammatica ars regnat. Vt ex vngue leo dignoſcitur, ita vir literatus ex ſcriptis. Ex his ergo arbitrandum, cui debeatur principatus iuſtius, *Voſſione* an *Grotio*. Sed priuſquam hæc expendamus, per ſingulas eamus ſcientias, vt, quantus in his fuerit *Grotius*, agnoſcamus. In *theologicis* nemo eſt, cui me minus ſimilem videri velim. Vbique *Socinianus* eſt: in libello de veritate religionis Chriſtianæ: in notis ad N. T. et in adnotatis Veteris. In *philo-*

go, debeatur huius ſeculi principatus literarius, decernet ventura ætas: hæc enim iniquior verum non videt, et ad poſteros ſatius eſt prouocare. Atque huic ſtrophæ potiſſimum reſpondet hic *Salmaſius*.

ſophicis, ſi diſputandi ſolertia ſpectetur, vix mediocribus par eſt, nec vnquam vidi, qui minore cum vi ratiocinetur: idque teſtantur ſcripta eius, quibus *Riuetus* et *Mareſius* reſcripſerunt. In ſtudio *linguarum* multos habet pares, et plurimos ſuperiores; in Graeca et Latina pares; in Orientalibus ſuperiores. In *Iure* quantum excelluerit, oſtendit ſparſio florum ad ius Iuſtinianeum. Librum eius de Iure pacis et belli refutandum ſuſcepit quidam Profeſſor Albae ** Iuliae, qui amicis aliquot, quos vidi, affirmauit, ſe oſtenſurum eſſe, nullam paginam vacare inſignibus erratis. In *Poëſi* vir eſt ſui nominis, id eſt, magnus; ſed omnes in his locis *Barlaeum* praeferunt; multi etiam *Heinſium*: hic certe animoſior et magis poëticus. Sed poëtica nihil facit ad principatum literarum. *Voſſius* in his

** Amanuenſes Bataui, quibus vetus orbis Romanus hodierno notior fuit, pro Academia Iulia, quam ignorabant, Albam Iuliam poſuerunt, vitio ipſis eorum Magiſtris tum familiari. Incredibilia propemodum ſunt, quae huius generis obiiciuntur *Iſaaco Voſſio* ab homine eruditiſſimo, cuius itinera Londini nunc publicantur, inſcripta *Travels of Mr. Blainville*, *Vol. 2. p. 516. ſeq.* Sunt autem tomi quatuor formae mediae.

his omnium iudicio ſine controuerſia praecellit. Nec meum hoc vnius iudicium; ſed omnium doctorum Italorum, Germanorum, Polonorum et Belgarum, vt in literis multorum vidi, in ſcriptis plurimorum, et ex ſermonibus plurium collegi. Si ſcripta comparemus, nihil ſimile *magnum* cum ipſo, cui non nomen, ſed res magni elogium tribuit. Libri de Graecis ſcriptoribus, de Latinis, de Grammatica, de Rhetorica et Dialectica, et nuper de vitiis latini ſermonis, teſtantur, quantus ſit in *literis*. Sed omnium maxime id declarant libri eius de Idololatria, in quibus omnigena eruditio non modio, nec trimodio, ſed aceruo congeſta eſt. Habet paratos libros de re poëtica, etymologicum magnum, et alia infinita. Si de *Antiquitate eccleſiaſtica* certamen ſit, opus eius de Pelagianiſmo et de Symbolis, et alia, patefaciunt, in ſcriptis Patrum eſſe verſatiſſimum, nec de hac palma quemquam poſſe cum eo contendere. Quid hic afferes ex ſcriptis *Grotii*, per quae poſſis ei principatum vindicare? in hoc genere dico literario. An quae notauit pene puer in *Martianum Capellam?* An quae in *Aratum?* Multa ibi nomina ſignorum *Arabica* propoſuit ad oſtentationem, cum eius linguae rudimenta vix primis labris atti-

giſſet, vt mihi ipſe confeſſus eſt literis, quas ſeruo, cum eum conſuluiſſem de aliqua voce Arabica, quæ mihi negotium faceſſebat. An notas in *Lucanum* afferes? Vel ſola Critica *Voſſii*, quæ edidit in fragmenta Tragicorum et Comicorum veterum, omnibus iſtis præponderare et præualere videntur. Scimus etiam, in *Critica* quam infelix fuerit et male acutus vir alioquin ſummus *Grotius*. In hac mea tenuitate, ac paupertina omnium rerum ſuppellectile, nollem meum nomen inſcriptum eſſe adnotatis ad Vetus Teſtamentum. Nihil his in multis puerilius, inanius, et tanto nomine indignius. De adnotatis ad Nouum alias dicam, et re ipſa oſtendam, quid ſentiam. Hæc mea eſt de principatu literarum ſententia, in qua longe plures habeo ſuffragatores ex omnium nationum eruditis. Vbi plauſores hic proferet, ego nominabo meos. Leidæ XX. Nouembris cIɔ Iɔ C XLV.

CCXLIX.

Io. Henrici Hottingeri de iſta epiſtola iudicium.

Tiguri d. 18. Ianuar. 1662.

En! redit epiſtola *Salmaſii* critica maxima cum gratiarum actione, vtinam cum fœnore et a me debito, et abs te exſpectato! Retinui nuper fragmen-

gmentum epiſtolæ Conringianæ, quod neque tu de remittendo monueris me, neque ego libenter tanti viri autographo carere voluerim. Quæ de appendice tum errorum ad me ſcripſiſti, diligentiſſime iam curata ſunt. Spero, propediem nobis vtrinque typographi Heidelbergenſis induſtria ſatiſfactum iri. Ceterum de *Salmaſii* comparatione vix habeo quicquam dicere. Inferior enim ſum, quam qui Palæmonis mihi inter tantos Heroes partes ſumam. Hoc interim obſeruaui, turpi et notorio laboraſſe magnum ceteroquin *Salmaſium* uæuo, quod parem non facile admiſerit *, et, quibus eruditionis palmam non auſus fuit eripere palam, eos clandeſtinis artibus adorſus ſit et aggreſſus, comparationibus inter eos inſtitutis odioſis pariter et periculoſis, quorum alter omnium conſenſu *Salmaſio* habebatur inferior; alter vero multorum iudicio *Salmaſium* multis poſt ſe reliquit paraſangis, ſi non ratione ſtudiorum eo-

 run-

* Nemo viuidioribus *Salmaſium* coloribus depinxit quam *Samuel Sorbierius*, homo natura garrulus, *epiſtola LXXV.* earum, quas 1660. edidit forma media *p. 551.* Edidit enim eodem anno et alias forma minore: alias, inquam; non eaſdem.

rundem, commodi ſaltem publici reſpectu et v. ſus. Nota ſunt acerba et iniquiſſima *Salmaſii* in virum toto orbe Chriſtiano celeberrimum literis pariter et conuerſatione, agendi dexteritate pene incomparabilem, *B. Spanheimium* molimina. Cum enim Lugdunum ille vocatus, Ordinum ceterorumque Procerum ita ſibi conciliaſſet animos, vt vereretur *Salmaſius*, ne ſuæ quid decederet exiſtimationi et famæ; (ægre enim ferebat nouum hoſpitem inſolitis excipi honoribus, ſe veteranum negligi) D. *Mori* **, Profeſſoris Geneuenſis, cauſſam ita agere cœpit, vt, inexſpectata cum *Moro*, viro

** *Alexander Morus* intelligitur, Caſtrienſis Gallus, quem *Salmaſius* in odium *Spanhemii* patris Lugdunum acciri curauerat. Quo veniente, cum *Spanhemius* mox diem obiiſſet, vulgo iactatum fuit, *que Saumaiſe l'avoit tué, et que Morus avoit été le poignard*, teſte Sorbierio *ep. 64. p. 442.* At *Morus* in ædes et familiam *Salmaſii* receptus vitiaſſe ferebatur *Salmaſiæ* pediſſequam, puellam Anglicanam: quæ res *Salmaſio* viciſſim multum doloris peperit, aucti ex æmulorum aculeatis dicteriis, quorum plenæ ſunt *Nicolai Heinſii*, *Iſaaci Voſſii* et *Io. Friderici Gronouii* mutuæ epiſtolæ, a Cl. *Burmanno* editæ.

viro ceteroquin erudito et facundo, inſtituta comparatione, D. *Spanheimium* inferiore loco poſuerit, quo obtento, iacturam famæ, quam paſſus erat *Salmaſius*, facile reparaſſet. Quotus enim quiſque erat, qui *Morum Salmaſio* comparare vel per ſomnium fuiſſet auſus? Animaduerti et hoc, parum prudenter eos, meo quidem iudicio, facere, qui eos ſæpe inter ſe conferunt, quorum vt ſtudia ſunt diuerſa, ita quiſque in ſuo genere excellit. Quid enim abſurdius fuerit, quam hoc loco paratragœdiare, et peritum *ſutorem* artis ſuæ gnaro opponere *ſartori?* Vterque laudem meretur; quanquam nec ſartori cum ſutoria, nec ſutori cum ſartoria quicquam ſit commercii. Ita quam ineptum eſt, bonum diſputatorem accurato opponi hiſtorico; felicem analyticum perito exegetico; expeditum ſcholaſticum vtili practico? Non omnia poſſumus omnes, et ita ſæpe in vno excellimus, vt in aliis cedere ipſa nos natura iubeat: neque tamen propterea inferiores ſumus, aut a perfecta muneris impletione remotiores. Non ergo comparatio inſtitui debet inter perſonas ſimpliciter, ſed inter qualitates homogeneas relatiue. Muſicus cum muſico conferatur; philoſophus cum philoſopho; hiſtoricus cum hiſto-

rico: non grammaticus cum muſico; theologus cum arithmetico etc. Et tamen errorem hunc nimis licenter hodie graſſari, ſæpius animaduerti. Legiſti dubio procul vitam *Walæi*, operibus eius præfixam. Abſolutioris dictaturæ in doctos ſeculi noſtri Profeſſores theologiæ Leidenſes ſpecimen nunquam vidi: neque tamen diſplicet illa iudicii accuratio, qua ſingulis theologis ita ſuum tribuit, vt nulli omnia. Digniſſimum, quod legatur, mihi ſemper viſum eſt ſcriptum. Hæc vero, quæ præmiſimus, haud obſcura præbent indicia, *Salmaſium* epiſtola hac literaturæ principatum ſibi, etſi oblique et indirecte ***, vindicaſſe potius, quam *Voſſio* aſſeruiſſe. Magni quidem ſemper *Voſſium* fecit *Salmaſius*, id quod ex primo epiſtolarum tomo patet Salmaſianarum; non putem tamen, metuiſſe eum, *Voſſium* vnquam interceſſurum, aut dubiam *Salmaſio* palmam redditurum. In *grammaticis* multum *Salmaſius* detulit *Voſſio*: Latinæ et Græcæ literaturæ

*** Scilicet ex regula: *Si vinco vincentem te, temetipſum vinco*; ita argumentabatur *Salmaſius*: *Voſſio* me maiorem omnes agnoſcunt. Iam ſi *Voſſium Grotio* maiorem demonſtrauero, ipſemet *Grotio* maior videbor.

turæ miratus eſt promum condum: latinitatem tamen ſuam dubio procul diffuſam magis et publico accommodatam eſſe voluit. In *Græcis Salmaſius* vix dubitauit, quin primæ ſibi debeantur. *Antiquitatis* tam profanæ, quam eccleſiaſticæ haberi voluit cornucopiæ: *Critices* dexteritatem, quanquam non vbique ſatiſfaciat, non facile fuit paſſus ſibi abiudicari. *Orientalis literaturæ* peritia maiori erat, quam *Voſſius*, inſtructus. In his omnibus ita *Salmaſius* ſibi videbatur blandiri, vt *Voſſium* amicum potius æſtimatorem, quam vel parem, vel ſuperiorem agnoſceret. Interim *Grotius* tertius e ſpecula proſpicit, cuius tanto maior erat apud multos auctoritas, quanto ex publica ſua Sparta, plura ſe ſuaque commendandi habuit ſubſidia. Et quia *Grotii* ſcripta pleraque didactica magis erant, quam elenchtica aut eriſtica; maiori etiam excipi ſolebant applauſu. Quæ in elencho occupabantur, in iis vel raritas materiæ, vel methodus tractandi pluribus mouit ſaliuam. Præterea ſcribendi illud genus, cui *Grotius* aliquamdiu fuit immoratus, ad rem magis faciebat. De iure quippe publico diſſerebat, cuius nectare ſtudioſi hinc inde ita inebriari cœperunt, vt magnis hinc paſſibus gloria et æſtimatio *Grotii* creuerit.

Id

Id cum *Salmaſio* non poſſet eſſe obſcurum; anſam hinc, vt ego quidem exiſtimo, arripuit tam prolixæ duorum in literatura magnorum virorum comparationis inſtituendæ: quæ vtrum ſucceſſerit, alii iudicent. Ego opinor, vtrumque, et *Voſſium* et *Grotium*, eximios fuiſſe in literatura Heroes; ita vero vtrumque in quibuſdam excelluiſſe, vt tamen neutri adſcribi poſſint omnia. Neutri defuit ſumma et exquiſitiſſima notitia *linguarum* Græcæ et Latinæ, cuius tamen *Grotius* praxin potiſſimum oſtendere; *Voſſius* theoriam tradere curæ habuit. *Grotius* docte ſcripſit et locutus eſt; *Voſſius* ſubſidia loquendi et ſcribendi, et grammatice et ornate, ſuppeditauit. Vterque in *Antiquitate* ſatis erat verſatus, vt nihil deſiderari facile potuerit; *Voſſius* tamen, ſi quid indico, in eccleſiaſticis conſummatior. In *Orientalibus* linguis neuter, quod ſciam, excelluit; vterque tamen earundem fuit amantiſſimus, et *Voſſius* quidem eouſque, vt etiam filium ſuum *Dionyſium* curæ et inſtitutioni celeberrimi *Golii* aliquamdiu commiſerit, qui eos iam in Hebræa et Arabica lingua fecerat progreſſus, vt publico innotuerit ſcripto, ex *Maimonide* tranſlato. Notæ certe Grotianæ nihil ex Oriente habent, quod non

ab

ab aliis iam, vnde ille mutuauit, propinatum ſit. In *theologicis*, certum eſt, maiorem fuiſſe modeſtiam *Voſſii*, quam *Grotii*. Hic enim, cum ſemel falcem in theologicam miſiſſet meſſem, et notas conſcribere in Codicem ſacrum cœpiſſet, id potius agere viſus eſt, vt ſenſum Scripturæ inuolueret et obſcuraret, nouis et ſuſpectis, vt molliter loquar, gloſſematis profanaret, Socini nouationes defenderet, quam vt vel receptis Eccleſiæ placitis acquieſceret, vel fidei analogiam religioſe obſeruaret. Quo nomine nec a vobis potuit gratiam inire, nec a noſtris. Et certe non ſemel obſeruatum hactenus, *Grotium*, ceteroſque ei ſimiles, magnos eſſe potuiſſe, niſi tranſitu in aliud genus adeo enormiter peccaſſent, et *Vziæ* exemplo præter officii rationem adoleuiſſent. Quem vero euentum licentia iſta fuerit ſortita, id vero triſtis docuit experientia. *Grotium*, partibus *Socinianis* addictiſſimum, diem obiiſſe, ex certa eorum habeo relatione, quibus ex literis ipſius hoc obſcurum eſſe non poterat. Ita quidem de ſtudiis vtriuſque ſentio. Si de rerum vſu, agendi dexteritate, ſcriptorum vtilitate, iudicio in rebus grauioribus, humanis puta et theologicis, quæſtio ſit, video et hic in diuerſum iri. Placet

alius

alius alibi. Et in *theologicis* quidem *Grotius* famam decoxit, nec ſatis, quod ipſe noſti, vel orthodoxus, vel conſtans in Scripturæ explicatione, nodos libentius nectit, quam ſoluit. *Voſſius* modeſtior contra, et doctrinæ veterum obſeruantior, hiſtorica magis, quam elenchtica delectatur methodo. In *linguæ* Latinæ et Græcæ, vtriusque tam fundamentis, quam cultu, *Voſſii* ſcripta pro oraculo pene habentur. *Grotius* vero in hunc cenſum venire ne quidem ſperat, vt qui hæc ſtudia non tractauit. In *Orientalibus* ad neutrum quiſquam facile prouocabit. In *politicis* et *iuridicis* plus deferri videmus *Grotio*, vtpote qui his a puero litauit ſtudiis. Nec pro palma contendet *Voſſius*, qui hanc literarum partem ſuam ex profeſſo non fecit. Vnde magnum de iure belli et pacis Grotianum nomen: maius futurum, ſi religionis quædam non intempeſtiue admiſcuiſſet dogmata, quæ obtorto quaſi collo ex officina nouatorum quorundam huc traduxit. In *hiſtoria* vterque in pretio habetur, *Voſſius* et *Grotius*; non dubito tamen, quin, ſi inter ſe duo illi certo caſu committerentur, maiorem fidem mereretur *Voſſius*, tum quod diligentiæ laudem *Grotio* dubio procul præripiat, (noui enim qua accuratione

ne ſua collegerit omnia *Voſſius*, exemplo pene inaudito) tum quod tot publicis negotiis, ad amicitias etiam priuatas (quod certe noui) difficilior, non fuerit diſtractus. Publica magis perſona, adeoque occupatiſſima fuit *Grotius*. Hæc ad epiſtolam tuam criticam breuiter. Tu, quod ſoles, æqui bonique conſules, et proxime, quæ de viris eruditis in Gallia, Anglia et Heluetia ad manus ſunt, a me exſpectabis. Mitto ſpecimen nouæ editionis Bibliorum Tigurinorum, de qua iudicium tuum expeto. Audio, et veſtros in eodem occupatos labore. Pœnitet, ante meum diſceſſum Pſalterii veſtri, quod Sereniſſimus Elector Palatinus aliquando iam obtulerat, non maiorem habuiſſe curam. Si fieri poteſt, operam dabo, vt exemplar bibliothecam adhuc meam, quam *Heidelbergenſem* appellare ſoleo, augeat. Carolinum noſtrum Gymnaſium me adhuc occupat, id eſt, hiſtorica oſtenſio, qua ſcholæ Tigurinæ incunabula ab ipſo *Carolo Magno* accerſenda demonſtro. De qua mihi materia publice bono cum Deo proxima *Caroli* feria dicendum erit. Vale, magnum Germaniæ decus, eius conſtanter memor, qui eſt Generoſitatis Tuæ obſeruantiſſimus.

CCL.

CCL.

Boineburgius Grotium in fide Pontificia obiiſſe contendit, et *Conringio* eum imitandum proponit, æque ac nonnullos alios ſui ordinis viros, qui in caſtra Pontificiorum ſe receperint denique.

Moguntiæ d. 8. Mart. 1662.

Vix complicaueram, quibus *Salmaſii* et *Hottingeri* epiſtolas indidi, cum alteræ abs te mihi redduntur, quas ſcripſiſti d. 19. Februar. De *Wangnereccii* in *Grotium* notulis ſeu vitilitigationibus haut impedita inter nos erit conſenſio. Amplam ſegetem *Grotii* prædicandi ſufficiet *Hottingeri* laudata ac *Salmaſii* epiſtola. Legi his ſuperioribus diebus *Scioppii Anatomen Ieſuitiſmi.* Non quidem lectu iniucunda, aut improficua eſt; at a *Forero*, *Albertio*que et aliis, egregie diſpuncta ac profligata videtur: quorum ſcripta velim perinde legas, et extra partium ſtudia, præ quibus de acumine nec Loiolitico, neque quouis alio, candide arbitrari ſcitis. De *Scioppio* quia occaſio ſcribendi incidit, non volo te celare indiculum eius ſcriptorum, quæ nuper *Pierucius*, noſter Romæ *Reſidens*, conſignata mihi miſit. Illum, et alterum, quo *Barthii* edenda comprehenduntur, vbi le-

legeris, velim remittas vna cum iudicio de vtriuſque dotibus et commentationibus. *Wangnereccius* cetera vir eſt eximius. Auctor habetur *iudicii Theologici*, quod ſub perſona *Erneſti Euſebii* extat. Huius intuitu ipſi nullam *eximietatem*, vt cum Symnacho loquar, nullamue præſtantiam prudentiamque adſcribo. Non tamen diſplicet, quod edidit in *Scioppii* prædian politicam; quanquam iſta meretur alias collaudari plurimum. *Walenburchius* non eſt hic, ſed Herbipoli. Vbi reuerterit, cum ipſo communicabo, quæ nuper annotaſti. *Titianas* nuperas chartas ſecum habet vtique in oſtentamentum inepti acuminis, quo ſegreges a catholica vnitate pollucibiliter laſciuiunt. *Grotius* quantum a Romana eccleſia abhorruerit, abque eius communione capeſſenda ſeſe diſiunxerit, oſtendit nemo melius ipſo, libello aureolo *diſcuſſionis* contra *Andream Riuetum*, qui poſt eius obitum vulgatus fuit, legi et imitamine digniſſimus. Certe optimus *Grotius*, ſi vel vnum ſemiannum vltra prouiuere quiuiſſet, palam fuiſſet ſane facturus, an Catholicus ſub Romanæ Sedis regimine eſſet, necne? Scio, quid viri, qui *Grotium* in cute nouiſſe percogniti ſunt, mihi hac de re ex vero dixerint, et in Suedia olim et in Belgio,

gio, et hic et in Gallia. Iſti non mentiuntur *: nimis enim boni viri ſunt, neque fallunt, cum rerum illius Herois fuerint longe callentiſſimi. Adeoque cum *Wangnereccio* et ceteris ſimilibus Zelotis non facio, qui publicant, *Grotium* extra eccleſiæ ſinum eſſe demortuum. Voto enim, deſiderio, inſtitutione et ardore animi, totoque corde, Catholicis concorpor deceſſit; etſi morte præuentus ad publicam ſui manifeſtationem proficere nequiuerit. Pacis et concordiæ ſacræ quam fuerit amans, notum eſt. Profecto parem tibi deſtinationem ac propenſitatem peroptauerim. Neque poſt *Grotium* primus, diſcordiarum ſchiſmaticarum pertæſus, ad meliorem frugem redires, ex ordine non eccleſiaſtico. Viam dudum præiuere, ex Medicis *Io. Piſtorius*, vir clariſſimæ eruditionis; e Criticis et gente philologa, *Scioppius* tuus, *Sorberius*, *Bertius*; ex Iuriſconſultis et politici com-

* Mentiti ergo *Boineburgio* videntur Viri illi, qui ex literis ipſius *Grotii Hottingero* retulerunt, *Grotium* partibus Socinianis addictiſſimum diem obiiſſe. Gallis autem id perſuaſum fuiſſe, quod *Boineburgius* tradit, vel ſolæ Sarrauianæ ad *Salmaſium* epiſtolæ fidem faciunt. Ipſam quæſtionem agitat *Struv. coll. MSS. faſc. 3. p. 39.*

commatos hominibus *Franciſcus Balduinus*, *Sutboldus*, *Bachouius*, *Milleterius*, alii plurimi, quos memorare nil attinet, ne ſim moleſtus. *Gronouium Grotio* inſultaſſe comperi ex dictatis eius nonnullis in belli ius ac pacis, quæ olim legi. Si præſto eſſent, continuo ſubmitterem. Exceptiones valde leues, quas antehac mihi miſit quidam *Giſius*, tecum communes mihi eſſe poſtulo. Eas proin, vna cum *Giſii* epiſtolio, quod tum iuxta miſit, mitto. Remittes, vbi volueris. Interim vſui eſſe hæc poterunt tibi, Grotianum inſtitutum digne deſcripturo. *Bœclerus* olim itidem prodidit, nec immerito, indignationem ſuam in *Gronouium*, ſi *Grotium* ita laceſſiuit, vti indigitamenta iſthæc perhibent. Gaudeo tibi diſplicere quoque, quæ ſub *Simplicii Verini* elogio aduerſus *Grotium* defunctum prodierunt. Quam inepto acumine iſtic deſipiat, et quam fatuo palato *Salmaſius* illis in rebus fuerit, luculente monſtrat Simpliciani iudicii Reuiſor, qui *Salmaſium* profecto defricare melius adhuc et vberius potuiſſet, ſi tantundem ab eruditione facultatis, quantum a veritate iuris habuiſſet. Oro te, *Grotio* imperti tuæ in ſcribendo felicitatis efficaciam, quo maximam eius de veræ iuris prudentiæ recta et pragmatica

philoſophia extra omne exemplum incomparabili robore illuſtrata, gloriam homines non Ieſuitæ tantum, ſed et reliqui vniuerſi, quiqui ſint, plene et venerabundi diſcant intelligere. Occupationes tuæ, quas modo nimium ſpiſſas et multiplices cauſſaris, vbi non nihil reſederint, obſecro, ne dememineris operæ mihi appromiſſæ, quam cenſendis et diiudicandis iuris noſtri publici commentatoribus impendere pridem conſtituiſti. Non dimittam te inoffenſum, aut illaceſſitum, donec hac pollicitatione rite erga me fueris defunctus. Lampadiana et ciuilem prudentiam vt vel tandem abſoluere ſubſtineas, vt, inquam, ne vni quidem vlli rei alii vacare ſufficias, antequam illa dudum affecta et condicta perfeceris, id vero vtrumque toto pectoris habitu et ſummopere precor et voueo. Comitia in VIII. Iun. tandem indicta, eoque die inchoatum certo iri, vnis ſuper alias ſignificationibus Vienna conſtat. Turcam quippe ſerio pertimeſcere incipiunt. De Perſa nihil certi habetur. Magnum certe toti Chriſtiano orbi impendet diſcrimen: quod vix præuortent, aut euitabunt ſua ſapientia, qua per ſunt tenui, qui nunc habenas Imperii regunt ſub capite necdum maturo;

ro; quin ne quidem adulto ſatis. Finio, aſt adiungo excerptum D. *Alexandri*, quo votum ſuum meo conforme edit, videndi indicis librorum Sereniſſimi Avgvsti. Qualem omnino confectu haud adeo fore impeditum, perque vtilem pariter futurum, viro præclaro in ſolidum aſſentior. Sed cogor receptui canere. Vale, pectus æſtimatiſſimum cariſſimumque! Oblitus et nuper, cum ſcriberem ad te literas, et in hiſce eram, quod iam appono, tibi, vti confido, non ingratum futurum. Ieſuitis ſuccenſes, et merito dicam *Pozæ* dicis. Ieſuiten nominabo tibi placiturum. Eſt is *Theophilus Raynaudus*, cuius libri, quorum ſubnotabo titulos **, bini mihi valde ſapiunt; quantumlibet ſui gregis pluſculos incanduiſſe ob eos bene ſciam. Doctus etiam et vberrimæ fru-

** *Titulos* illorum librorum integros vitandæ prolixitatis cauſſa non ſubnotamus. Sunt autem *Diptycha Mariana* et *Heteroclita ſpiritualia:* quorum illa *Tomo VII.* hæc *Tomo XV. et XVI.* continentur *Operum Raynaudi*, quæ XX. Voluminibus maioris molis coniunctim edita ſunt.

giſ eſt liber *** *P. Io. Euſebii Nierembergii*, Ieſuitæ pientiſſimi, qui Madriti biennio abhinc ſancte obiit, quo tradit doctrinam *immaculatæ Conceptionis Virginis Deiparæ* ſatis cuſtodite, et prudenter admodum, per epiſtolicas Diſſertationes et Exceptiones.

CCLI.

Idem mittit *Conringio* Bœcleriana quædam, eorumque auctorem laudat.

Moguntiæ d. 9. Mart. 1662.

Bœclerus facit, vt moleſtiam, quam hactenus tibi crebro faceſſere ſoleo, nunc conduplicem. Literas enim mihi ad te curandas concredidit, quas ecce! mitto, ac adiungo cum quas mihi ſcripſit, tum quem vna tranſmiſit *de pretii menſura* libellum, in binas diſſertationes tributum Academicas. Multus tu ſoles eſſe miſſitandis mihi veſtratibus ſcriptis; in quorum retaliationem cum de meo nil

*** Liber inſcriptus: *Opera Parthenica de eximia et omnimoda puritate Matris Dei, et conceptione eiuſdem immaculata.* Lugduni 1659. fol. prodiit. *Nierembergius* Madriti quidem natus eſt; ſed parentibus Germanis. Madriti etiam obiit 1658.

nil ſuppetat, en! ex aliena copia mutuari aliquid gratitudinis audeo. Vale, mi optime, atque, ſi *Bœclero* reſpondere voles, mea opera perinde vtendum cenſe. Felicem me exiſtimauero, ſi te inter ac *Bœclerum* literæ commeent impoſterum mea procuratione. Eſt hic vir ſane clarus et magnus in vetere et genuina doctrina, antiquorum lector accuratus, et Grotianorum quoque, vt ita dicam, ſtudiorum inſignis amator; Germanicarum autem rerum maximo cum iudicio inueſtigator.

CCLII.

Conringius tranſmiſſa ſibi a *Boineburgio* anecdota varia diiudicat; Pontificiorum vero partibus ſe vnquam acceſſurum negat, addita ratione valde amara.

Helmſtad. d. 5. Mart. 1662.

Tres abs te vno momento, curante ipſomet optimo et vere incomparabili Principe meo, accipio faſciculos, plenos hercle bonæ frugis. Reſpondebo ad ſingulas tuas ordine quidem; paucis tamen. *Salmaſii* iudicium ſimulac vidi, legi. Diſplicet. *Voſſium* in literis humanioribus et re grammatica *Grotio* præualere, nemo negauerit. Sed non hoc quæſiuerat *Sarrauius*; verum illud: num quis vnus *Grotio* maior eſſet in omnigena eru-

ditione? In variis partibus alios atque alios præſtare, certum eſt. Nemo vnus tamen in multis adeo *Grotium* vel æquare potuit. Reddam illud iniquum *Salmaſii iudicium*, ſimulac curauerim deſcribi. Accipe nunc vero *Wangenereckii* ineptias. Huius hominis hactenus nihil legi, niſi forte eius ſit *Pietas Mariana Græcorum*: forte autem eſt *Wangenereckii* alterius. Quæ pædiæ Scioppianæ politicæ idem oppoſuit, hactenus deſideraui quidem; non tamen vidi. Sub *Erneſti Euſebii* nomine latitare Ieſuitam aliquem, dudum olfeci: imo, non vno argumento vſus, iam docui, Moguntinos veſtros, interque eos *Erbermannum*, ſi non auctores, ſaltem maximos eſſe ſcripti improbi incentores. Quæ Scioppianis Ieſuitarum cenſuris repoſuit *Forerus*, legi. Viſus mihi eſt Æthiopes velle lauare. Scioppiano iudicio aſſentitur pars melior et eruditorum et prudentum Eccleſiæ Romanæ ipſiuſmet. Partium ſtudium inique mihi hic exprobras. Indiculum edendorum librorum Scioppianorum curabo deſcribi, et reddam. Vidi ego alium longe locupletiorem. Verum hic fortaſſis tantum illa habet, quæ edi merentur, aut permiſſa ſunt: reliqua ſane longe

alte-

alterius ſunt notæ, cumprimis *diuinatoria* Sciop-piana omnia. Voluit enim et vates haberi *Sciop-pius;* quamuis nunquam non animus hominis hæ-reret in fermento. *Grotium* proniorem fuiſſe in-ſto in Eccleſiam Romanam, fateor. At cito adeo voluiſſe aperte in Eccleſiæ illius communionem ſe-cedere, nunquam memini mihi obſeruatum. For-taſſis impoſuit tibi hic *Nibuſius*, editor Grotianæ *Diſcuſſionis* poſthumæ. Qui libellus etſi tibi *au-reus* videatur; mihi tamen præ aliis ſemper eſt vi-ſus vix *plumbeus*. Nuſquam ſane, me quidem iudice, *Grotius* minus menſuram nominis imple-uit, quam in ſuis cum *Riueto* diſputationibus. Quæ *Simplicii Verini* titulo veniunt, *Salmaſio* au-ctore, bona parte perplacent: tantum improbaui iudicium *Salmaſii* de varia *Grotii* eruditione. Vt ego accedam veſtris partibus, non eſt, quod ſpe-res. Nimis pellucide mihi perſpecta eſt dogma-tum veſtrorum vanitas et impietas. Nec vero in-ter omnes Chriſtianorum ſectas vllam vel ----io-rem, vel -----iorem arbitror eſſe. Quos tu ſcribis acceſſiſſe a noſtris Eccleſiis ad veſtram, ho-rum bona pars ſincero pectore non eſt facta Ro-manenſis; ſed cum multis exceptionibus: quod

nec ipſemet ignoras. Non moueor illorum exemplis. Indiculum Gronouianarum in *Grotium* animaduerſionum non ſatis aſſequor. Scio, *Gronouium* nec Philoſophum, nec Iuriſconſultum, imo nec Theologum bonum eſſe, ac proinde non poſſe non ineptum eſſe ad cenſuram Grotiani illius operis de iure belli ac pacis; quamuis in nonnulla eius potuerit animaduertere. Aliud ſcilicet eſt poſſe quædam admordere; aliud, integri operis cenſorem agere. Notulas tamen illas curabo deſcribi, et mox reddam. Libro de ciuili prudentia tertiam plagulam iam addit typographus. Ab illo labore non facile abſtrahi me patiar, priuſquam fuerit abſolutus. Pergo nihilominus in enarrandis rebuſpublicis noſtri æui, acturus hodie de *Moſchouitico* populo et regimine; cum proxime aliquot diſſertationes habuerim de rebus Turcicis. Si Comitia proceſſerint, tanto alacrius pergam in perficiendis Lampadianis. Quo etiam deliberationes de bello Turcico poſſint prudenter inſtitui, fortaſſis curabo edi faſciculum optimorum et ſelectorum eius argumenti libellorum. Domini *Alexandri* votum et conſilium laudarim et ego, ſi tam facile aliquid effici poſſit, quam verbis ſuaderi. Neſcio, num ille vnquam viderit

ſpiſſos

ſpiſſos Auguſtiſſimi Principis indices. Miror equidem, ſi, illis viſis, tamen iudicet, edi poſſe. *Theophilum Reinaudum* haud legi; ſed et, ne eius lectionem expeterem, effecit ſua cenſura in Reinaudum *Launoius*, Pariſienſis Theologus. Titulus libri, quem adſcribis, excitat in me iam haud leuem eius exſpectationem. *Nierembergii* vidi quidem nonnihil ad hiſtoriam naturalem pertinens; ſed illud quidem deprehendi pretii non magni. Ex eius libro de vita *Ignatii*, Ieſuitarum Patriarchæ, legi quædam adducta ab *Alphonſo Varga*; ſed inepte ſtolida. *Poza* ingenio profecto et multiplici eruditione longe præſtat. Equidem neminem vnquam vidi æque ingenioſum et doctum nugatorem. Mirum vero, ſi a *Poza* in Mariolatria diſſentiat *Nierembergius*, cum ſit Ieſuita, et Hiſpanus. Certe Hiſpani Ieſuitæ *Pozæ* partes ſtrenue egerunt in curia Romana. Intercedere tibi et cum *Baeclero* literarium commercium, multum gaudeo. Eſt enim vir excellens, et ſeculi noſtri ornamentum. Pro libellis eius ago gratias, miſſurus breui in antidorum meam de re nummaria in republica recte inſtituenda diſputationem, ob argumenti aliquam ſimilitudinem; non in comparationem. Ad epiſtolam *Baecleri* ſtatim reſpondi.

di. Poteris legere, et, ſi commodum fuerit, porro curare. Quis vero eſt *Gruterus* ille, cuius meminit in ſuis ad te literis? Num *Iani* filius aliquis? Niſi fallor, a *Grutero* aliquo opuſcula nonnulla Grotiana ſunt edita. Sed nec illum ſatis noui *. Vale, Illuſtris Domine, bono publico.

CCLIII.

Boineburgius reſponſionem *Walenburchii* promittit; ciuiſem prudentiam autem et tabulas Grotianas a *Conringio* expetit.

Francofurti d. 14. Mart. 1662.

Syllogiſmos, quos miſiſti, *Walenburchio* miſi. Reſpondebit. Tuam certe eruditionem, vt par eſt, magni facit, et, ſcio, gaudebit, vbi ſe ſalutari abs te tam humaniter, et moderate difficultates compoſitum iri compererit. Liber de ciuili prudentia exſpectatiſſimus et optatiſſimus veniet: quoque temporius admaturatur; eo erit iucundior. Tabulæ Grotianæ mihi, ni fallor, pridem viſæ, erunt gratiſſimæ; ſed tua commendatio operis fructuoſiſſimi longe erit acceptior ſuauiorque. De Grotiano in Sacras Literas commenta-

---

* Notior reddetur ex *epiſt.* 257. et 258.

tario diſpiciam. In vetus Teſtamentum modica eſt acceſſio a manu Grotii; in Nouum autem Foedus multa et magna eſt. Sed difficulter legitur hic. Ambſtelodami ſcripturae eius adſueuere *. Sed proxime plura. Interim negotium catalogi *Auguſti* impendio commendatum velim.

CCLIV.

Conringius miſſa quaedam remittit cum aliquot plagulis ciuilis prudentiae.

Helmſtad. d. 11. Mart. 1662.

Heſternum integrum diem lecto me affixit grauiſſimus paroxyſmus febrilis. Langueo etiamnum animo et corpore, eoque ineptus ſum ad literas prolixiores ſcribendas. Tantum itaque nunc reddo quaedam tua: quorum lectio cum gratiſſima mihi fuerit, gratias magnas ago pro eorum communicatione. Addo autem et plagulas denuo excuſas libri de ciuili prudentia, tantum in id, vt ſi quid diſpliceat, in tempore poſſis monere, quo

a

* Grotius in ſcribendo charactere quidem vtitur minutiſſimo; legibili tamen ſatis: quod ex autographis eius, quae penes nos ſunt, facile perſpicitur.

a me inter *Addenda* corrigatur. Neſcio enim; vtrum tibi probabuntur, quæ diſputaui *de moribus hominis politici, qui in actu rerum verſatur.* Vale, ac ſalue!

CCLV.

Boineburgius Duci *Auguſto* dono mittit *Milleterium* de pace eccleſiæ, et de alienatione Lotharingiæ *Conringii* ſententiam exquirit.

Moguntiæ d. 19. Mart. 1662.

Per eſt diu, ex quo molior copiam tibi facere libri iſtius, quem biennio abhinc mecum Gallia extuli. Auctor ignotus eſſe non poteſt; mihi ex ſermunculis coram inter nos habitis merito æſtimatiſſimus, et omnibus, quotquot eo familiariter vti potuere. Epiſtola *Sorberii* adiuncta, quam heri veſperi accepi, in mentem mihi *Milleterianum* illum libellum renocauit. Iſtam vt, vbi pellegeris, remittas, oro. Illum, ſi Sereniſſimus Dux noſter Avgvstvs bibliothecæ ſuæ aggregare volet, id me futurum eſt haut inuito. In redhoſtimentum requiro nihil viciſſim, præter benignam mei memoriam, et niſi hoc vnum, quod nuper iuxta cum D. *Alexandro* rogaui de conſtruendo librorum Auguſtalium indice. *Walenburchius*

chius necdum Herbipoli huc reuertit. Miſi autem ipſi ſyllogiſmos tuos, nec meis hortamentis incomitatos. Quam vellem, tui ſeniſue *Calixti* ſimiles collationem inire coram poſſent cum illo et *Milleterii* ſimilibus. Certe non excideretis omni laboris pretio. In veſtrate coitione neminem alium in id equidem efflagitauerim. Lutherani enim gregis Stentores nimis ab omni æquitate alieni ſunt; plerique ſaltem. Si qui etiam ſint ſolito placidiores, ii præ timore ſunt celantiſſimi eorum, quæ bene cogitant. Aptiſſimi ad negotium concordiæ ſunt Galli et Angli, qui *Proteſtantes* audiunt. Iidem ſunt quoque omnium et eruditione, et prudentiæ maturitate, et axiomatum quorundam opportunitate commendabiles quam maxime. Vale, et me ama! Inaudiueritis procul dubio, qualem conuentionem ac pactionem Dux *Karolus* Lotharingus cum Rege Francorum pepigerit, per quam Galliæ accreſcit vniuerſum Lotharingicæ familiæ patrimonium, iamque Regis *Domanio Parlamenti* placito reapſe acceſſit. Princeps *Carolus*, *Franciſci* filius, in Germaniam auolauit, illique alienationi aſſenſionem ſuam commodare refugit.

git *. Quid tibi videatur de eiuſcemodi tranſactionibus, admodum auebo cognoſcere. Noua nunc inde ſurgit materies infinitarum diſputationum, quæ ſtilum Doctorum fatigabunt; vtinam neminis vnquam gladium! Si quid, vbi rem plenius compereris, ſuper ea mihi impertiri voles, per id vtique maximam a ſummatibus et primoribus publicarum adminiſtrationum Miniſtris, quin imo ipſomet a Rege, gratiam inibis. Nolim autem ſcenæ ſeruiri; ſed optem pandi mihi, pro tua æquanimitate, quæ vera, iuſta, æqua et publico conducibilia arbitraberis. Memineris, quam candide oraueris cauſſam *Coronariam* et *Vicarialem*. Obſecro, noli mihi tua iudicia denegare, quæ mihi in talibus ſunt inſtar cynoſuræ.

CCLVI.

Conringius miſſa a *Boineburgio* bibliothecæ Auguſtæ inferri iuſſit; tum Lotharingiam alienari poſſe ſtatuit.

Helmſtad. d. 19. Mart. 1662.

Libellus, quem Optimi Principis Auguſtæ conſe-

* Iſtam conuentionem et Caroli iunioris contradictionem habet *Londorp. t. 8. p. 813. ſeq.* item *p. 831.*

ſecraſti, vna cum *Sorberianis*, inexſpectata via oblatus mihi eſt die Dominico proximo, quo tempore ipſo in limite mortis quaſi conſtitutus, nec legere quicquam poteram, nec intelligere. Curaui heſterno die, ſed aliena manu, omnia transferri Wolfenbuttelum. Prius vero, quam illa aduentarunt, mittit Optimus idem Princeps duos faſciculos tuos. De illorum argumento vt nunc quidquam agam, nec languor patitur, nec res exigit.

De cauſſa Lotharingica hoc exiſtimo: Citra omnem Germanici Imperii iniuriam illam in corpus Gallicum traductionem factam; idque me dilucide facileque probaturum. An autem expediat, remoto omni obice vim Gallicam Germaniæ vicinam eſſe, ſcio, nec abs me quæri. Quin iam acceperis plagulas libri de ciuili prudentia, quas initio morbi miſi, haud dubito. Illud opus conſecrabo, ſimulac vires fuerint reſtitutæ, feliciſſimo ſenio Optimi mei Principis, cuius annus octuageſimus quartus præ foribus eſt. Vale!

CCLVII.

Boineburgius reſpondet ſigillatim Conringianæ d. 5. Mart. *Conringio*que, ad partes Pontificiorum

 tranſire

tranſire pertinaciter recuſanti, exprobrat Arminianiſmum et Sociniſmum.

Moguntiæ d. 20. Mart. 1662.

Inter multas, quibus laboro nunc, ſcribendas epiſtolas, præprimis, quam tibi ad tuam debeo, exarare feſtino, cum officio ſemel condicto perfuncturus, tum quod tua tam acris, tam accuſatoria et horribilis, vbi de religione catholica delirat, mihi videatur, vt non poſſim quin continuo illi quid rependam. Bene video, Arminianam, Sociniſmo hodie conſpurcatam, ſectam, et quamuis aliam, tibi præ vera Eccleſia placere, dum tantam tibi vanitatem dogmatum catholicorum et impietatem comminiſceris, dum item paratragœdiaris, inter omnes Chriſtianorum opiniones nullam vel futiliorem, vel improbiorem eſſe ea, quæ Romanam Sedem ſequitur. Terribilis iſthæc iudicatio eſt, qualem ego ferre reformidem de veſtrate; tametſi vitio et originis et multo alio euidenter infamis ſit. Sed de his abunde ſatis. Doleo, *Grotio* te adeo parum eſſe in hoc aſſimilem, quo Chriſtianæ religionis, quæ extra vnitatem ſocialem nihil eſt, negotium agitur: qui vtique in ceteris rebus

rebus bonis omnibus illi per es ſimilis, imo par es, quin ſupra es, quod ſpectat rei ciuilis pleniorem ſolito perſpicientiam; quanquam ille diuinarum bona fide ſcientior exſtiterit. *Diſcuſſionem* eius non *Nibuſius*, ſed *Coruinus* edidit, et ii maxime, qui tuam credulitatem amplectuntur in Batauis, *Remonſtrantes* quidam, cuiuſmodi modo ſunt; vero tamen propiores illis, quos tu ſequi ſimulas, Lutheri ſpurcitias etſi cetera peroſus, vt ſpero. Pietatem Marianam Graecorum edidit frater *Henrici Wangnereccii*, *Simon*, Socius Ieſu, vir in Graecis bene verſatus, innocens anima, rei veteris nummariae percallens, et in omnem pene partem eruditus plus, quam reliqui eius gregis ſolent, moderatique ſane ingenii, Ferdinando III. apprime charus ob antiquitatum notitiam, et propter verſatile ad omnia ingenium, mortuus Viennae ante ſexennium *. Poenitet et ſuppudet meae me praecipitantiae, quod heri *Milleterii* libellum ad te legaui, quandoquidem ſentio, vſque adeo acerbum et inexorabilem te eſſe in Catholicos, vt nos pro impiis, futilibus, improbis, vanis et ſto-

* Paria de *Simone Wangnereckio* tradit *Alegambe*, ex quo ſua hauſiſſe videtur *Boineburgius*.

lidis, decantare ſuſtineas. Quæ *Henricus Wangnereccius*, etſi *Grotio* iniquior, in *Scioppii* politicam pædiam edidit, mittam propediem, ſicunde exemplum nanciſci quiuero. Melior hæc ſcriptio eſt *Euſebiana*, cuius idem auctor eſt. *Erbermanno* iniuriam facis, ſi ipſi iſtanc affingis. Contra *Caramuelem* non ille, ſed *Cornaeus*, illo aſperior et immitior, Weſtphalus vtpote, inſurrexit; diſſimulato tamen nomine. Quin ne quidem in hanc diem videri ſuſtinet conditor male materiatæ iſtius elucubrationis. Aſt quid tricamur? Morbi Societatis ſunt percogniti. Cur autem non virtutes, quas vel hoſtes eius agnoſcunt, ſed tantum prolapſiones eius imitantur magna pars mortalium? Vt in *Scioppii* inuectiuis et Philippicis pluſcula ſint ex vero poſita, pleraque tamen obtrectatoria et contumeliis referta, non poteſt quin ex *Foreri*, *Pallauicini*, *Albertii*, aliorumque extra gregem Ieſuiticum doctiſſimorum virorum, ſi legiſti, libris apologeticis abunde perſpexeris. Sed cauſſæ ſectæque ſtudium, et ingenium nouandi cupidum, forte mentis oculos, cetera perſpicaciſſimos, nonnihil obfuſcant, vt ſæpe *plumbea* appareant corruptis ſenſibus, quæ ſane ſunt *aurea*, imo *gemmea*. *Riuetum* tibi et *Sal-*

ma-

maſium, non *Simplicem* ſed *ferreum* ferumque beatorum *Grotii* manium inſectatorem, in religionis opere arridere, nil miror. Mirarer, ſi diſplicerent. Par pari gaudet. Ita *Caluinus*, *Salmaſio*, ni fallor, et excellentiore et celebriore eruditione in hæretica theologia conſpicuus, *Melancbthoni*, qui tamen te erat placidior mitiorque, probatus eſt, ſuo tametſi modo et ordine: alii ſectarii aliis, nullus altero vel titiuillitio melior, vno quippe eodemque in opinationibus ſuis fundamine nixi. Exceptiones iſtas aueam cognoſcere, quibus acceſſerint ad Eccleſiam, quos dixi nuper ſincero pectore acceſſiſſe, *Piſtorium*, Medicum et rerum Germaniæ bene ſcientem, aliosque complures, et credo, donec mihi demonſtrauerit Zelotes quidam *Iulianus*, aliusue, eos fuiſſe nebulones. Verum eſt, quod ais, aliud eſſe quædam admordere, et integri operis cenſorem agere. Idem contingit iis, qui eccleſiam *reformare* ſeu allatrare ſatagunt. Mordent, non emendant. Vtinam reformatio intra vnitatem capeſſeretur! De ciuili prudentia vndecunque requirunt boni viri, ecquando ſis in medium prodituros. Si vltra reſtitas, neſcio reperire idoneas moram purgandi rationes. Aiunt, te *Feldi* eſſe metuentem. For-

taſſean eius hominis, licet incomparabiliter tuis dotibus inferioris, es metuentior, quam catholicæ eccleſiæ. Sed hæc ioculo. De Imperiis rebuſque noſtri æui publicis commentationes tuas in publicum vtiliſſimas fore, nemo intelligens ambigit. Aſt noſtra quidni præferuntur iis? publica cur poſtponuntur priuatis? communia ſingularibus? Ciuilis ſapientiæ negotium merito vti dignitate et amplitudine, ita et operarum oiconomia interpretationem rerumpublicarum peculiarium antecedere debebat. Patriæ ſtatus omnino exponendus ante eſt, quam excurratur ad politiarum exoticarum illuſtramenta vel edenda, vel, quod nemo te melius poteſt, ex veris principiis cum elucidanda, tum collocupletanda. Lampadiana vix prodes ante Comitiorum, quæ appetunt, exitum. Turcica, imitamine *Reuſneri* et aliorum, colligi bene eſt; ſed te optem agere alia. Hæ curæ conueniunt magis *Gronouio*, vtpote Germano, qui parum Philoſophus eſt; etſi veteres Philoſophos dicitur admodum legiſſe, et antiquos Theologos, vti apparet ex *Aubertini Euchariſtia*, quam ſe obſtetrice genitam, et in dias auras editam eſſe, ipſe alicubi fatetur, et *Blondellus* iactat. De bibliothecæ Auguſtalis indiculo, ſecundum Alexan-

lexandrinum iudicium, propediem. *Raynaudum* male arbitraris. *Launoium* noui: coram vidi. Eſt vir optimus. Ipſe non ſpernit *Raynaudum*. Erraſſe, verum eſt. *Launoium* perinde erraſſe in non paucis, et *Sauſſayus*, et alii non pauci in Gallia, vbi nihil fabulis et errorum licentiæ temere condonatur, oſtenderunt. *Launoius* vir per eſt doctus. Sed ipſe, ſcio, indignaretur, vti et *Concuſſioni* tuæ, petulanti et naſuto opuſculo, ex animo malam, quam meretur, crucem exoptat, ſi ſciret, te ex præiudicata opinione *Raynaudum* vel parui pendere, vel conuitiis inceſſere, ſiue alio, ſiue hocce nomine, quaſi hic illicue ceſpitaſſe compertus ſit. De *Nierembergio* aliter iudicares, ſi es qualem te reor; ſi eius libros, non dico legiſſes, ſed vel vidiſſes. *Pozam* laudas. Non laudares, ſi ſcires, eum nobis approbari in ſolidum. Noui genium tuum. Totus in Catholicos deſtomacharis et incenſus es. Deus te iudicet! virum ſane perdoctum, et cetera omnia abſolute bonum, ſanum, integrum: in ſola fidei cura debito incurioſiorem et naſutiorem; cum tamen nihil edicere valeas, quo melior tibi vel cuiquam alii ſit tua fidei opinio, quam vel vana Anabaptiſtarum, vel improba Socinianorum, vel futilis

Caluiniſtarum, vel impia Indifferentium huius ſeculi, vel carnalis Lutheranorum. *Bœclero* iam mitto tuas. *Iſaacus Gruterus* eſt *Iani* ex fratre nepos, Grotianorum editor. Vir bonus; ſed Arminio-Socinianus, puta, tuus. Ita loquor; quanquam facile prouideo, te hoc minus iucunde interpretaturum. Sed, qua es æquanimitate, non indigne feres aliquid reponi duris et contumelioſis illis vocibus, quibus Romanæ Sedi concorporem Chriſtianorum, quæ omnibus hæreticis inuiſa eſt, communionem licenter calumniaris. Liceat mihi defendere fidem rectam, cui tu inſultas. *Walenburchius* tecum aget; ſed modeſte et amanter. Quæſo tantundem facito. Potes quippe per eſſe lenis et vrbanus, ſi vis. *Titio* autem vſque adeo Lutheri ſcabies et Wittenbergicæ ſordes ſunt immulſæ ac propriæ, vt ne quidem, quantumlibet enixe vellet, modeſtiam vel minimam in ſcriptis ſuis exercere poſſet. Ceterum adiicio vnum, antequam de tabula manum auferam. Mira eſt veſtra credulitas, qua vobis, deinde aliis, perſuadere audetis, eorum quemquam, qui catholicæ ſeſe vnitati adiungunt, certis, quas ſcili-

cet

cet ſibi ſtipulentur, conditionibus ** id efficere. Suaue deliramentum hoc eſt, futile et euanidum. Vbinam? ecquando? de quo? de qualibus, ſuper qua re conditionibus id vnquam vel fando accepiſti? Inſincero pectore Catholicis acceſſiſſe nonnullos, vacat dubio. *Marcum Antonium de Dominis* inter eos vnum exſtitiſſe, multi confirmant. Eos etiam accenſendos illi perditorum numero, qui in cœnum ſectæ reciderunt, retroque ſublapſi ſunt, arbitror: quales fuere *Reibingius*, *Eilbrach-*

** De *conditionibus*, quippe quæ veluti vmbra corpus ſequuntur, nil dixerat *Conringius;* ſed de *exceptionibus*, ſcilicet non niſi cum multis *exceptionibus* noſtrates fieri catholicos. De *Henrico* certe *Iulio Blumio* ſcripſit *Calixtus* ad *Schwartzkopfium*, teſtatum eum, ſe ab infallibilitate Romani Pontificis credenda, a poteſtate deponendi Imperatores et Reges admittenda, a primatu ſiue principatu in vniuerſam eccleſiam, qui iure diuino nitatur, agnoſcendo prorſus alienum eſſe, apud *Struv. collect. MS. faſc. 5. p. 61.* Atque hoc ipſum eſt, quod *Conringio* audit non ſine exceptionibus credere. Immo, ipſummet *Boineburgium* non ſine exceptionibus in fide Pontificia vixiſſe, vel hæ eius epiſtolæ ſatis oſtendunt.

tius aliique, qui ſub horam mortis ſacerdotem catholicum expetierunt; ſed non ſunt adepti, quod ſane deſiderabundi peroptarunt. Vtinam tu, ſi catholicum te profiteri dedignaris, minus ſaltem acer eſſes Eccleſiæ oſor, vel *Grotio* conſimilis euaderes perinde in cauſſa fidei, atque ei par es in omni eruditione, quam in vtroque veſtrum ſincere diligo! Vale!

CCLVIII.

Idem *Conringio* narrat, quis *Iſaacus Gruterus* ſit; quid agat; item quid ſcripſerit *Henricus Wangnereccius* S. I.

Moguntiæ d. 23. Mart. 1662.

Iſaacus Gruterus quis, et cuias ſit, nuper ſciſcitabaris. Neſcio, an ad hoc quæſitum tum reſponderim. Iam habitat Roterodami, ſcholæ rector. *Petri* Gruteri filius; *Iani* ex fratre, ni fallor, nepos fuit. Verulamiana quædam latine vertit; Grotiana item et vertit nonnulla, et edidit, ſedulus hodieque in colligendis maximi virum anecdotis, cumprime epiſtolis. Modo Blæuius molitur ingens volumen earundem. Optem iis accedere omnes, quas *Grotius* Ludouico ſcripſit *Camerario*

rario ab anno 1628. ad obitum pene, puta annum 1645. Legi ante quinquennium illas ſpiſſo codice MSto corriuatas in ædibus *Ioachimi* L. F. *Camerarii*, Heidelberga huc tranſmiſſo. *Henrici Wangnereccii* in pædian *Scioppii* attentata ecce! ſubmitto. Vel remittes, vel alium e tua officina, quem mihi meiſque lectu vſuque commodiorem arbitraberis, ſubſtitues eiuſdem argumenti. Sæpe ſuccenſeo *Wangnereccio*, Scioppianum illum libellum tam præter rationem vitilitiganti. Bene præiuiſti tuis ad *Machiauelli* Principem annotamentis omni ſerio politices affectatori viam, et modum monſtraſti iudicationis ex vero fonte rerum ciuilium mediarumque inſtituendæ. Certe *Machiauellum* non recte intelligunt plerique; ſed ſublimitatibus virtutum, quæ tamen pleraſque gentes, pleraque tempora, deſtituunt, aptare omnia pertendunt, qui in illum dicere parati ſunt. Multa quippe in republica occurrunt diuerſæ a virtutum rectitudine indolis, media iſtas inter et vitia *. Bene operam locares, ſi quando Scioppianam

* Cuius generis ſunt iniuriæ priuatis illatæ, quæ vtilitate publica compenſantur, veluti ſi inuiti cogantur ad militiam.

enam pædiam veris, puta tuis, animaduerſionibus et illuſtramentis explicatiorem publicares, niſi forſitan libro de ciuili prudentia hunc laborem iamtum examuſſim præſtitiſti, ſicut omnino arbitror. *Henricus*, de quo loqui ſupra cœpimus, *Wangnereccius* ſcripſit quoque pro *Beſoldo* contra *Wagnerum*, et pro *Kirchero* contra *Dorſchæum*: tum *de animæ origine*; et *notulas* eruditiſſimas in *S. Auguſtini Confeſſionum libros*. Auctor quoque eſt iudicii *Euſebiani* contra pacem Oſnabrugenſem. Plura de eo non occurrunt **.

CCLIX.

Boineburgium exprobratoriæ nuper epiſtolæ pœnitet.

Moguntiæ d. 24. Mart. 1662.

Delicatulum te et facillime irritabilem eſſe, olim non ſemel comperi. Ideo iam ſollicitus ſum, ecqua animi affectione legeris, quæ, fateor, nonni-

** *Bibliotheca Scriptorum Societatis Ieſu* multo plurium huius librorum titulos ſuppeditare poſſet; ſilet tamen de iudicio Euſebiano, cuius auctor *Boineburgio* notior eſſe poterat, quam *Sotuello*.

nihil commotior vigeſimo huius menſis in hoſtimentum acerrimæ, quam tum abs te acceperam epiſtolæ, deproperaui. Solatur me autem æquitatis tuæ recordatio, quæ non ſinet in tantum præponderare iudicii rectitudini omni eam ſenſuum teneritudinem, qua homines aliorum in nos dicta in ſequiorem partem rapere conſueuimus. Expende, ſodes, duritiem ac tyrannidem huius periodi, quam non diffiteor ſtomachum mihi in os pene conciuiſſe. Agnoſce verba tua: *Inter omnes ſectas nullam noſtra:* ita loqueris homo partium ſegregum de Eccleſia Chriſti corpore: *eſſe futiliorem, improbiorem, vaniorem, magiſue impiam.* Volui hoc ſaltem ea fini repetere, quo perſpiceres, me non ſine cauſſa iratiorem nuper in te ſtilum exſeruiſſe, præbitaque abs te in id occaſione prouocatum fuiſſe et adactum. Nunc velim indicta pleraque, ſi offenſam tuam mihi pariant. Sed ſanciamus pacem, et mutua condonatione tranſigamus, neuter alteri ſuccenſentes ob defenſam veritatem, qualis cuique apparet. Meminerimus, inter alios quoque antehac iurgatrices commeaſſe et expoſtulatrices epiſtolas, ſalua et illibata vtrobique amicitiæ et candidæ neceſſitudinis religione. *Hieronymus* et *Auguſtinus* quoti-

ens

ens in ſe viciſſim diu protracta ſerræ reciprocatione deſtomachati ſunt? *Eraſmus* atque *Budæus* quam indigne ſeſe mutuis inuicem conuitiis et exprobrationibus peragitant? Amici tamen manſere. Tantis quidem animabus me intermiſcere verecundor; at exemplum eorum per mihi placet, tibi haud dubie perinde placiturum, eoque magis, quo et *Budæo*, et *Eraſmo*, et *Hieronymo*, et *Auguſtino* vtique eruditionis laude es conſimilior. Variam doctrinam et promiſcuam in illis, aſt quantis viris! admiraris, et amas et imitaris; religionem vero eorum inſectaris, et moderationem eorundem ſuſque deque habes. Ceterum gerrarum deſino, hoc vnum te duntaxat obteſtatus, vt exemplum *Eraſmi* et *Budæi* in eo ſequi digneris, dum ſtili intemperias et inficetias ſibi mutua facilitate indulſerunt, atque ſarcta ſemper tecta et inoffenſa amicitia condonarunt. Ego, ſi quid peccaui in te, toto pectore doleo, et culpam ſolenni formula deprecor. Nullo enim modo offendere te vel leui nutu, nedum vllo facto, vnquam ſuſtinebo; ſed ita te conſtanter et ſincere colam, vt cauſſam habeas commercium epiſtolare mecum ſemper proſequendi. Mitto hic apographum tranſactionis illius, qua vendidit Regi Galliæ Lotharingus ſuam olim

olim Lotharingiam. Obſecro et rogo, tuum mihi iudicium aperi, vt nuper petii.

CCLX.

Idem *Walenburchii* reſponſionem mittit.

Francofurti pridie Kal. April. 1662.

En! vides, quæ *Walenburchius* mihi * reſpondit et tibi. Inter multas occupationes nolui tamen

* *Petrus de Walenburch*, Epiſcopus Myſ. et Colonienſis Suffraganeus *Boineburgio* reſcripſerat, quæ ſequuntur: *Veſtris aderant* Conringii *literæ: his etiam quinque eiuſdem ſyllogiſmi. Quos cum legiſſem, miratus ſum, virum doctum eo dilabi, quaſi quiſquam noſtrum doceret:* Quicquid non eſt ab infallibili iudice definitum, illud certo ſciri non poteſt. *Ego ex noſtris neminem legi, qui id aſſerat. Si quem nouit Dominus* Conringius *hoc tradentem, ipſum conueniat. In noſtris contrarium tradidimus, et* appendice ad ſecundam partem methodi, *et* examine ſecundi principii. *Non ignoramus, aliam eſſe certitudinem de rebus phyſicam; aliam metaphyſicam; aliam ſupernaturalem, prouenientem ex auctoritate Dei reuelantis. Certitudo ſupernaturalis in nobis ſupponit quædam naturaliter nota; omnem tamen habet infal-*

men committere, quin id continuo ad te curarem. Vale, et ciuilem prudentiam tandem ede, niſi nos ludas. Ecce ſtomachum in tuam lentitiem! Mereris vt ipſo libro laudem, ita eius mora iram: ſi non magnam; aliquam ſaltem. Laudatio *Grotii* etiam proxime exſpectabitur, ſimul tabulæ illæ prodierint. Spero, te plene reualuiſſe. Deum ego precor, vt te ſeruet. Vale optime et diutiſſime, mi amice, ſane cariſſime mihi.

CCLXI.

Idem *Conringium* non bene valere dolet.

Francofurti d. 3. April. 1662.

Doleo plurimum de morbo tuo, Deumque precor, vt te ſanet corpore et animo, nobiſque diu ſeruet ſoſpitem et alacrem. Has binas literas peraman-

fallibilitatem ab auctoritate: quæ ſi confundantur, patet via ad quoſuis errores. Non male explicauit hanc rem P. Maſenius *nuper: ideo liceat ad ipſum remittere. Exemplar eius non niſi vnum habeo; darem alioquin lubens* Conringio *mittendum.* Autographum Petri habet *Walenburch*, vti hic et vbique poſui: pro quo congerrones noſtri ſemper *Wallenburg* vel *Walenburg* ſcripſerant.

amanter commendo. Miror, quare mutaris conſilium de inſcribendo libro ciuilis prudentiæ non Palatino; ſed optimo et AVGVSTO noſtro Seni. Placet tamen. De Lotharingico negotio, vbi conualueris, quæſo, me doce. Dicitur Rex omnia in priſtinum ſtatum repoſuiſſe, reſeruata *Marſalia.* Sed tempus docebit. Valeto bene, imo optime, et me certiorem, quæſo, fac de tua valetudine, quo eximar curis.

CCLXII.

Conringius laudat AVGVSTI Ducis ſui ſagacitatem, et Lotharingiæ alienationem; ſed cenſuram ſuam defendit, et impactam ſibi Arminianiſmi et Sociniſmi calumniam grauiter vlciſcitur, retorſione vſus iuſto acerbiore.

Helmſtad. d. 22. Mart. 1662.

Sereniſſimo Principi meo munuſculum tuum perquam acceptum eſt, non tam mole illud æſtimanti, quam tuo in Sereniſſimam Celſitudinem animo. Quanquam pro mea parte, ne quid diſſimulem tibi, ego malim ſaltem ab auctore meliore eſſet profectum, quam a *Theophilo Milleterio.* Ceterum obſeruauit ſtatim inuſitatæ induſtriæ Princeps varias lacunas, varios defectus, in tam mi-

nuto opuſculo: ceu vides in ſchedula iniecta. Cum ſis curioſiſſimus, et huius libelli indubie magnus admirator, fortaſſis tamen hoc vitium haud animaduertiſti. Ita ſentis, iuuenem te ſuperari a Principe, cis paucos dies annum octuageſimum quartum feliciter aggreſſuro. Cauſſam tanti vitii ſapientiſſimus Princeps videtur acu tetigiſſe, nempe acceſſiſſe *expurgatoriam* ſacram manum. Nec enim Clero Gallicano quiuis *Milleteriani* conatus placent; multo minus Scholæ Theologicæ Pariſienſi. Veriſimile igitur, turbulenta hominis inquieti conſilia frenata, mutata, reiecta, quo tandem id, quod reliquum eſt, poſſet lucem aſpicere. Quale illud autem ſit, dicere non habeo, cum per morbum vix licuerit inſpicere. Ego ab illo capite non temere mihi promitto aliquid ſani. De Lotharingico negotio iam tum ex lecto reſpondi, videri mihi illud citra iniuriam Imperii confici potuiſſe, prout iam confectum eſt; idque poſſe me haud difficulter oſtendere, ſimul vires fuerint reſtitutæ in integrum, quæ alias ſupra, quam credi poteſt, per paucorum dierum morbum ſunt labefactatæ. De eadem cauſſa ſcripſit ad me Illuſtriſſimus Dominus Legatus Regius, *Grauellus*, cui, Deo volente, proxima ſeptimana reſpon-

ſpondebo. Quæſo vero me doceas, quid tandem fructus perceperit hiſce proximis ſexaginta annis Imperium a Lotharingica Domo, quidue putes dignum animaduerſione in *cap. 26. de Finibus Imperii*, vbi de iuribus Imperii in Lotharingiam ago. Des etiam operam, vt nanciſcar accuratam aliquam mappam chorographicam, ſi non Lotharingici, ſaltem Barrenſis Ducatus: nam in illum reuera nihil eſt iuris, quod Imperio ſit ſuperſtes. Venio ad tuas vltimas literas, quarum poſteriores agnoſco amicas, earumque reſpectu condono facile quicquid prioribus in famam meam peccaſti. Miror, adeo te potuiſſe incandeſcere propter liberam illam de Eccleſia veſtra cenſuram, cum illam meam ſententiam toties libris etiam publicatis prodiderim. Ideo veſtram Eccleſiam cenſeo omnium, in quas diuiſus eſt hic orbis per Aſiam, Africam et Europam, deteriorem, quoniam vim Satanæ late per tantum non omnes graſſantem deprehendo quidem, nuſquam tamen tantam eius efficaciam animaduerto, quam in Romana, quippe quæ ſola inter omnes veneratur et colit, tanquam caput ſuum, horribilem *Vicedeatum Papæ*, ſcortum illud Babylonium, matrem fornicationum et abominationum terræ. Enimuero Deo

Optimo Maximo gratias immortales debeo, quod multa fecerit me ſcire non perinde in vulgus cognita; nullas tamen maiores ago, quam quod apertis animi oculis perſpicere me fecerit myſterium mulieris illius, et profunda Satanæ ipſa, ita vt poſſim arcana omnia eius conſilia in claram lucem producere. Nec vero me etiam latent cauſſæ, quare tot homines intelligentes, docti et zelotæ, qui vtique in Eccleſia Romana ſuperſunt plurimi, ad clariſſimam lucem caligent. Agnoſco ſcilicet vim maledictionis diuinæ in vobis non minus, quam in Iudæis, ſecundum illud Eſaiæ XIX. *Et dixit Dominus: eo quod appropinquat populus iſte ore ſuo, et labiis ſuis glorificat me* (ſiue verbum Domini) *cor autem eius longe eſt a me* (et a Scriptura, vnico Dei verbo) *et timuerunt me mandato hominum et doctrinis; ideo ecce ego addam, et admirationem faciam populo huic* (id eſt, admirandum aliquid præſtabo) *miraculo grandi et ſtupendo. Peribit enim ſapientia a ſapientibus eius, et intellectus prudentum eius abſcondetur.* Impoſſibile eſt, quenquam liberari e tanta maledictione, niſi Spiritus Sancti gratia adiutus cœperit iterum iuſtam Verbo Dei reuerentiam exhibere. Vtinam Deus hanc tibi gratiam

red-

reddat, qua excidiſti! Nunc video et doleo, agitari te inquietis conſiliis; nonnullis interdum pene ridiculis. Qualia vtique fuerunt, in quæ calamum ſtrinxit, quantum ex literis *Sorberianis* * intelligo, *Mareſius*. Adeo ſane illa etiam mihi viſa fuerunt ab omni ſana mente aliena, vt, rogatus ſententiam ab Optimo Principe meo, negauerim, ex veſtra Aula profecta eſſe, cum ne mica quidem ſapientiæ, qua tamen veſter locus ſplendet, in iis appareret. Hæc ita repeto apud te,

Ddd 3 quam-

* Literæ Sorberianæ intelliguntur priuatim miſſæ *p. 766.* nam in eis, quæ publice leguntur, nihil huius generis deprehendo. Suſpicor autem, ab exorciſmis quibuſdam tum fruſtra exercitis illudendi *Boineburgio* anſam arripuiſſe *Conringium.* Certiora comperient, quibus *Samuelis Mareſii* libellos *de Antichriſto* et *de exorciſmis* conſulere licebit. Literæ tamen, quas mox adiungo, faciunt, vt credam, certis vaticiniis aurem tum præbuiſſe Moguntinos, quibus poſt decennium ſuum quoque iudicium interpoſuit *Leibnitius.* Ceterum de *Lyprando* et *Bartholomæo*, Societatis Ieſu Patribus, quia ſcriptis nullis inclaruerunt, parum explorati habeo, niſi quod priorem illum ſuperſtitionum omnium oſorem fuiſſe ex aliis ſchedis comperi.

quamuis doleant, tantum fiducia ſinceræ inter nos hactenus cultæ amicitiæ. Nolo tibi impoſterum vel verbulo ſuper hac re moleſtus eſſe. Neque tu tentes me in veſtras cauſſas pertrahere. *Viuimus ſub vno magno Domino. Illi ſtamus: illi cadimus.* Ego te commendo illius miſericordiæ; viciſſim miſericordiam etiam mihi promittens. *Walenburchios*, vbi reſponderint, ex decoro excipiam. Quid vero hoc calumniæ eſt, quo me grauas? Me ſcilicet addictum eſſe partibus *Remonſtrantium* Belgarum, qui ſimul ſint *Sociniani.* Iam tum intellexi, tale quid non dubitaſſe in me euomere inconſultæ leuitatis Apoſtatam *Blumium.* Eſt vero fœdum mendacium; turpis calumnia. Toto ſexennio, quo in Batauis vixi, ſemel Amſtelodami interfui *Remonſtrantium* cœtui, vti audirem declamantem *Simonem Epiſcopium*, hominem miræ facundiæ, et acutiſſimi ingenii diſputatorem. Edebat ille tum temporis libellum communi nomine ſuorum, quo inter alia probare conabatur, Socinianos poſſe, imo debere, admitti in communionem Eccleſiaſticam; idque prima etiam Eccleſiæ ætate factum eſſe, volebat ex *S. Iuſtini* libro contra *Tryphonem* oſtendere. Cum apud ipſum inuiſerem, conabatur mihi etiam hoc

per-

perſuadere. Verum ego, oſtenſo quodam alio loco in eodem *S. Iuſtini* libro, eo adegi virum, vti fateretur, non habere ſeſe in promptu, quod regereret; cogitaturum tamen. Hic vnicus mihi cum illo viro congreſſus fuit in Batauis ante hoſce triginta et vnum annos. Ex eo cum nullo *Remonſtrantium* vel leuiſſimum fuit literarium commercium. Aliud qui narrant, mentiuntur **. *Remonſtrantes* porro eſſe *Socinianos*, nunquam potui animaduertere. Imo vero ſcripta poſthuma *Epiſcopii* oſtendunt, a nemine temere Socini impia dogmata maiore ingenii vi et rationum robore conuulſa eſſe. Hoc tamen deprehendo, il-

** Secus ſuſpicandi indicium præbuit quædam, vt fertur, a *Conringio* ſcripta epiſtola, quam *Schraderianis* quibuſdam immixtam poſſideo, et huc retuliſſem, niſi ea iam legeretur ſubiecta præfationi Operum Conringianorum editionis Gœbelianæ. Incertum tamen, an genuina ſit, cum autographum nuſpiam compareat, et *Leibnitium*, paria de *Conringio* ſentientem, ab iſto errore liberauerit Theologus Helmſtadienſis, *Io. Fabricius* apud Dn. *Kortholtum epiſtol. Leibnit. t. 1. p. 156 158.* Vt adeo huius rei fides omnis penes *Blumium* illum eſſe videatur, *Boineburgii* ſodalem.

los etiamnum tetro illo errore agitari de Socinianis ad ſacrorum communionem admittendis. A quo quam longe abſim ego, ſaltem illa liquidum faciunt, quæ abs me diſerte contra hanc ſententiam diſputata ſunt Programmatum ſacrorum, libro *de Purgatorio* adiunctorum, *pag. 109. 110. et 111.* Rogo per amicitiam, legere hæc ne graueris, vti deſinas inpoſterum me calumniari, aut calumniantibus credere. Vale, Illuſtris Domine, et, ſi merear, porro me fauore tuo proſequere.

CCLXIII.

De vaticiniis et reliquo vitæ inſtituto Patris *Bartholomæi*, Ieſuitæ Ingolſtadienſis, epiſtola *G. Lyprandi.*

Ingolſtadii d. 20. Octobr. 1660.

Quod attinet ad prophetias Domini *Bartholomæi*, quarum pleraſque ſcripto tradidit Imperatori Ferdinando III. vehementer ad hoc faciendum interno ſpiritu impulſus, et mox aufugiens eodem ſpiritu impulſus Monachium quaſi currendo profectus eſt, eiuſdemque libelli exemplar obtulit Sereniſſimo *Maximiliano*, Electori Bauariæ, varii varie, vti fieri ſolet, ſenſerunt. Alii vt vanas reiiecerunt; alii, iique admodum pauci, appro-

probarunt. R. P. *Simon Fœlix*, inſignis quondam in hac prouincia theologus, meus in Theologia Academiæ Ingolſtadienſis collega, et per vnum circiter annum Profeſſor D. Bartholomæi in Theologia ibidem, vir acris iudicii, cum legit prophetias Domini prædicti, iudicauit, ſtylum eſſe propheticum, nec talenta naturalia Dni *Bartholomæi*, quem optime nouerat, ſufficere ad huiuſmodi confingenda. Idem ſenſit R. P. Petrus *Braierus*, et ipſe Profeſſor D. *Bartholomæi*, ac meus olim Collega in Theologia. Ego tres primas Prophetias, quæ conſiſtebant in viſione quadam, et vigilanti ac oranti pro Eccleſia contigerunt, nempe de *Lyco*, de *Ingolſtadienſi* ciuitate, et de *regno Angliæ*, mihi ſtatim manifeſtaſſe Dominum *Bartholomæum*, tanquam ſuo confeſſario, optime recordor; eumque circa illas diu multumque examinaui. Sciui enim, in his facile aberrari poſſe, et ſæpe deceptiones varias in variis contigiſſe et contingere. Cum duas priores viſiones adhuc philoſophus narraret; eas non multum æſtimaui. Sed poſtquam audiui ab eo tertiam viſionem de *regno Angliæ*, quod nimirum illud deuenturum ſit ad ſummas miſerias, et totum ſitum eſſe, vt percutiatur Rex veræ fidei reſiſtens, po-

ſtea pacem redituram, et regnum Angliæ conuertendum ad Catholicam et Romanam fidem, ac deinceps Anglos plus facturos pro Eccleſia Catholica, quam olim poſt primam ſuam conuerſionem fecerunt; vehementer horrui, et timui, ne mala, quæ de *Lyco* et *Ingolſtadio* prædixerat, euenirent; et hoc ideo, quia ſimilem prophetiam de *Anglia* habuit quondam R. P. *Colagus* inter prophetias, quas ſub obedientia iuſſus eſt a ſuperioribus conſcribere, quotquot ſciret ſe diuinitus habere, easque legi ab eodem R. P. *Colago* Italice et ſuccincte conſcriptas vſque ad annum octauum huius ſeculi, et mihi communicatas circa annum decimum nonum eiuſdem ſeculi a R. P. *Ruperto Rendelio*, meo tunc confeſſario, viro valde prudenti et ſpirituali. In Prophetia tamen R. P. *Colagi* nulla fit mentio Regis percutiendi, nec de illa tempeſtate, de qua Dominus *Bartholomæus*. Poſt aliquot annos cum prædictus Dominus Saliſburgo Ingolſtadium rediret, ſuos iuuenes hic in ſtudiis morantes viſitaturus, et ante hic publicus fuiſſet rumor, *Carolum*, Regem Angliæ, pronum eſſe ad profitendum fidem Catholicam, atque D. *Bartholomæo* obiicerem, hunc rumorem non cohærere cum prophetia, quam habuiſſet de regno

An-

Angliæ; mihi valde aſſeueranter ita reſpondit: *Carolus*, Rex Angliæ, nec de facto eſt, nec vnquam erit Catholicus; quod euentus probauit. Eodem tempore mihi indicauit, ſe diuinitûs intellexiſſe, Suecum pedem habiturum in Imperio; Rhenum ſuo tempore rediturum ad ſuum antiquum dominum. Ceterum loquendo vniuerſim de prophetiis domini *Bartholomæi*, ego ſemper iudicaui, eum ſine fraude procedere, nec naturalia illius talenta ſuffeciſſe ad huiuſmodi conſcripta, ſiue conſcribenda. In qua ſententia me non parum confirmauit quædam epiſtola, quam ſcripſit ad quendam magnæ dignitatis virum, in cuius prima parte eum vehementi ſpiritu reprehendit, et mala prædixit. In illa videbatur, vt vir, imo ſupra virum, loqui; in hac vero vt paruulus. Quamuis autem ſatis probabile, imo probabiliſſimum cenſeam, illum a Deo accepiſſe donum prophetiæ; an tamen eas ſemper intellexerit, affirmare non auſim. Notum enim eſt apud Theologos, primum ſtare poſſe ſine ſecundo, ac propterea dubitari poteſt merito, an notæ, quas D. *Bartholomæus* in ſuas prophetias cuidam magno viro Monacenſi rogatus fecit, vbique veritatem attingant, niſi forte ad multos annos extendantur.

Vir-

Virtutes in Domino *Bartholomæo* fuerunt inſignes. Primo notiſſima fuit in hac Academia ipſius humilitas. Nihil in conuerſando vel diſputando apparebat, quod indicaret aliquid ſuperbiæ. Humili ſua ſorte ſemper contentus, nihil ſibi, ſed omnia Deo tribuebat. Ad alta et coram hominibus magna non aſpirauit, et propterea etiam voluit, vt ſacerdotes ſui inſtituti ruri occuparentur in parochiis, et ab iis paruuli inſtruerentur in fide, et inprimis litterarum principiis, quæ et ipſe in Saliſburgenſi diœceſi per aliquot annos præſtitit. Secundo inerat ei ſimplicitas ſiue candor animæ, abſque omni ſimulatione et fuco; vt multi ex primo cum eo aggreſſu, et modo, quem tenebat in ſalutandis aliis, collegerunt cum magna ædificatione. Tertio magnam ſemper habuit ſpem et fiduciam in Deum in quibuſcunque neceſſitatibus, et magnis perſecutionibus, quales ordinarie eos ſequuntur, qui ad magnum quid præſtandum a Deo eliguntur. Audiui eum aliquoties mihi conquerentem, quod Domini inſtituti ſui, qui neceſſitatibus inſtituti in temporibus proſpicere ex officio tenebantur, minus fiduciæ in Deum haberent, quam conueniret. Quarto caſtitatem valde adamauit, eamque quomodo in ſuo inſtitu-

to

to conſeruare, ſicque potiſſimum cleri ſæcularis defectum corrigere poſſit, diu multumque conſiderauit. Initio ſui inſtituti ſibi propoſuerat, et mihi ipſemet indicauit, non admittere deinceps ad inſtitutum ſuum, niſi paruulos innocentes, qui conſeruentur in ſua innocentia, inter ſtudia adhibitis ſpiritualibus mediis et exercitiis. Et reuera multos tales acquiſiuit. Quinto, dum ſtuduit Ingolſtadii, magnam erga pauperes ipſe pauper oſtendit charitatem et miſericordiam, ſiue extra ciuitatem deſerti iacerent, ſiue in ciuitate ſemimortui oberrarent ob ingentem famem, quam bella induxerunt. Quoſdam ex iis, vt intellexi, in domum Iunioris *Donapaur*, qui poſtea Rhetor ordinem reformatum ſancti Franciſci ingreſſus eſt, et Dn. *Bartholomæum* valde adamauit, noctu collegit, vt inibi aliquid cibi ſumerent, et contempto omni contagiouis periculo quieſcerent: quod ſane tunc non aberat. Sexto. Magnum habuit zelum animarum. Vnde frequentiſſime orabat pro eccleſia, etiam in campis, vbi Deus oſtendit viſionem de ciuitate Ingolſtadienſi, et ſequenti die, dum Roſarium beatæ Virginis ibidem in campis recitaret, accepit derepente interpretationem illius viſionis. In periculo mortis conſtitutos, qui

extra

extra mœnia Ingolſtadiana deſerti iacebant, frequenter non tantum amanter et multum conſolabatur, in fide inſtruebat, ad dolorem peccatorum excitabat; verum etiam Confeſſarium, qui eos a peccatis abſolueret, adducebat. Idem zelus eum impulit, vt ſuum inſtitutum inchoaret, et eccleſiæ pro viribus, maxime ruri, ſuccurreret, dando bonos et exemplares ſacerdotes et parochos. Septimo. Manſuetudo ipſius fuit plane inſignis et conſtans in quacumque aduerſitate, nec vmquam quid acerbius vel durius contra ſuos aduerſarios audiui eum effutientem; quamuis multa mihi narrauit, quæ a variis inſtitutum perſequentibus ipſi illata fuerant. Ingolſtadii d. 20. Octobr. 1660.

Georgius Lyprandus,
Societatis Ieſu Theologus.

CCLXIV.

Leibnitii iudicium de illis vaticiniis, excerptum ex literis eius ad Ill. B. B.

Moguntiæ d. $\frac{4}{14}$. Sept. 1670.

Bartholomæanas vigilias videor mihi nunc penitus aſſequi, tuis potiſſimum notationibus adiutus. Pleraque egregie cohærent, iis demtis, quæ viro

viro bono, et reuera ſimplici, ex inſtillato cum lacte materno in Proteſtantes odio exciderunt; quibus tamen expunctis aut leuiter mutatis, nihil toti ſeriei decedit. Si cum *Conringio*, *Vſſerio*, aliiſque pro *Luthero*, quem in tuba ſexti Angeli deſignari putat *Bartholomaeus*, ſubſtituas---* cetera perinde fluent. Bene habet igitur, quod demtis vtrobique partium ſtudiis res teneri poteſt. Certe ſi magnus ille Monarcha, quem nobis promittit *Bartholomaeus*, ita formabit Eccleſiam, vt tu ex ore eius in notationibus deſignaſti; habebit facilius ex Romana, quam Geneuenſi aut Auguſtana Eccleſia, qui repugnent. Quid *Lambertus* ille Schafnaburgenſis ex tranſmiſſo a te fœtu lambendo effinxit? Notum eſt illud: Fatis accede Deiſque. Nihilne temporibus mouetur? Nondum euanuit ille de Hiſpania rumor. Legati Brandeburgici Heidelbergæ agunt. Gallus Lotharingia domita Rheno propinquaturus metuitur: quod Deus prohibeſſit! Sed ſymbolum meum eſt: Fata viam inuenient. Hæc, ſi verus eſt vates ille, res paulatim mutationi præparant. Cancellaria Lotharingica in Gallorum partem peruenit. Quam multorum ibi nomina literæque legentur?

CCLXV.

---

* Hic charta feneſtrata eſt.

CCLXV.

Conringius reſponſionem mittit ad *Walenburchica*, et quando reliqua ſua proditura ſint, ſignificat.

Helmſtad. d. 26. Mart. 1662.

Gratias ago pro communicata epiſtola Reuerendiſſimi Domini *Walenburchii.* Quandoquidem vero dubito, vtrum me recte perceperit: viſum ſuit ex re veritatis futurum, nonnulla regerere, eaque ſtatim reddere. Nec enim dubito, quin et hoc placiturum ſit Reuerendiſſimo illi Domino, non minus atque tibi. Non eſt quod vrgeas libri de ciuili prudentia publicationem. Iam ille prodiiſſet in lucem, niſi lethalis morbus vires animi et corporis aliquamdiu proſtraſſet: a quo nunc demum, ſed ſenſim, conualeſco. Miſi iam tum, cum primum decumbere cœpi, $\frac{11}{21}$ Martii plagulas tres editas: addo nunc duas. Quod reliquum eſt, ſimul per reliquias morbi licuerit, nulla interpoſita mora abſoluam, quandoquidem conſtitui dedicare librum feliciſſimo auſpicio anni octuageſimi quarti Sereniſſimi Principis mei. *Grotianum* encomium non eſt quod conſcribam prius, quam tabulæ fuerint excuſæ; illæ vero hactenus ne quidem typhographo commiſſæ ſunt. De Lo-

tha-

tharingico negotio iam tum bis ſententiam perſcripſi. Animus eſt, ſtatim a feriis, recuperata nonnihil valetudine, libello conſcripto probare, citra Imperii iniuriam Lotharingicam illam tranſactionem inſtitutam eſſe. Vale!

CCLXVI.

Idem, cur AVGVSTO ſuo dedicet ciuilem prudentiam, indicat, de Electoris Moguntini ſalute, et de Lotharingia ſollicitus.

Helmſtad. d. 29. Mart. 1662.

Votum pro valetudine mea accipio tanquam certum ſignum animi beneuoli, eoque magnas tibi ago gratias. Diuino beneficio ex lethali morbo conualeſco iam; ſed ſatis tarde redeunte virium integritate. Bene tamen ſpero. Cauſſa, quare non Electori Palatino, ſed Optimo Principi meo velim inſcribere librum de ciuili prudentia, hæc eſt, quandoquidem conſtitui, quamdiu vita ſupererit, in memoriam inuſitatæ felicitatis tanti Principis, quotannis aliquid ſcripti ad poſteritatem edere; nihil vero nunc adeo ſit ad manum, præter hunc librum de ciuili prudentia, quo annum ætatis octuageſimum quartum, qui cis paucos dies capiet initium, conſecrem. Electori Palatino, ſi Deus annuerit,

inſcribentur *Lampadiana*, quæ proxima æſtate perficere animus eſt. Vitæ ſumma breuis ſpem me vetat inchoare longam. Quam ſit de Eminentiſſimi Electoris Moguntini valetudine ſapientiſſimus Princeps ſollicitus, deprehendes ex apographo literarum, quæ cum tuis aduenerunt. Intelligit optime Sereniſſimus Princeps, quantum ſitum ſit in Eminentiſſimi Electoris ſalute. Ego, fateor, de morbo nihil hactenus inaudieram. Et quoniam ne verbulo quidem hoc malum tangis, non dubito, omnia in integrum iam reſtituta. Equidem haud deſinam vota facere, et preces ad Deum fundere pro diuturna incolumitate Principis, Imperii rebus vnice neceſſarii, et incomparabili ſapientia et dexteritate et moderatione agendarum rerum. De Lotharingico negotio, ſi res poſtulet, ne quidem edere ſententiam meam verebor. In anteceſſum, quæſo, legas, quæ diſſero libro *de Finibus cap.* 27. et, quid iudices, perſcribe. Chriſtianiſſimum Regem, reſeruata ſibi vnica Marſalia, omnia reſtituiſſe, vix auſim credere. Tamen non video, qui potuerit Dux *Carolus*, nondum conſentientibus agnatis, legitimus eſſe venditor illarum prouinciarum; quamuis venditio illa ſit citra Imperii iniuriam, modo cautum fuerit exiguis

ali-

aliquot Imperii feudis. Ille * Princeps videtur totus compoſitus ad iniurias, ſibi, ſuis et alienis inferendas. Literas, quas addideras, *Voglero* et *Rachelio* iam tradidi. *Blauius* egregii multum præſtitit in nuperrimo Atlante: æque multa promittit. Det ipſi Deus vires ad omnia perficienda! Vir eſt eximius, et a patre inſtitutus, *Wilhelmo*. Vale, ac porro faue!

CCLXVII.

Idem gratias agit de indiciis ſibi factis circa *Iſ. Gruterum* et *Wangnereccium*, ſimulque acerbitatem prioris epiſtolæ excuſat.

Helmſtad. d. 1. April. 1662.

Gratias magnas ago pro communicatis vindiciis *Wangnereckii* in pædiam politicam *Scioppii*. Legam diligenter, ſimul vacauerit: nunc nec a morbo ſatis reſtitutus, nec a negotiis grauibus vacuus, non poſſum. Animus eſt, Scioppianam illam pædiam adiungere libello cuidam meo exoterico de ciuili prudentia, additis neceſſariis animaduerſionibus.

* *Conringius* pro ſumma, quam ſibi ſumſit, pleraque carpendi licentia, epitheton hic poſuit, reuerentiæ, quam priuati Principibus debent etiam malis, inimicum: quod maluimus ſupprimere.

nibus. Certum ſcilicet, etiam me iudice, eſt, non poſſe omnes reſpublicas adminiſtrari, vt ſis ſimul vir et ciuis bonus. Hanc quæſtionem late agitaui in tranſmiſſis plagulis, quas vti cenſura tua digneris, denuo rogo. Adhuc enim poſſum quædam emendare: edito integre libro, non amplius eſt in poteſtate mea. De *Grutero* quæ narras, perplacent, cumprimis laborare illum in colligendis epiſtolis Grotianis, quibus vnam et alteram, ad me ſcriptam, ſi operæ fuerit pretium, addam. Quas ad *Camerarium* ſcripſit, fortaſſis haud patientur Sueci vti lucem videant. Arcanæ illæ literæ ſunt de negotiis Status publici. Vt tamen edantur, iuxta tecum opto. Ieſuitam aliquem latitare ſub *Erneſti Euſebii* nomine, nunquam dubitaui. Moguntinos autem veſtros, interque eos *Erbermannum*, itidem quædam huius argumenti edidiſſe, cuiuſmodi eſt Reſponſum Theologicum ſuper quæſtione, An Pax Proteſtantibus ſit danda *, haud vanis indiciis exiſtimo me aduertiſſe. A *Cornæo* conſcriptum eſſe *Anti Caramuelem*, ceu nuper ſignificaſti, non perſuades. Scio quippe, ſub nomine *Humani Erdmann* latere *P. Adamum* *Ada-*

* Illud tamen *Erbermanno* haud tribuit *Sotuellus*.

Adami **, hodie ſuffraganeum Hildeſheimenſem. A *Wangenereckio* editus eſt et liber Germanicus *in fol.* ſed ſine nomine, pro cœnobio Lindaulenſi aduerſus vrbem: argutus ſatis, ſed malæ cauſſæ patronus ***. Indubie iam accepiſti meas literas, hiſce proximis aliquot diebus ſcriptas. Inter eas vna epiſtola ſi quid habeat nimiæ aſperitatis, ignoſce, vt ex animo tibi iniuriam omnem condonaui. *Amici ſumus; ſed vſque ad aras.* Vale, Illuſtris Domine, et perge fauere!

CCLXVIII.

Boineburgius, vltimam ſacris controuerſiis manum impoſiturus, defendit, quæ *Conringio* obiecerat.

Francofurti d. 12. April. natali meo quadrageſimo. 1662.

Auguſtiſſimo noſtro Seni libellum, quem dono miſi, non fuiſſe ingratum, perquam gaudeo.

Eee 3 Quin

** Eſt is ipſe, de quo ſupra *p. 115. 123. 208. 211.* cuius hiſtoriam Pacis Weſtphalicæ habemus, *Conringii* amiciſſimus.

*** Omiſſus eſt et ille liber *Sotuello* in Wangnereccianis.

Quin illi, et præcipue tibi, vehementi contra Catholicam zelotæ, diſpliciturus eſſet, non dubitaui. Volui tamen, quia maiora non haberem, vel paruulo munuſculo teſtari meam ſummo illi Principi dicatiſſimam obſeruantiam, vtpote cum ſimul arbitrarer, libellum eo quoque nomine placiturum, quod a *Milleterio* foret profectus, quem, ſcio, pluris et tu faceres, ſi coram noſceers, et præſertim ſi minus obnoxius eſſes inſanis affectibus, quorum intemperiem ſecta tua animo tuo indit, quamque vnam et ſolam in te improbo; reliqua tua omnia ſine exceptione maximopere diligens, imo maximi ſane ex animo æſtimans. Dotes tuas præclariſſimas veneror, et, quandoquidem ita vis, a rerum ſacrarum tecum collationibus ſuperſedebo. Quamuis ne ſic quidem velim te penitus abſtinere in literis tuis ab omni illarum attactu; ego tamen nil amplius rependam ſuper iſtis, dummodo parcas teneritudini mentis meæ, eamque grauare deſiſtas eo crimine, ceu *futiliſſimæ* opinioni, qualem eſſe noſtratem cauſſaris et calumniaris, nos adhæreamus. Agas argumentis et demonſtrationibus contra. Nil recuſo; non iraſcar; imo lætabor. Per enim placet tua in ſcribendo amœnitas, et eruditionis elegantia, qua plu-

plurimum delector. Principi non ſpero ſtomachum perinde mouiſſe libellum donatum; ſed potius eum ipſi futurum occaſioni, alium mihi viciſſim impertiendi, qui meliora me doceat, ac viam apparet ad conſenſionem in doctrina religionis. Abundatis autem talium copia inter tot libros, queis admirabilis eſt bibliotheca Auguſta. Ex ſchedula nil admodum obſeruo, præter errores typographi, qui paginas mendoſe numerauit. Ceterum, caue credas, Clero *Milleterium* eſſe ſuſpectum, aut *manum expurgatricem* quicquam in ipſo confixiſſe. Hæc coniectatio eſt inanis, prout ii norunt, qui res illorum in Gallia hodie intimius peruident. Cum *Sorbona Milleterio* optime conuenit. Quis vero ambigit, quadragenarium iuuenem ab octoginta quatuor annorum viro Principe, ſolide rerum ſtudioſo, ac infinitis præſidiis munito, ſuperari? Quæſo te, optimo huic ac incomparabili Heroi meo nomine gratulare tam felix ac ſalubre ſenium, quod, Devm ex corde precor, ad totidem, aut ſaltem ad XX ſupra centum, producat annos! Vix autem credo, Neſtori huic noſtro ſapientiſſimo probari poſſe væſanam tuam de *Antichriſto*, et neſcio quibus arcanis, quæ orbi tu ſcilicet ſolus de ipſo pande-

re poſſis, credulitatem. *Poſtellum*, ſcio, non imitaris ſecretorum ciuſmodi iactatione, velimque, vti in ceteris, iiſque prauis, ita pariter in hoc ſequi *Marcum Antonium de Dominis* eligeres, quando futilem ſectariorum de Papa Antichriſto ſtultitiam proſcribit, et ne quidem tangere eam vel eminus in opere ſuo ſuſtinuit. Verbo Dei ab Eccleſia propoſito (cuius infallibilitatem Conciliarem qui diffitentur, id intelligere quei poſſunt, quod excedit humani generis captum?) debitam me reuerentiam exhibere; contra verbum, prout vos ſectarii id interpretamentis ac gloſſematis veſtris interpolatis, auerſari didiciſſe, mihi gratulor, tibique, quoniam te amo, tantundem felicitatis ex animo voueo. Hoc votum ſi obtineri vllis precibus poſſet, minus fores irrequietus in cogitationibus et conſiliis tuis ſacris, et pluſculis ridiculis, quæ hereſin comitari ſolent, ratiocinatiunculis eſſes abſtenturus. Quænam ſint illa, quæ me agitare criminaris, *ridicula* et inquieta conſilia, quæſo, aperi. Lubens emendabo ea; et me ita componam, vt inpoſterum de me quieſcere, et arbitrari vitam meam poſſis minus *ridiculam.* Neſcio ſane, quomodo in memoriam tibi reuerterint nugæ, in quas *Marcſius* merito de-

ſto-

ſtomachatus nuper eſt. Quaſi vero eæ vel a me veniſſent, vel mihi approbarentur; cum tamen iam pridem te contraria omnia ipſis rerum argumentis edocuerim. Non ſpero, me tibi tam vilem videri, et adeo omnis iudicii lumine deſtitutum, vt talia de me vel ſuſpicari quenquam debere exiſtimes. De *Remonſtrantiſmo* nil aliud tibi impegi, niſi quod nihilo fortiora pro ſui ſtatumine fundamenta Proteſtantiſmus veſter habeat, quam ille, et quod nunquam indicari poſſit ratio vel argumentum, quo vobis præ cetera ſectarum turba aſſeratur certior veritas, aut vlla tutior facultas Verbum Dei interpretandi. Si potes, doce me rectiora per D. *Walenburchium*; ſi recta mecum agere nolis. Multotiens id te rogaui. Exaudi precem meam, et *magnus mihi* in ſacro ſtudio *eris Apollo.* Neque video, quare, ſuppoſitis ſectarum hypotheſibus, non æque ad communionem Chriſtianam intromitti mereantur *Socinus*, *Menno*, *Brownus*, alii, ſi *Caluinus* cum *Arminio*, reliquique olim in fundo ſalutis a vobis diſſidentes, admitti quiuerunt: cuiuſmodi inter alios fuere Vbiquiſtæ Tubingenſes, *Huberus*, *Adiaphoriſtæ* et *Flaciani*. *Epiſcopium* tibi non parum arridere, aduertere cœpi inde, quod, quæ ille

 de

de regula fidei olim facunde diſputauit contra Ieſuiten, *Petrum Wadingum*, eadem non obſcure hodieque in nos occlamare videaris. Miror etiam oppido, te inficiari, Arminianos pleroſque hodie cum Socinianis colludere. Sciſcitare Batauos, et Gallum in Batauis *Mareſium*; tum alios, imprimis *Voëtium*; et reſponſum feres. *Curcellæus*, et nunc *Poelenburgius*, quid non moliti ſunt pro tuitione principiorum et dogmatum, quæ ſunt mere Sociniana? Sed de his abunde ſatis. *Walenburchio* heri tua miſi. Non dubito, quin ſit comiter reſponſurus. Ciuilis prudentiæ binas plagulas iterum accepi cum voluptate. Amabo, prouehe exſpectatiſſimum illum libellum ad optatum finem, ne omnis gratia nouitatis et iucunditatis inde ſperata vaneſcat. Vtilitatis gloria quidem ſemper eum manebit. Quod librum illum ſacrare fauſtis auſpiciis anni octuageſimi quarti, quem iam init Sereniſſimus AVGVSTVS, inque honorem ac memoramentum ſenectutis Principis quotannis eiuſmodi quid euulgare conſtituiſti, per eſt bene, et hoc inſtitutum tuum lætabundus collaudo. Deum etiam atque etiam oro, vt te diutiſſime ſoſpitem, et vires tibi firmiſſimas præſentiſſimaſque ſeruet ad veræ

ræ eruditionis et germanæ prudentiæ perpetuum decoramentum. Grotianæ tabulæ vt excudantur, quæſo, mature moneas. Neſcio, annon illas et ipſe poſſideam, impetratas olim a *Biörenclaio*. Elogium *Grotii* eſt profecto in ardentiſſimis flagrantiſſimiſque votis. *Lampadiana* proximum ab hoc laborem fore, confido. Eminentiſſimum Electorem bene valere, ſcito. Non poſſum cauſſam coniicere, vnde pertinax hic rumor de eius obitu ac morbo ita vbique inoleuerit. Vndecunque enim ſcribitur, quod diem ſuum obierit, qui adhuc heri ſub meridiem ſatis prolixas ad me literas ſuapte, vt ſolet, manu perſcripſit de variis et grauiſſimis rebus. Scio, ipſi per fore gratam Sereniſſimi tui de eius incolumitate ſollicitudinem plane ſinceriſſimam. Miſi quippe ipſi, ſtatim atque acceperam, et tuas, et Principis literarum apographon. Atlas *Blæuii* omnium calculo dignus eſt. Iam tum mihi coëmi. Vale, et me, ſi merebor, ama!

CCLXIX.

Idem inter multa literaria Grotianarum epiſtolarum edi-

editionem promouet, quod et arcanarum publicatio poſt aliquod temporis interuallum innoxia ſibi videatur.

Moguntiæ d. 18. April. 1662.

Gratulor mihi de gratiis mihi abs te actis pro *Wangnerecciani* libelli miſſu. Quidni et gaudeam, et tam glorioſam mihi fortunam aggratuler, quæ vtpote rara obtigerit hactenus mihi, vtcunque tibi placere, et placitura impertiri ſæpius allaborauerim? Neſcio tamen, an *Wangnereccius* tibi ſit magis ſe probaturus, quam *Millcterius*, in quem nuper adeo inclementer es inuectus. Quanquam in ſacro hic argumento mihi abunde iucundus ſit præ *Wangnereccio*, qui in configenda *Scioppii* pædia parum feliciter inceſſiſſe mihi equidem videtur; homo quippe ciuilium inſciens, ſaltem non callens ſatis, inque hoc rerum genere *Scioppium* æquare inualidus. Deum ſummopere precor, vt valetudinem tibi integram, ſolidam, perennem atque alacrem redonet, quo communibus humanæ tuendæ, ſocietatis ſtudiis illuſtrandis vacare totus ſuſtineas diu et cum gloria! Laudo interim et exoſculor inſtitutum tuum, quod ais te cepiſſe, pædian Scioppianam edendi, addendique cuipiam, neſcio cui, exoterico opuſculo tuo de pru-

prudentia ciuili, ſubiunctis neceſſariis animaduerſionibus. Occaſionem tum habebis digne tractandi atque depectendi nonnihil *Wangnereccii*, vbi licentioſa ſua et incuſtodita cenſura in politici vſus naturam et indolem peccauit: id quod contigit non raro. Plagulas tuas, queis mei ſuperjoribus diebus donaſti, in ſolidum et plene ac de plano approbo, prædico, laudo. Nil eſt in iis, quod vel ſagacium indolum et ſubtilium animarum caſtigationem ſufferre mereatur, nedum meam, hominis de plebe, et ingenii admodum obtuſi. Per omnia te ſacra obſecro, abſolue modo librum toties appromiſſum, cuius diuturniore ſi nos exſpectatione diſcruciaueris, ſane faxo, vt ---

At præſtat demum motos componere fluctus.

Iſaacus Gruterus in conquiſitione epiſtolarum Grotianarum eſt aſſiduus. Si ad te ſcriptas mihi tranſmittere voles, eas cuſtodite ipſi permittam. Iam mitto eidem quaſdam *Ioanni* olim *Coruino* a *Grotio* ſcriptas, quas mecum filius eius, *Arnoldus Coruinus* ICtus, et hic Iuris Anteceſſor, vir doctus et probus, communicauit. Scriptæ autem illæ fuerunt, cum Arminiana diſſidia coorirentur, quorum *Coruinus* quoque magna pars fuit, quinque articulos, qui noti ſunt, tum tueri, vna et iuxta

iuxta cum *Grotio* ceteriſque id genus viris perdoctis, ſolitus. *Socini* ſententiis quam propinqui hodie ſint *Remonſtrantes*, et a priſtinis *Arminii* congregibus diſceſſerint, vel vnius *Voëtii* ſcripta ſatis ſuperque oſtendunt, et libellus, qui hiſce nundinis primum prodiit, *Ryſſenii* cuiuſdam, cuius inſcriptio eſt *Synopſis impuræ Theologiæ Remonſtrantium. Hoornbeckii* item *Summa Controuerſiarum*, quæ procul dubio tibi per eſt cognita, pro me loquitur. Plura hanc in rem non dico. Nimis enim clarum eſt, quod dixi, hodiernos *Remonſtrantes Socino* valde deditos et addictos eſſe. Grotianæ ad *Ludouicum Camerarium*, lectæ mihi iampridem, profecto merentur edi. Neque quicquam inde periculi. *Tempora* enim *mutantur*, *et nos mutamur in illis. Biörnclauio* olim Francofurti placebat editio. Iam in horas exſpecto literas eius, quid de illis Suedi fieri velint. Simul ſpes mihi facta eſt, communicatum mecum quoque iri, quæ *Grotius* ſcripſit *Oxenſtirnæ* parenti *, et ipſis regni tutoribus, et *Chriſtinæ* et-

* Filio *Ioanni* ſcriptæ, dum ille Oſnabrugæ adiutore *Saluio* pacem redderet Germaniæ, et quædam ad *Ceriſantem, Grotio* in Legatione

etiam. Si tanti delicii compos euaſero, in eius quin te ſim communionem deuocaturus, neu dubita, Amice. Non recte aduertiſti, *Erbermannum* quicquam in pacem ſcripſiſſe. Nunquam ſane is vel verbulum ea de materie vlli chartæ illeuit. *Cornæus* et audentior et dicacior eſt. Is latet ſub perſona fictionum quarundam, quæ titulis libellorum eiuſmodi appictæ viſuntur. *Wangnereccium* eſſe genuinum conditorem *iudicii Euſebiani*, certus eſto. Scio id certo et explorato. *Adamium* nonnulla itidem eſſe commentatum, haud me latet; ſed pleraque e Ieſuiticis officinis prouolarunt. *Wangnereccii* librum vernaculum pro cœnobio Lindauienſi non memini videre; quin ne quidem vel tantillum de eius nomine accepi vnquam. Non dubito, meas poſtremum et Francofurto ſcriptas tibi recte eſſe redditas. Eæ ſi qua aſpera vehant, ignoſce, et id omne imputa tibi, vt qui mihi obieceris et iniuriam neſcio quam tibi impactam, et religionis meæ *futilitatem*, qualem capita hæreſion comminiſci conſue-

ue-

---

ne Gallica ſuffectum, pertinentia, nuper in manus noſtras inciderunt; autographa omnia, necdum edita.

uerunt. *Amici ſumus; at vſque ad aras.* Iterato tuas tibi rependo voces, et ſancte tibi iuro, fide vnice excepta, reliqua tua ad vnum omnia mihi ex aſſe et vſque quaque placere, grata eſſe, cara et in amatiſſimis eſſe. Oro te tantum, tuis me et libris et literis creberrime recrea et erige. Nihil certe eſt animo meo, tot curis anxio, leuamento et ſolamini efficaciori. Vale et ama me, ſi merebor. Optem medullitus omnia opera tua iunctim edi. Iam idem accidit libris *Raynaudi*, *Nierembergii*, *Grotii*. Vtinam vel indiculum mihi donares ſcriptorum tuorum omnium; vt fecit *Cardanus*, *Campanella*, *Galenus*, *Eraſmus*, *Federicus Borromæus*, *Licetus*, *Nouarinus*, aliique longe plurimi! De *Feldio* accepi, eum moliri iuſtum opus, cui præſcribet epigraphen: *Elementa iuris vniuerſi.* Quibus ſuccenturiabitur ſyntagma de hoc eopſe; fortean imitamine *P. Gregorii Toloſatis*, *Zouchei* et *Puſendorfii.* Quæſo, vbi degit ille homo **? An etiamnum inſidiatur famæ *Grotii*, ac tuæ? Sed oportet finire. Veredarius enim abit. Eminentiſſimus Elector redibit huc cis-

qua-

** Non de *Puſendorſio* hæc quæſtio eſt; ſed de *Feldio.*

quatriduum. Parabimus nos negotiis, quæ imminent, et Comitialibus præprimis. De publicis propediem. Vale!

CCLXX.

Idem *Walenburchii* ſolutionem ſyllogiſmorum ſpondet, *Grotii*que ad *Conringium* epiſtolas poſtulat.

Moguntiæ d. 21. April. 1662.

En! *Walenburchius* noſter reſpondet ad ſyllogiſmos tuos per compoſitum peregregium. Vos in arena linquo, ſpectator futurus, et nudus internuntius latorque literarum veſtrarum. Me ſapientum choro non immiſcebo. *Concuſſioni* tuæ quæ oppoſuit, Coloniæ imprimi debebant. Sed operæ tam lente procedunt, vt neſciam, ecquando in publicum ſint proditura. Non emanebunt. Si epiſtolas *Grotii* ad te miſſas mittere mihi voles, faxo, vt per *Iſaacum Gruterum* edantur. Neque eius rei nos pœnitebit. Eminentiſſimus craſtini redit Aſchaffenburgum, quo ipſi obuiam proficiſci me oportet. Proxime plura. Vale, Vir optime! Cum *Walenburchii* reſponſio nondum ſit deſcripta, hanc interea criſin conſcripſit D. *Voluſius*, in ſummo templo Metropolitano Eccleſia-

 ſtes,

ſtes, quam mitto, et rogo, vt moram D. *Walenburchii* patienter feras.

CCLXXI.

Conringius natalem *Boineburgio* gratulatur, a litibus abſtinentiam promittit, de *Feldenio*, quæ ille ſcire optabat, narrat, et *Remonſtrantes* molliter defendit.

Helmſtad. d. 17. April. 1662.

Binas abs te literas accepi: alteras d. 12. alteras d. 18. Aprilis Calendarii Gregoriani ſcriptas: vtraſque perquam acceptas. Sacram Camarinam non mouebo. Neque ego te fortaſſis, neque tu me traxeris in ſententiam. Tibi indubie meæ partes ſunt hæreticæ; mihi tuæ quam maxime. Mihi impium eſt, communicare ſacra familiaritate cum Romano Pontifice eiuſque curia; tibi ille caput eſt Eccleſiæ. Mihi veſtræ Eccleſiæ praxis idololatrica eſt; tibi noſtræ non ſatis religioſa. Plurimum igitur hac quidem in re eſt diſſidii inter nos, nec vlla ſperanda concordia, niſi forte ad *Caſſandri* et *Wicelii* exemplum te velis componere, prout initio velle videbare. Ne igitur impoſterum alter alteri illo odioſo et inuiſo argumento ſimus moleſti, cum omnis opera fruſtranea fuerit.

rit. Cum Domino W*alenburchio*, prout cœpi, agere non recuſo: per nudas ſcilicet argumentationes; non autem per prolixas declamationes. Interim nunquam deſinam et pro animæ tuæ ſalute Deum precari, cui vni ſtamus; vni cadimus. Eundem vero etiam obſecro, vti dies ille tuus natalis ſæpius redeat quam feliciſſime, tibique omnia proſpera ex animi ſententia eueniant. W*angenereckius* nonnulla, me quidem iudice, non male animaduertit in Scioppiano libello: nec vero eſt indoctus. Si *Scioppium* edidero, non ſine debita laude memorabitur. Eius liber in cauſſa Lindauiana penes me eſt; ſed nomine auctoris diſſimulato. Arguit autem etiam ille viri ingenium; non ſane obtuſum, ſi bonitate cauſſæ adiuuetur. Grotianæ Epiſtolæ ad *Camerarium* et *Oxenſtiernam* indubie ſunt admodum politicæ; non minus quam Hiſtoriæ eius Belgicæ. Vtinam poſſis illas nanciſci! Optime certe mereberis de omni politica prudentia. Ne quid nunc dicam de epiſtolica *Grotii* dictione, qua nihil eſt elegantius: vt eſt omni in dicendi genere plane artifex incomparabilis. Quas ad me dedit *Grotius*, epiſtolæ inter illas haud merentur numerari. Curabo tamen illas inueſtigari, et mittam, ſi fortaſſis

mereantur inuenire locum inter proletarias. Num *Feldenius* perrexerit *Grotium* inceſſere, neſcio. Cum per Legatos Principum aliquando acriter obiurgaretur, quod non dubitaſſet in ſuis *Antigrotianis* placita perquam maligna proponere; vnum hoc pro excuſatione attulit, non ex animi ſententia, ſed exercitii tantum gratia libellum ab ſeſe conſcriptum, idque publice ſe teſtaturum. Id tamen minime illum præſtiturum, ſcio. Qualia illius *Elementa iuris* futura ſint, neſcio. Si non inueniret, qui dictionem expolierit, multum habebunt barbari. Ipſe enim vix poteſt grammatica vitia cauere, vir alias ingenii ad philoſophicas ſpeculationes aptiſſimi, niſi quando illum ingens philautia rapit tranſuerſum. Viuit hodie in prædio non procul *Hallis Saxonicis*, ibique habet ſcholas iuridicas aliquot iuuenum. At *Toloſani* inſtar non eſt quod ab illo quicquam exſpectes. Fuit enim *Toloſanus* lectionis multæ, et diligens collector iuris variarum gentium; a philoſophia non perinde validus. *Feldenius* contra philoſophia præſtat; gentium iuris pene imperitus. Mihi cum illo nulla fuit contentio, niſi quod improbauerim ſcabrum eius de *Grotii* libris, quos ego primus heic loci commendaueram iuuentuti, iudi-

dicium: quo imperiti tyrones ſeducti non dubitabant *Grotii* omnia poppyſmo excipere, cum tamen ipſe eius liber grauiſſimis ſcateret paſſim erroribus. *Remonſtrantium* dogmata qualia hodie ſint, plane ignoro. Nec *Voetium* vel *Hornbeckium* legi. Scio vero, illos Socinianiſmi poſtulatos, cum adhuc in Batauis viuerem; ſed immerito: quanquam *Socini* ſcripta, non perinde atque aliis, improbata ipſis, haud auſim diffiteri. Quod ipſum in *Grotio* quoque paſſim licet obſeruare, et quidem in ipſo argumento de ſatiſfactione Chriſti pro peccatis noſtris, quod antehac eximio libro contra *Socinum* defenderat; ſed confutatus ab *Ioanne Crellio*, Sociniano, non tacuit tantum; ſed etiam in ſuis ad N. T. annotationibus quaedam loca ſacra plane *Socini* more interpretari non dubitauit. Nec tamen auſim dicere *Grotium* Socinianum, quandoquidem alibi ſic ſatis fortiter pro veritate pugnat. Accidit idem *Eraſmo*, et aliis, qui *Arianiſmi* ſunt poſtulati, itidem innocenter. De negotio Lotharingico videor tibi ſatiſfeciſſe iis, quae diſputaui in opere *de Finibus Imperii*, quoniam non amplius moues. Propediem paucis in gratiam Domini Legati *Grauellii* aliquid hoc de argumento in chartam conii-

ciam, tibique communicabo. Pro dono *Lionèi* procurato * habeo gratias maximas. Scio enim, me tibi illud haud leui ex parte debere. Mitto diatriben *de re nummaria*, quæ tota politica eſt. Noſtræ operæ typographicæ iam occupantur in capite vltimo libri de ciuili prudentia, quod cenſuram continet ſcriptorum politicorum. Niſi valetudo minus proſpera per calculum eriperet mihi multum temporis, vt hac hebdomade integrum mihi biduum in lecto perdidit, iam abſoluta eſſent omnia. Propero enim ad finem. Grotianæ Annotationes in V. et N. T. mirum, niſi Romæ ſint proſcriptæ, et redactæ inter libros vetitæ lectionis, quoniam rigidam illam cenſuram incurrit opus de iure belli ac pacis, quod longe minus meretur indignationem Romanam. Hoc ideo moneo, ne quid tibi crees moleſtiæ, ſi edideris, quæ apud te ſuperant, manuſcripta, niſi et in illis tandem mutauerit priſtinam mentem, vt fecit ſæpiſſime.

CCLXXII.

---

* Appulerat ſcilicet interea catena aurea ſupra *p.* 733. promiſſa: quod quemadmodum factum ſit, principium inſequentis epiſtolæ Gallicæ docebit.

CCLXXII.

Lettre de Monſieur de *Gravel* à Mr. *Conringius*.

Francford ce 21. Mars 1662.

J'ay differé aſſez long tems avant envoyer cette boitte, faute de n'avoir pas eu de commodité ni propre ni ſure, pour Vous la faire tenir. Vous trouverez dedans une Chaiſne d'Or, que Monſieur de Lionne *m'a chargé de Vous preſenter de ſa part, et de Vous prier de vouloir agréer cette petite marque de ſon affection, et de l'eſtime, qu'il fait de l'Ouvrage, que Vous luy avez dedié. Je me ſuis auſſi ſervi de la meme occaſion pour Vous donner en même tems quelque Reconnoiſſance des Livres, dont il Vous a plu me gratifier, pendant que j'ay eſté à* Wolffembuttel ***. *Ce n'eſt qu'une Montre, que j'ay enfermé dans la même boitte.*

* Vid. ſupra *p. 391. 392.* Ceterum male *Grauello* vertit hæc tam inexſpectata liberalitas, quippe quæ, ceu magnes ferrum, haud ita paullo poſt dedicationem inutilis cuiuſdam libelli attraxit, homini que noui muneris erogandi, quantumcumque id refugeret, impoſuit neceſſitatem: quod tamen præſenti maius non fuiſſe, poſt biennium videbimus.

Je Vous ſupplie de ne point en conſiderer la valeur, mais la bonne intention, avec la quelle je prends la liberté de Vous l'offrir ---

CCLXXIII.

Conringius commendat *Boineburgio* Domini de *Lenten*, Cancellarii Danici, filios.

Helmſtad. d. 28. April. 1662.

Ad tuas quæ reſpondi, indubie, curante Optimo Principe AVGVSTO, iam tum accepiſti. Vt haſce ad te exarem, efficiunt duo iuuenes, per triennium familiares mei cum Ephoro ſuo. Filii ſunt Magnifici et Nobiliſſimi Viri, *Theodori Lenten*, Aulæ Regiæ Danicæ Conſiliarii arcaniſſimi et Cancellarii: vterque et præclara indole pariter, et pro captu ætatis eruditione haud proletaria. Hiſce et fama cum dignitatis, tum præclaræ tuæ et omnigenæ virtutis, et frequens tui commendatio illud ſalutandi tui deſiderium accendit, vt rogantibus aditum ad te hiſce parare non potuerim denegare. Haud dubie ſponte etiam tua, cumprimis quoniam et illo patre ſunt nati, et tui ſint magni profecto cultores, benigne illis iuuenibus facies. Rogo autem, etiam id illis ne graueris oſtendere, in fauore me tuo viuere, et eo nomi-

ne

ne ſe gratiores aduenifſe, quandoquidem mea vſi fuere familiaritate. Si feceris; qui autem non feceris? rem facturus es longe gratiſſimam. Cum valetudine incipio magis magiſque redire in gratiam, niſi quod calculus me infeſtet. Hodie habui diſputationem de re nummaria, quam miſi iam tum; ſed, vtrum placeat, nec ne, ignoro. Vale!

CCLXXIV.

Boineburgius de validitate alienationis Lotharingiæ *Conringium* conſulit, accurate ſtatu controuerſiæ formato.

Francofurti d. 25. April. 1662.

Walenburchii reſponſum ad ſyllogiſmos tuos proximo cum veredario mittam. Iam occupatus ſum aliis fortuitis, et iis præſertim negotiis, quæ Eminentiſſimi Electoris aduentus parit. Is cras Moguntiam redibit, illicque aliquandiu commorabitur forte, donec tempus appetat Comitiorum. Multum adhuc tricarum nobis iniicit Lotharingi nupera ditionum auitarum alienatio. Cui rei rectius noſcendæ ac arbitrandæ nullam mihi præſentiorem opem polliceor, niſi illam, quæ ex locuplete eruditionis tuæ penu depromi poteſt. Totum autem hu-

huius negotii fundum in eô verti exiſtimo: *An ſupremus Princeps ac independens vendere poſſit ſuum Principatum Statumue, conſentientibus in id Ordinibus ſeu Statibus ſuis, eorundemque incolumitate ac pace aliter non ſalua* *, *aut ſaltem hoc exigente; quanquam nonnulli de alienantis familia principes, ſiue in ſucceſſione intereſſati, aſſenſum ſuum eidem præbere nolint?* Suppoſito tamen hoc, *quod emptor ſatiſſactionem rationabilem ac honorabilem pro re empta reipſa præſtare velit, et præſtet, tam ei principi, qui ſuapte libera ac vltronea ſponte vendit, quam iis Principibus intereſſatis, qui venditioni reclamant.* Niſi fallor, huc omnis huius controuerſiæ cardo recidit. Vt proinde mihi candide et ſub ſigillo noſtræ mutuæ fiduciæ ad hoc quæſitum reſpondeas, meque tuis luminibus apricare digneris, peramanter te obſecro precorque. Simul, quæſo, annota, quinam Scriptores hac de materie ceteris exactius ſcripſerint. In *Grotio*, *Vaſquio*, *Beſoldo*, et id genus reliquis, vix hæc quæſtio ex profeſſo diſ-

* Hæc conditio fingi quidem poteſt; at in Lotharingia tum non aderat, modo rapaces manus ad eam non extendiſſet præpotens vicinus.

diſcuſſa inuenietur. Conſenſio Agnatorum in re feudali, cumprimis vbi leges *Langobardicæ* valent, quousque ſit neceſſaria, notum eſt De feudis autem *Francicis* videtur aliud cenſendum eſſe: de quorum natura *Goldaſtus* in ſuo *Maioratu*, et *Tiraquellus* quædam tradunt, ſi recte memini. Facile coniectas, de *Barro* me loqui. Quod vero præcipue meretur heic expendi, puto hoc eſſe, *in quantum Princeps, qui eſt ſuæ ſpontis, nemini que obnoxius niſi Deo, puta, qui Maieſtate et ſummi imperii iure gaudet, iure alienare ſuum regnum, ducatum principatumue poſſit; ſtatuum conſenſu tamen ſubnixus; etſi familiæ ſuæ reliqui aſſentiri deſugiant, atque ſi corpus regni aut principatus alias inoffenſus et imperturbatus, vel indiuiulſus, conſiſtere nequeat?* Tu omnia bene expedies, ſcio, pro *iuſtitia* et *veritate.* Præter has enim nihil in talibus reſpiciendum eſt, præprimis tibi tuique ſimilibus, inter quos et me locandum nunquam dubitaſti, iis nempe, quibus et conſcientia et honos cordi eſt ſtudioque. Alia eſt quæſtio, an hæc Lotharingiæ venditio rebus Germanici Imperii conueniat? an expediat nobis Rheno adſitis? an fieri, et quouſque fieri potuerit ſine detrimento ac iniuria Rei Germanicæ, et

quan-

quantum conſequenter iuris Imperatori et Imperio competat, illi alienationi obloquendi? Ad quæ cuncta rite explicanda non tam *Chifletii* elegantie, et *Blondelli* vaſta veteris æui intelligentia opus eſt, quam *Conringii* in tractandis arduis pelluciditate, et felicitate, ac limpitudine, plane Grotiana atque inimitabili. Age, mi amice, colluſtra me tuæ doctrinæ et prudentiæ micantiſſimo Sole, et ignoſce ſimul importunæ huic meæ poſtulationi: ad quam quod tam audenter reuoluor, tua humanitas eſt inuitamento, quam in re cum *Coronaria*, tum *Vicariali* ſum bona cum fruge expertus. Vale, et pancratice vale, meque amare, ſi merebor, pergito!

CCLXXV.

Conringius, mutata ſententia, Lotharingiam alienari valide poſſe negat; cauens tamen, ne Legato Gallico hæc ſua ſententia innoteſcat.

Helmſtad. d. 23. April. 1662.

Ante triduum accepi literas tuas Francofurto, quas in cauſſa Lotharingica $\frac{25}{15}$ Moguntiæ exaraſti. Hoc pene momento per celerem ſereniſſimus et Optimus Princeps mittit binas tuas cum reſponſionibus ad meos ſyllogyſmos, WALEN-

BVR-

BVRCHIO oppoſitos, Haſce non niſi obiter inſpexi, nec inueni illas eius momenti, quæ in arena reſponſum mereantur, præſertim quoniam non niſi vni *Walenburchio* reſponſum debeam. Malui itaque potius ad tuam de cauſſa Lotharingica quæſtionem manum admouere; etſi non potuerim niſi raptim hoc etiam agere, vrgente abitum celere. Proxime ergo exſpecta, quid de Walenburchianis mihi videatur: nunc accipe, quid ſentiam de quæſtione abs te propoſita. Percipies autem alia plane, atque fortaſſis exſpectaueras. Nolim tamen hoc reſciſcat Legatus Regius, aut quis alius. Confido ſanctis tuis promiſſis de ſilentio. Sine iniuria Imperii contractum illum, ſaltem potiſſima ex parte, eſſe, non dubito defendere: quod tu proponis, vetat conſcientia defendere. Si tamen quid in charta mea deſideraueris, quæſo, libere moneas. Argumentum nihil ômnino habet difficultatis, ſi citra amorem partium ſpectetur. Nec opus eſt hic multos conſulere in quæſtione, quid iuris? omnia enim clara ſunt et in confeſſo. Tria illa argumenta confeci ex iis, quæ abs te fuere in medium adducta. Nec video quidquam aliud, quod ſaltem in ſpeciem poſſit pro

Rege

Rege adferri *. Fundamenta quæſtionis ſoluendæ poteris videre apud Grotium *L. 1. de Iure Belli ac Pacis c. 3. §. 12. 13. et 14.* inque annotatis. Adde *cap. 6.* Alios conſulere nihil attinet. Vale!

CCLXXVI.

Boineburgius idem ſentit, et *Conringio* mittit *Io. Gamanſii* deſideria, vnacum epiſtola eius, in quam *Philippi Labbei* iudicium de elogio bibliothecæ Auguſtæ coniecerat.

Moguntiæ d. $\frac{1}{11}$. Mai. 1662.

Tuæ de Lotharingia perplacent. Idem mihi ſenſus. Sed tempori velificandum eſt, donec matureſcat occaſio corrigendi, quæ curua ſunt. Quæ *P. Gamanſius* mihi ſcribit, ecce! mitto omnia. Eſt Ieſuita bonus, et rei Germanicæ ſat intel-

* Funeſti conſilii auctor *Lioneus* fuit, Mazarinianæ diſciplinæ alumnus. Diſplicuit illud inter ceteros Gallos ipſi Briennæ Comiti, vel ob eam cauſſam, quod per pacta illa regii-ſanguinis Principum iura, quæ intimis virorum medullis inhærent, in Lotharingos deriuatum ibat *Lioneus:* id quod per rerum naturam fieri non poſſe ſtatuit *Lomenius commentar. t. 3. circa finem.* Et res tum euentu caruit.

telligens; tum modeſtus, ac alio plane, puta miti ac leni, iudicio, quali non ſunt ceteri. Quæſo, adiuua *, qua potes, hominem probiſſimum gratique pectoris. Iam plura præ negotiorum inſana turba non licet. Vale optime, et tuo me libro de ciuili prudentia tandem refocilla!

CCLXXVII.

---

* Hiſtoriæ Moguntinæ ſubſidia tum vndique conquirebat *Io.Gamanſius* e S. I. collegii Aſchaffnaburgenſis, cuius gratia *Leibnitius* quoque amicorum Lipſienſium operam ſollicitauit *ep. t. 4. p. 245.* Ipſe *Boineburgius Diterico* narrat *ep. 32. p. 185. Gamanſium* iam tum *Serrarii* Moguntiam acceſſionibus raris et luculentis amplificaſſe, et intra ſeſquiannum tomum primum proditurum, quo is *Freheri*, *Goldaſti*, *Gretſeri*, *Caniſii*, *Labbei*, *Dacherii*, *du Cheſniorum* et id genus compilatorum induſtriam ſi non ſuperaturus, ſaltem honeſtis paſſibus ſit æquaturus. Sed vſu fere didicimus huiuſmodi promiſſa, quo ſplendidiora ſunt, eo certius et citius in fumos abire. *Gamanſius* perficere, quod cœperat, non potuit, quod *Henſchenii* et Sociorum clitellarius eſſet, cui plus oneris Antwerpienſes imponebant, quam ille commode vehere poterat.

CCLXXVII.

Excerpta ex literis *Philippi Labbei* ad *Io. Gamanſium*, iniquioribus *Conringii* epiſtolæ de bibliotheca Auguſta.

Vidi *Hermanni Conringii* epiſtolam de Auguſta bibliotheca Wolffenbuttelenſi, D. *Boineburgio* dicatam: in qua multa ſunt erudita, et ad rem bibliothecariam; ſed de Indicis publicatione, quod erat præcipuum epiſtolæ obiectum, aut pauca, aut parum cohærentia, neque admodum ſimilia veri. Cogitabam ea de re ſcribere ad D. *Boineburgium*, quem imprudenter accuſat, cum ipſe ſit in reſponſione ſua imprudentiſſimus, qui non viderit, Indicem paratum, vt ipſe affirmat, et a *Duce* ipſo perfectum, intra biennium, vt addit, excudendum vnius præli continuo labore, poſſe, ſi multiplicentur præla, et quatuor pro vno ſubſtituantur, intra ſex menſium ſpatium facillime abſolui *. Veram illius moræ cauſſam arbitror, quod

* Fatendum eſt, amplitudinem ſolam huic indici excudendo obſtare non potuiſſe, cum opera, vel in triginta ſeptem volumina diffuſa, typis exſcripta habeamus; licet *Conringius*, ſui ſenſus pertinax defenſor, *ep.283.* de-

quod bonus *Dux* parcere ſumtibus velit, aut nondum numeris omnibus abſolutum ſuum habeat catalogum. Vtut ſit, quæ affert *Conringius*, non faciunt ſatis, et a D. *Boineburgio* eiuſque amicis facile refelli poſſunt.

CCLXXVIII.

Boineburgius relabitur ad controuerſias, petita tamen venia, diſtinguens inter Curiam Romanam et Sedem Apoſtolicam.

Moguntiæ d.5. Mai. 1662.

Lætus accepi plagulam operis de ciuili prudentia iuxta ac diſſertationem de re nummaria ordinanda; tum et bonum ex te nuntium, fore, vt illud breui integrum prodeat: quod Deus faxit, teque proſpera valetudine redonet, et nouis ſubinde viribus armet, quo diu proſis publico literarum reconditiorum ac ſolidæ eruditionis Egregio! Sacram

denuo cauſſetur indicis *amplitudinem*. Veram cauſſam, quare bibliothecarum, quotidiana incrementa capientium, catalogos in publicum edere minus conſultum videatur, aperit toties laudatus Dn. *Burckhard. hiſtor. biblioth. Aug. p. 153.* cui aliam addit ipſe *Conringius ep. cit. 283. p. 844.*

eram litem non magnopere tecum diſcupio proſequi, cum *Walemburchius* abunde omni illi negotio explicando ſatis ſit facturus. Aſſenſum tuum vti nobis nullo probabilitatis ſchemate conſpondemus; ita Æterno Numini, vnico mentium quanquam peruicaciſſimarum in melius mutatori, ſucceſſum vniuerſum humillime committimus. Suaue interim eſt et lepidum, comparari partes veſtras vnitati Catholicæ, quæ cum Sede Romana, germano eius coagulo, connectitur, eandemque infamari nota hereſios. Tantundem nugarum olim edidere *Arius*, *Donatus*, *Nouatus*, et poſtea *Socinus*, *Menno*, *Browנus*; qui omnes, non contenti, Eccleſiam, qua exceſſerunt velut e ſano corpore putridi vermes, feciſſe exigui, veſtrum quoque *Lutherum*, et perinde *Caluinum*, pro hæreticiſſimis traducunt nouatoribus, quales merito ſunt omni terrarum orbi. Nec video, quare Curiam Romanam cum Sede Apoſtolica confundas. Miror, idololatricum tibi videri cultum noſtrum. *Wicelius* tuus, *Caſſander* tuus, *Marcuſ*que tuus *Antonius de Dominis* mitius et rectius arbitrantur, et quotquot hodie in Anglia et Gallia in mediis heresion turbis doctrinæ cultioris et iudicii defœcatioris laude præcellunt. Veſtra autem praxis ec-

cle-

cleſiaſtica tantum abeſt, mihi vt haut ſatis religioſa videatur, vt et omnino profanam eſſe, inanem et omni caſſam religione, omni ſanctitate deſtitutiſſimam, et promiſcua oſcitantia, rituumque ad adorationis ſenſibilem * cultum comparatorum vacuitate, immanem rear. Inque hoc ſenſu conſentientem experimur vniuerſam ceteram etiam in Oriente eccleſiam, vtpote quæ ſiccos ** veſtros in diuina re vſus vna nobiſcum abhorreat. *Wangnereccium* tibi aliquatenus placere, vel eo nomine gaudeo, quod inde cognoſcam, Ieſuitas etiam in re ciuili ſanos tibi quadantenus videri poſſe; etſi non diffitear, eos in iſta multum labi et aberrare. Id quod iis perſæpe obiectare ſoleo. Grotianas ad te epiſtolas propediem exſpectabo, et curabo, vt per *Iſaacum Gruterum* aliquando publicentur. Ad

* Quaſi vero Deus cultum, externa pompa ſenſus hominum ferientem, flagitaret, ac non in ſpiritu et veritate vellet adorari.

** Si ridere in re tam ſeria placeret, quæri poſſet, annon *ſiccior* eorum cultus ſit, qui maiori parti Chriſtianorum calicem denegant, quam eorum, qui calicem porrigunt omnibus promiſcue Chriſtianis?

Oxenſtirnam et *Lud. Camerarium* ſcriptas adhuc impetrandi pergo ſpem alere, materiam ſubdente *Biörnclaio*. Multum debebimus tibi, ſi ſuper re Lotharingica explicatius ſententiam tuam dilucidaueris. Grotiana in Biblia miſi *Blauio*. Nolo enim miſcere me inuidioſis illis et piperaqis negotiis. Vale, et me ama! Caue etiam iraſcaris mihi, quod ſupra de religione iteraui quidpiam. Poſtremum hæc auſus ſum, deinceps et mihi et tibi parciturus. Deum oro, vt te ſeruet et proſperet in multam ſenectam! Valeto!

CCLXXIX.

Conringius refugit iſtas controuerſias cum *Boineburgio* porro agitandas, *Walenburchio* reſpondere paratus.

Helmſtad. d. 3. Mai. 1662.

Quoniam conſtitutum mihi eſt de controuerſiis ſacris tecum amplius non contendere; ne verbum quidem volo reponere iteratis tuis in partes noſtras conuiciis. Domino *Walenburchio* iam ante octiduum reſpondi; non mitto tamen, quoniam amanuenſis meus peregre profectus eſt. Vbi ille redierit, mox habebis: quibus lectis, fortaſſe rectius iudicaueris, num Dominus *Walenburchius* abun-

abunde illi negotio explicando ſatisfecerit, quam nunc præiudicaſti. Eadem amanuenſis abſentia facit, quo minus iam tum mittam epiſtolas meas Grotianas. Meum de Lotharingico contractu iudicium quin acceperis iam tum, haud dubito: dubito tantum, an placeat, eoque tuum reſponſum deſidero. Exſpecto autem et cenſuram tuam ſuper plagula tranſmiſſa, cui nunc addo vnam, et diſſertatione de re nummaria. Vale!

CCLXXX.

Boineburgius repetit conſenſum ſuum in cauſſa Lotharingica.

Francofurti d. 19. Mai. 1662.

Initia capitis XIV. recte accepi. Perplacent ſane, vt tua omnia, præterquam quod quædam in ſacris iuſto acrius inſectaris contra Catholicos in ſcriptis tuis. Hoc quod nolo approbare, id vero tu vocas conuicia in veſtras partes. Sunt certe partes de toto reſectæ, de quibus non ego, et alii puſilli mei ſimiles; ſed orbis terrarum, et omne retro et poſtilla æuum loquuntur. Ego manum de tabula, ne te offendam. De nummaria re quæ ſcripſiſti, itidem ſumme placent, ſicut omnia reliqua tua, vt dixi. Grotianas epiſtolas, et quæ

Walenburchio opponis, libenter excipiam, et lætabundus. Iudicium tuum de Lotharingica venditione ſanum eſt; rectum eſt; verum eſt. Sed noſti ſeculi et mundi morem, extra oleas diuagari ſolitum. Plura non adiicio. Neſcio quo meo fato incideris in hanc opinionem, ceu parum grata mihi fuerit tua illa mens; cum tamen paullo æquiora de nobis iudicia formare debueris. Amici ſumus, viciniſque noſtris bene cupimus, quoad eius fieri ſaluo rerum patriarum tenore poteſt. Vt omnia promiſcue laudemus, quæ illis arrident, id profecto ne quidem cogitamus animum inducere vnquam, vel redacti ad incitas: quo tamen nondum res rediit. Scimus etiam, quouſque noſtra ſeſe exporrigat fœderatio, ac in conſiliis communibus conſenſio. Vltra fines et extra metam publici, quod vobiſcum commune habemus, inſtituti non procurrimus. Vale, et me ama, haſque literas * abolere memento, ne noceant. Neſcio

* Literas intelligit a Galliarum Rege ad Moguntinum *d. 12. Mai.* huius anni ſcriptas: quarum verſio germanica cum in *Acta Londorpii t. 8. p. 832.* relata ſit, apographum gallicum ſine piaculo exhiberi poſſe cenſemus.

ſcio, an videris cuiuſdam *Amundi Veri* (Chryſoſtomi Egenfeldii **) *Imperium politicum*; *Animam* item *Triumphantem;* tum quæ auſus eſt in *Ariſtotelis* Logicen. Nouum ſe Philoſophum præbet, palmam erepturus *Digbæo*, *Carteſio*, *Verulamio*, *Campanellæ*, *Hobbio*, et aliis huius ſeculi Nouatoribus.

CCLXXXI.

Copie de Lettre de la main du Roy.

Mon Couſin. Je ſuis averty, qu'il y a de certains eſprits artificieux et brouillons, qui travaillent depuis quelque tems à rendre mes bonnes intentions ſuſpectes à mes Alliez et aux autres Princes de l'Empire, ſuppoſans des deſſeins chimeriques, et ſe meſlans d'expliquer mes penſées à contreſens. Et quoyque ma ſincerité vous ſoit cognuë; neanmoins pour deſabuſer ceux, qui n'en eſtant pas ſi bien informez, pourroient ſ'arreſter à ces faux

** Conſiliarii Mecklenburgici, qui anno 1666 carceri mandatus, 1672 liberatus, in Belgium, poſtea Viennam, et inde Brinum in Moraniam abiit, pacis ſacræ ſtudioſiſſimus. Plura de homine dabit *Placcius theatr. Pſeudonym. p. 38.*

bruicts, il m'a ſemblé à propos de vous aſſeurer encore par ces lignes eſcrites de ma propre main, qu'il n'y a perſonne ſans exception, qui ſoit plus zelé que moy pour la manutention de la paix de Weſtphalie, laquelle ſera touſjours le but de mes voeux, et de mes ſoins, et qu'il n'y a rien auſſi que je ſouhaitte d'avantage, que d'entretenir une parfaitte intelligence tant avec mes dits Alliez, qu'avec tous les autres Princes et Eſtats de l'Empire, vous priant au ſurplus de rendre teſmoignage de cette verité, où vous jugerez qu'il en ſoit beſoin, et de croire, que ſi je n'avois envie de la confirmer par les effects, ce ne ſeroit pas à Vous que je m'addreſſerois pour la publier. Et ſur ce je prie Dieu, qu'il vous ait, mon Couſin, en ſa ſaincte et digne Garde. Donné à ſainct Germain en Laye ce 12. May. 1662.

Louis.

A Mon Couſin, l'Electeur de Mayence.

CCLXXXII.

Idem Lentenios *Lionco* in Gallia commendaturum ſeſe promittit.

Francofurti d. 20. Mai. 1662.

Ho-

Hodie me adiere Cancellarii *Lentenii* filii, et tuas mihi reddidere. Cum iis diu ſum locutus de amicis, quos inter principe tu mihi loco. Literas in Galliam ituris ad *Lionem;* Argentoratum dedi ad Cl. *Bœclerum*, quibus forte faciliores aditus ſibi comparabunt. Catalogum lectionum veſtratium diu eſt, ex quo appeto. Aſt tuo miſſu nondum appulit. *Rachelium* eadem rogaui. Vter ſit promptior futurus, exſpecto reſcire. *Eichelium* imitamine *Feldii Grotio* inſigniter inequitare, inaudio. Sed alio auocor nunc. Proxime plura. Vale, et memento mei!

CCLXXXIII.

Conringius ad deſiderata pro *Gamanſio* pariter, ac ad *Labbei* ſugillationem elogii B. A. reſpondet.

Helmſtad. Aſcenſionis Domini 1662.

Heri demum rediit amanuenſis, eoque ne nunc quidem mitto ad Reuerendiſſimum Dominum *Walenburchium* reſponſionem. Habebis illam proxime. Quæ de cauſſa Lotharingica ſcripſi, nec a tua ſententia aliena eſſe, gaudeo. Spero fore, vt ita omnia componantur, ne iniquior contractus Dei vindictam commoueat in Chriſtianiſſimos. Ex *Gamanſi* literis intelligo, tuo hortatu

 id

id agi, vt plena aliquando prodeat hiſtoria Metropolitanæ Moguntinæ Sedis. Perplacet illud inſtitutum; ſed vereor, ne argumenti amplitudo, quoniam ſcilicet omnium per Germaniam ampliſſima eſt Sedes illa, et difficultas, ingens * fit operi allatura impedimentum. Libentiſſime tamen conferam ſymbolam, in quantum potero; quanquam talia ſoleant perpaucis eſſe curæ. Quæ de Meibomianis quærit vir clariſſimus, poterit facile reperire in opuſculis Meibomianis, ante biennium hic editis, et illis addito catalogo. Non dubito, illorum exemplar venale ſupereſſe Francofurti apud Beckenſteinium. Fortaſſis apud eundem ſupereſt Chronicon Riddagelhuſenſe *Meibomii*, et apud alios, quæ ibi edita ſunt alia Meiboniana.

Poë-

* Experti hoc ſunt magno ſuo malo, qui deſcriptionem huius Archidiœceſeos *Galliæ Chriſtianæ* nuper inſeruerunt, grauiſſimis mendis ſcatentem: quod fatum plerumque eos manet, qui falcem immittere ſolent in meſſem alienam, domeſticorum ſubſidiorum vel ignari vel incurioſi. Infinito ſane præſtantiores in hac arena ſunt *B. Ioannis*, et Perilluſtris Dn. *Gudenii* labores, quam illi Benedictinorum in Gallia, Moguntiam ſibi perperam vindicantium.

Poëta Saxo de Carolo Magno non a *Meibomio*, ſed R. *Reineccio* hic olim editus eſt. Sed nullum eius ſupereſt exemplum venale, vt nec Chronici Walbeccenſis Meibomiani. Inter opuſcula Meibomiana reperiet *Gamanſius* Gerhardum Præpoſitum Stederburgenſem, quem ineditum exiſtimat. Reliquorum ineditorum apud me nihil eſt. Sicubi eorum quidquam potero impetrare, non inuidebo. Nihil etiam eorum, de quibus vult inquiri, an alicubi reperiantur, vnquam hactenus vidi: fortaſſis etiam quædam iam perierunt, ſaltem illa *Adamo Bremenſi* laudata **. *Labbeus* in Auguſtiſſimum Principem et me iniurius eſt. Si vidiſſet catalogum, Optimi Principis manu partim, partim ab amanuenſibus conſcriptum, eiuſque amplitudinem, ſentiret aliter. Si occaſio tulerit, auctor ſis viro, vt veniat in rem præſentem. Deprehendet, ſcio, quæ nunc ipſi videntur non admodum veriſimilia, aut parum cohærentia a me ſcripta, veriſſima pariter eſſe et rectæ rationi ſibique

** Non perierunt illa *Adamo Bremenſi* quidem laudata, ſed *Einhardo* ab illo perperam adſcripta, ſiquidem in promtu ſunt membranis inſcripta tempore Ludouici Germanici; Adamo certe Bremenſi multo antiquioribus.

que congrua: nec manuſcriptis indicibus quotidianam curationem rei librariæ poſſe tantiſper carcere, donec denuo deſcribantur vel edantur; quamuis velit Princeps Optimus eorum editionem nullis non ſumptibus promouere. Vbi aduenerit, ſpondeo, gratum fore hoſpitem, quamuis Ieſuitam. Auctor porro eidem ſis, vt curet edi catalogum Bibliothecæ Regiæ, vel Mazarinianæ, vel Thuanæ vel Seguieriæ, aut ſi qua alia eſt Pariſiis illuſtrior. Chartam *Labbei* Chronologicam inſpexi duntaxat, miratus, ne illas quidem controuerſias virum induſtrium et doctum potuiſſe agitare ſine indicio odii noſtrarum partium; cum tamen in quam multis *Scaligeri* potiſſimum et *Caluiſii* vitula aret. A *Vorburgio* iuniore accepi denique tomos duos vltimos, vt et hiſtoriam *Ottoaum*. Num cenſes proditura etiam reliqua? Promittit, ſeſe conſcripturum ſupplementum hiſtoriæ a *Carolo* Caluo vſque ad *Ottonem* Magnum. Sed vereor, vt tanto operi par ſit. Forte iam omnia a patruo ſunt confecta.

CCLXXXIV.

Idem mittit denique reſponſionem ad *Walenburchica*.

Helm-

Helmſtad. die Pentecoſtes 1662.

Cum traderentur, quas d. 19. Maii exaraſti, in villa vxorem decumbentem inuiſebam, non inſtructus iis, quæ ad ſcriptionem neceſſaria ſunt, eoque tum quidem nihil reſpondi. Quas d. 20. ſcripſiſti Francofurti, nunc accipio, curante, vt ſemper, Optimo et nunquam ſatis laudando Principe meo. *Lentenios* fratres benigne abs te habitos, gaudeo, et ſimul ago gratias. Gaudeo itidem, placuiſſe meam de negotio Lotharingico ſententiam, nec ita vos deditos partibus Regiis, vt non iudicium ſit integrum, et æqui bonique non ſit ſatis ſibi conſtans arbitrium, Imperiique amor non præualeat. Lectionum catalogum credidi dudum tibi miſſum: certe dudum tibi deſtinaui. Saltem ergo nunc accipe cum reſponſo meo ad Domini *Walenburchii* epiſtolam. Nec enim pretium me operæ facturum arbitror, vt reponam itidem aliquid *Voluſio*, quoniam nihil habet, quod non et Dominus *Walenburchius* attulit in ſua quidem, quam tentauit, ſyllogiſmorum meorum confutatione. Quæ mihi regeſſit, omnia laborant vno communi ignorantiæ vitio, tanquam Euangelicorum ſit illa abſurda propoſitio: *Quicquid de rebus ſacris non eſt in ſcriptura proditum,*

illud

illud certo ſciri non poteſt. Cum hæc demum noſtra ſit: *Quicquid ſolo Deo reuelante cognoſcitur ad ſalutem neceſſarium, illud, niſi in Scriptura ſit proditum, certo ſciri non poteſt.* Vbi ad hanc Maiorem ſua commenta bonus ille *Voluſius* attulerit, ſentiet ipſe, quam ſua omnia inepta ſint. Precaberis interim Viro ſalutem plurimam meo nomine, et bonam inprimis mentem. Quid Dominus *Walenburchius* iam denique ſit allaturus in defenſionem ſuæ theſcos, quam ego quidem cenſeo eſſe a vero, imo a recta ratione, alienam, videbo; niſi quidem illi graue fuerit hac de re mecum contendere. Fortaſſis hæ meditationes cautiorem illum facient in confutanda mea *concuſſione:* quod equidem optauerim. Nec enim eſt quod excuſes tarditatem editionis: ſat cito, ſi ſat bene. Veritas vnice mihi cordi eſt; non inanis aliqua victoriola. Spero, eundem eſſe animum Reuerendiſſimis Dominis Fratribus *Walenburchiis:* vt ſit ſane, Deum obſecro. Quæ tu ſcribis de orbis vniuerſi a noſtris ſententiis diſſenſione, vt pace tua dicam, ridicula mihi viſa ſunt. Vos ſcilicet Pontificii *orbis* eſtis *vniuerſus.* Cogites etiam, quam ſit veritatis in rebus, quæ non conſtant ſenſibus, lubri-

cum

cum indicium multitudinis opinio, quaſi ideo aliquid ſit verum, quia plurimis placet. Sed quid ego tibi occino de ſacris controuerſiis illa, quæ, ſipario ſtudii partium detracto, nemini non ſunt notiſſima? Vale!

CCLXXXV.

Boineburgius mittit nonneminis ſententiam in cauſſa Lotharingica, non ſine notatione eorum, queis deficit.

Moguntiæ d. 2. Iun. 1662.

Literæ tuæ pridie Aſcenſionis Dominicæ datæ multa præclara me docuerunt. De cauſſa Lotharingica quæ nonnemo notauit, ea en! mitto, cum prece, vt ſuper iis me porro inſtituas. Sum enim tuæ ſententiæ in ſolidum; neque aliter fieri poteſt. *Gamanſio* indicaui, quæ optime oſtendiſti. Quæſo, ſi qua conferre in commune poſſis, ea ne pigreris cum illo communicare. De indicibus Auguſtæ bibliothecæ adhuc pulcherrima nos ſpes alit, fore, vt aliquando edantur. Gaudeo, *Vorburgiana* te nunc omnia habere. A *Carolo* Caluo ad *Ottonem* primum quæ deſunt, an nepos ſit, aut poſſit eſſe argumento par ſcriptor, ipſe valde

quo-

quoque dubito. *Vorburgius* ſenior certe in initiis *Ludouici* Balbi obiit. Poſt *Ottones* vero ſeriem produxit ad *Wenceſlaum* fere omnem. Vtinam inde hucuſque tui quis ſimilis rem abſoluat! Sed deſino gerrarum, Deumque oro, vt te diu ſoſpitem, et in proſperis rebus florentem ſeruet! In iuncta ſcriptione duo debebant ſolidius demonſtrari. 1. Quei Rex Galliæ poſſit a Duce *Karolo* emere, quod non habuit ſuo iure: vti hactenus Francia ſemper contra Carolum et Hiſpanos aſſeruit. V. *Blondellus* et alii contra *Chifletium* et *Ianſenium* ceteroſque ſuos aduerſarios. 2. Quomodo ius quæſitum agnatis auferre poſſet quiſquam? In horas ſingulas exſpectamus Principem *Carolum*, Vienna tandem abſolutum.

CCLXXXVI.

Idem Gallum Lotharingiam dimiſſurum nuntiat; et *Io. Bodini* dialogos de abditis rerum ſublimium arcanis nactum ſe gaudet.

Moguntiæ d. 5. Iun. 1662.

Libri de prudentia ciuili in dies maior me inceſſit appetentia. Proinde rogo, tempus certum mihi præfinias, cum reliqua eius ſunt huc aduentura

tura properato tuo miſſu. Lampadiana, et tuas diſſertationes de huius æui regnis et rebus publicis, nihilo remiſſiore exſpectabo deſiderio. Interim certiorem te facio, in Gallia cogitari de Lotharingia Principibus ſuis reddenda. At ſuper conditionibus non modica erit contentio, ni fallor. Rex certo in Alſatiam veniet ſub exitum Iulii, vel initio Auguſti. Pax cum Turca ſub incude, et, ceu *Seneca* ait, ſub ictu eſſe videtur. Si enim Tranſyluania reponitur priſtinum in ſtatum, qualis ſub *Ragocio* fuit, ſperari pax, etſi ſatis infamis, poterat. Sed is rerum nunc ſtatus et mira conuerſio eſt, vt nulla ab illis locis ſecuritas credi poſſit. Quin heſternis e literis Viennenſibus, tum et aliunde, accepimus, potentes paratus a Turcis ac inſtructus ad bellum fieri, adeoque in Auſtria trepidationem per eſſe grandem. Vtinam boni ii viri temporius bonis conſiliis obſecundaſſent, et abhinc biennio, cum Waradinum ſeruari poterat, rebus et ſuis, et noſtris, rite conſuluiſſent! De libris nihil dignum ſcriptu occurrit. Nolo tamen te inſcientem eſſe, mecum commodato me alicunde habere *Ioannis Bodini* MStum librum *de abditis ſublimium rerum ar-*

canis * dialogiſticum ſat ſpiſſum, quem memiui legere *Naudæo* parum arriſiſſe, vt et optaret, ne vnquam edatur. Niſi fallor, in eius bibliographia id cernitur. Neſcio, num tibi iam tum ſignificauerim, hunc librum meis in manibus eſſe. Ideo volui iterare nuntium, hæcce neu ignorares, fortaſſean multum placitura. Velim legiſſes, vt tuum ſuper eo iudicium cognoſcere liceret. Non videtur vtilis in publicum fore eius editio. Non enim omnis ei digerendo ſtomachus eſt. De diſcretione codicum veterum latinorum prolixam *Gronouius* minatur mihi epiſtolam. Simulac aduenerit, in eius communionem quin ſis venturus, noli diffidere. Valet in eiuſmodi vir ille, Germaniæ haut tralaticius honos. Grotianæ tabulæ ecquando tandem prodibunt? Modo tuum elogium *Grotio* deſtinatum vidiſſem; de tabulis facile con-

* Commodato eum acceperat ab *Io. Habbeo* ex Aula Heidelbergenſi, vt paullo inferius *ep.* 342. ipſe prodet: quicum *Habbeo* magna *Leibnitio* quoque familiaritas, multus vſus fuit: quod itidem ex progreſſu operis noſtri patebit. Ceterum *Leibnitium* de *Bodini* arcanis idem ſenſiſſe, vel potius ſuum de eo indicium e Boineburgico hauſiſſe, patet ex *ep. t. 3. p. 43.*

conquieuero: quas, ſi recte memini, et dudum legi, et fortaſſis inter meas chartas ipſe habeo, quas ea fini, vbi vacauerit, explicabo vniuerſas, et perquiram omnia huc quadrantia. Vale, vir optime, quotidie tui memor amici, qualem, ſi meruero, vt me ſemper exiſtimes, impenſe precor.

CCLXXXVII.

Idem de praeparatione ad Comitia, de bello Turcico, de negotio Lotharingico diſſerit, et lectum a ſe *Bodini* librum abominatur.

Moguntiae d. 22. Iun. 1662.

Heri demum rediit huc Eminentiſſimus Elector Bonna, quo profecti ſumus ante decendium, viſo ſimul Confluentiae Treuiro. Egimus profecto nulla de re alia, niſi quei oporteat fidam voluntatum pro publico Egregio inter Ordines Germaniae ad vnum omnes conſenſionem cuſtodire, quo ſaluti patriae et paci conſultum ſit. Praeparamenta proin quaedam ad comitialium conſultationum felicia ordinanda ſtatumina confeciſſe nobis videmur, de quibus cum foederatorum coetu proxime collationes Francofurti inſtitutum iri, ne dubita. Hodie praemittimus eo Colonienſem delegatum,

quem breui ego ſequar. Interea *Grauellus* e Gallia reuerterit. Cum Turca res eodem in poſitu eſt. Pacem ſerio, vti ſemper vaticinatus ſum, moliuntur. An acu rem ſint tacturi, necne, euentus erit magiſter. Comitia vt placide procedant, quæſo, vbique allaborate. Agamus, quod et iuſtum, et neceſſarium, et factu poſſibile eſt pro præſente circumſtantiarum occurſu, et caueamus, vltra noſtræ potentiæ modum ne exerremus. Paullatim res publica recuperabitur, et vnicuique reddetur, quod ſubito non poteſt fieri, ſub pondere, et forte cum interuſurio. Patientia politica, affectibus quidem humanis nihilo quam Chriſtiana tolerabilior, ſi paullo productior eſt, decuplum fructum edere ſolet. Quod de me meaque valetudine ſollicitus es, facis tuo more. Vtique ſatis bene valeo, ſed, multa rerum mole obrutus, metuentior interdum eſſe ſoleo, ne quando viribus quid magnæ ſic ſtragis infligatur. Fiſus tamen Deo, omnia ſuperare ſpero. Literas meas omnes ſemper D. *Alexandro* tranſmitti iubeo, et iuſſi. Vnde non poſſum capere, qua, cuiuſue culpa: mei omnes deierant ſe inſontes: veredario, et non domino *Alexandro*, ſint contraditæ. Neque ſatis aſſequor, te tamdiu, quod ais, a me ni-

nihil literarum vidiſſe, cum tamen nullam hebdomadem præterire ſierim, quin ſcriberem vel vnas. De Lotharingico negotio plane eadem ſentimus. Sed tempori nonnihil dandum videtur, vt loquamur cum effectu. Princeps *Karolus* nobiſcum eſt, et vna fuit cum apud Treuirenſem, tum Colonienſem Electorem. Quæſo te, illis minutis, quæ tamen omnia, quæ ex iure in vniuerſum dici pro Gallis hic poſſunt, abunde complectuntur, aliquid repone mei cauſſa, quo poſſim eo exactius defendere et iuſtitiam rei, et negotium ſtatus, in rem patriæ communis. Simul acceperimus, quæ Pariſiis et Vienna opperimur, conferemus de *Caroli* Principis rebus vltra, qui nunc in hac vrbe degit; tantum diſtat, eum Lutetiam procurriſſe firmandi cauſſa contractus, quem *Karolus* ſuper aliena re improuide conſuit. *Bodini* librum legi. Eſt dialogus, in quo *Chriſtianas* partes tuenti obuenere argumenta imbecilliſſima; *Iudaeo* meliora; *Philoſopho* tolerabilia et plauſibilia; *Muhamedano* autem optima. Reformationem profeſſos ridet auctor; Catholicos, vt illo tempore moris erat, non bonos, ſed cetera Chriſtianorum turba tutiores arbitratur; ſanos interdum, non raro inſanos, vt ille iocatur. Ex *Iuliano* Apo-

 ſta-

ſtata, *Celſi*, *Porphyrii*, *Luciani*, et aliorum Chriſtiani nominis hoſtium obujis apud Chriſtianos veteres reliquiis, conſarcinat, quicquid in perniciem redundare fidei et religionis veræ videtur poſſe: *Serueti* et *Socini* ſophiſmata pingit, quoquo modo poteſt, Saluatori noſtro longe iniquiſſimus, adeo vt ne quidem dignus ſit manibus, quin nec pedibus, verſari cuiuſquam vel mediocriter Chriſtiani hominis. Quocirca ſimul ac legi, reddidi protinus poſſeſſori eius librum ſacerrimum. Non omitterem alias, cum tibi deſcribendum accurare. Certe religioni quis merito ducat, impium iſtum librum cuiquam mortalium viſendum præbere, vel permittere, vt introſpiciatur a quiquam. Tam eſt petulans ille, et tantum non in extrema Atheiſmi tegula. Videtur breuiatorem agere illic *Bodinus* infandi operis *de tribus impoſtoribus*, quem, neſcio quo ſucceſſu aut fine, *Campanella* olim refellere ſuſcepit. Ita enim confutat, ſicut Præadamita *Peirius* * ſui mutator exſti-

* *Peirerius* ſcribendum erat: quod ſupra *p. 140.* iam monuimus. Quibus adde, ſi placet, quæ *Sarrauius ep. 52.* nuntiat *Salmaſio*; omiſſa *Bailio:*

ſtitit, puta, ieiune, faſtidioſe, eironice. *Gronouii* epiſtolam in eopſe horæ articulo heri ſub noſtrum huc reditum veſperi accepi, quo hanc in vrbem ex noſtra fortuita illa ac ſubitaria profectiuncula reuertimus. Eam en! mitto, quantacunque eſt. Placet *Iſaaci Voſſii* conatus, quo, anſa capta ex ætate mundi, veſtrati Reformationi, autographis Hebræorum et Græcorum Bibliorum codicibus vnice innixæ, vtrumque crus diffringere videtur, dum interpretationi et LXX. et vulgatæ Latinæ plus tribuit et defert, quam iactatis illis originariis textibus, qui exſtant nuſquam. Arridebat tibi eiuſdem *Voſſii* filii auſus in *Carteſii* nouitatem philoſophandi, ſcio. Et *Hobbius* reperit in

Hhh 4 An-

Bailio: *Conuenit me hodie*, inquit, *Peyrerius, dixitque, velle ſe edere opuſculum illud ſuum, quo docere conatur ante Adamum exſtitiſſe alios homines, conſiliumque ſuum eſſe illud tibi inſcribendi ſub hoc titulo*: Nobilis Aquitani Somnium de Præ-Adamitis, *alluſione ſcilicet facta ad ſcomma Grotii. Rogauit, num probarem vt experiretur: ſe nihil de hiſce ſtatuere, ſed tantum ſententiam ſuam modeſte proponere, circa quam inuocaret eruditorum iudicia. Reſpondi, me ad te relaturum. Tu vero ſcribe, quid ei faciendum ſit.* Conf. *ep.* 69.

Anglia, qui ſe refutent; *Gaſſendus* item in Francia: neque aliis nouatoribus deerit Nemeſis; etiam publicæ rei, quam peculiari Numine Dei prouidentia cuſtodit atque tutatur. *Walenburchius* peregre abſens reſpondere necdum poteſt. Proxime fiet. Vale, et Sereniſſimo Principi tuo me humillime commenda, ſi meruero. Tua de nummario negotio perplacent. Miſi *Bæclero.* Lectionum ſyllabus itidem. Quæſo, frequens aliquid de veſtro mitte. Nihil mihi gratius. Ecquando abſoluetur *Grotii* præfatió et ciuilis prudentia? Quid ſpei de reliquo, cuius ſpem facis? *Philippi Labbei* hiſtoriam conciliorum in 4 habeo. Vtinam haberes, et protinus huc remittere poſſes! Sed forſan habes.

CCLXXXVIII.

Idem *Gronouii* cogitata de dignoſcenda Codicum MSS. vetuſtate mittit, et, negotii Lotharingici naturam vt de nouo excutiat *Conringius*, petit.

Moguntiæ d. 23. Iun. 1662.

Heri inter complicandum literas famulus præteruidit *Gronouii*, quas ecce! ſubmitto in præſens. Inde aliquid de diſcretione Manuſcriptorum Codicum

cum iucunda perſpici poteſt *; ſed non contingit medium rei nucleum, ni fallor. Quem tamen facile explicare, ac in vſum rei literariæ conuertere quiuiſſet, ſi tantundem procliuitatis in id, quantum opis ac facultatis, præſto habuiſſet. Eſt ingens Grammaticus et in antiquis libris apprime verſatus. Optem videre eius notationes in *Grotium* de belli iure et pacis. In iis an paria ſibi, puta, an perinde in iis peritus ſit, et ex æquo facere poſſit, quod in re critica et philologica præſtare valet, tute arbitreris velim. Quæ porro, in ſubſidium Gallici cum Karolo Duce Lotharingo contractus, auctor innominatus ** procudit, ea, vtpote illis quæ nuper tranſmiſi, connexa, en pariter ſubmitto, obteſtatus autem vehementer etiam atque etiam, vt, etſi forte cuncta hæc ſper-

Hhh 5 nenda

* Quandoquidem hæc cura hodieque quam plurimos tangit; gratæ forte lectoribus noſtris fuerint epiſtolæ ad hoc negotium pertinentes: quas propterea ſubiicimus ad d. 14. Sept. quo *Gronouii* alteræ ſuperuenient.

** Sunt exceptiones ad argumenta *Conringii*, a neſcio quo profectæ. Quia in promtu ſunt, iſtas adiungere iuuat; tamquam ſpecimen philoſophiæ aulicæ.

nenda ducas, iis tamen, mei cauſſa erudiendi atque firmandi, aliquid reponas, quo inſtar illuſtramento mens mea ſub hocce graui difficultatum non tam a iure, quam a ſtatus tricatione, oriundarum pondere dirigatur, et ab omni erroris ad alios dilabentis diſcrimine immunis ſeruetur. Non eſt ſatis credibile iis, qui experti talia non ſunt, quam iucunda ſit in actu rerum degentibus illuceus alicunde ſtella, qua duce intra rectitudinis et æquitatis oleas contineantur? Ad eiuſmodi monitionum amiciorum ſydera et aſtra affulgentia actiones ciuiles vnice reguntur ſpe fauſti exitus. Vale, et me ama! In cauſſa Lotharingica pulcre agitamur et exercemur. Eſt hic et *Carolus* iunior Princeps, qui matrem, vt heres, ſequi pertendit. Eſt perinde hic et Ducis *Karoli* Legatus, qui legem *Salicam* mordicus defendit; vterque in Galliam animo, qualis facile coniici poteſt. Autor excerptionum ſeu exceptionum ad ea, quæ contra contractum Karolinum dicta ſunt, ſupponit plus, quam velim. *Karolus* Dux ait, ſe illum ſeruaturum, ſi tantundem et Rex faxit. Hic autem quo rationum ſchemate induci poterit, vt totidem ſibi nouos ſanguinis ſui primores adſciſcat, quot fere magna per Franciam nomina clareſcunt? An-

non

non igitur pactio in irritum recidit? Si a parte venditoris Ducis conuentio ſibi adhuc conſtaret, et nil ſupereſſet exquirendum, præter agnatorum ius; tum fortean nonnihil confici poſſet ratiunculis, quas legis. Sed deſinamus curare, vel ceſſemus iſta, donec et alteram partem audiuerimus, quæ ſupra quam dici poteſt diu et peruicaciter, ſi ita loqui fas eſt, ſilet, freta viribus ſuis. Vtinam ſui iuris!

CCLXXXIX.

Non neminis diſcuſſio argumentorum Conringianorum, pugnantis pro valida Lotharingiæ alienatione.

Reſponſio ad 1. argumentum diſtinguit ſignificationem *Principis ſummi ac independentis* non ſatis clare. Vel enim prior ſignificatio pertinebit ad regnum herile, vel ad abſolutum. Vt vera ſit maior, non requiritur, vt Princeps herile imperium in ciues habeat; ſed ſufficit, ſi iura *regia* habet, ſiue, vt clarius et præteritis ambigendi occaſionibus loquamur, ſi iura *maieſtatis omnia* habet. Vbicunque enim populus caret omni participatione iurium maieſtatis, libertatem plenam et quæ

quæ excludat omnem ſeruitutem, ſibi vendicare nequit; ſed eſt in iure atque poteſtate imperantium. At vero Lotharingiæ Dux, reſpectu Ducatus Lotharingiæ, eſt abſolutus et ſupremus princeps, æque vt alius, qui ſolum Deum et enſem recognoſcit. Vt non videantur errare, qui hoc reſpectu ei iura *maieſtatis* tribuunt, idque ſignificari brachii armati ſpecie, quo velut emblemate ad imperii vim et maieſtatem indicandam vti conſueuit, fruſtra diſſentiente *Bodino lib. 1. c. 9.* Atque pro tali agnoſcit eum tranſactio Norimbergenſis. Hæc ex *Limnæi tom. I. addit. ad lib 5. cap. 11. n. 3. p. 885.* Quod ob particulas quaſdam feudo Imperii tenetur, non impedit iura ſummæ poteſtatis, docente *Grotio de I. B.* et P. I. 3, 23. Conferendus eſt *Toloſanus ſyntagm. I. V. lib. 6. c. 1.* Et in contractu venditionis huius non peccat contra dominum feudi, qui rem venditam transfert talem, et tali conditione tenendam, quali ipſe habuit. Denique, quod iuris ipſe venditor habuit, non aliud in emptorem transfert, ſaluo iure tertii. Quid quod feuda pridem deſciuerunt a ſui natura, et patrimonii iure cenſentur? *Alteſerra in originibus Feud. pro morib. Gall. c. 15. p. 332.* An et quale ius Ordinum in Lotharingia fuerit, cui non dero-

gare

gare potuerit *Carolus* Dux, nondum oſtenſum eſt; neque oſtendi, vt puto, poteſt. Aut enim ſumeretur probatio 1) *ex generalibus illis et vagis ſententiis*, quod nullus Princeps poſſit alienare ſuos ciues, niſi volentes: quod omnis Princeps pendeat a voluntate populi, qualia apud *Vaſquium* ſæpe et crude inculcantur. Neque ſana eſt illa locutio, ſi de Principe, iura maieſtatis nacto, ſimpliciter dicam, non habere eum maius ius vſufructuario, niſi expreſſis verbis in delatione regni ita dictum ſit. Comparatiua eſt locutio, et in plerisque partibus applicari non poteſt: aut ſumeretur 2) *ex tabulis conuentionum inter Principem et ciues:* quibus, non niſi productis et examinatis explicatiſque, auctoritas ineſt. Non credo, id poſſe præſtari ab iis, qui impugnant venditionem. 3) aut *ex temporum antegreſſorum praxi et conſuetudine.* Illa autem docebit, puto, Duces Lotharingiæ, et qui quocunque nomine Lotharingiam tenuerunt, libere verſatos eſſe in eiuſmodi contractibus de Lotharingia ineundis, oppignoraſſe, conceſſiſſe, vendidiſſe etc. Exemplum *Franciſci* Regis alienum eſt. Ille pepigit captiuus, et neceſſitate aliter non euitabili adactus. In Regis autem etiam abſolutiſſimi, ſi captiuus ſit,

po-

poteſtate non eſt, de regno contrahere. Tum enim iura Regia non habet actu ſecundo; ſed primo tantum, et in euentum liberationis. In actus ſecundi exercitium ſuccedit tantiſper populus, ſiue Ordines. Aliter enim Reſpublica ſtare non poſſet. *Carolus* Dux Lotharingiæ liber et ſuæ ſpontis contraxit.

Reſponſio ad 2. argumentum mutat vocabula et ſtatum quæſtionis. Non enim quæritur, quid agere liceat, et penes quem non eſt ius aut arbitrium agendi ſtatus publici, ſed ille ſtatus quæſtionis eſt, quis arbitrium ſtatus publici moderandi, ſiue ius regendæ reipublicæ habeat. Hoc ſenſu in omni ſtatu, ita vt nulla exceptio dari poſſit, videtur verum eſſe: Principi *licet*, vel *fas eſt* agere, quicquid exigit ſalus populi. In principatu enim legibus adſtricto, aut ad ſalutem ciuium inſtituto vnice, licebit vtique, niſi lex aliter diſertis verbis conſtituat. In libertate et polyarchico etiam regimine itidem cauſſa nulla eſt, quæ vetet: quod partim agnoſcit auctor Reſponſionis. In Ariſtocratia fatentur Optimates, ſibi ſalutem populi propoſitam. De Democratia nihil attinet dicere. In Oligarchia non video, cur non liceat Rempublicam tenentibus facere, quod exigit ſa-

ſalus populi, quæ vt alias ipſis non eſt propoſita primario, ita cauſſa nulla eſt quæ vetet, eos de oligarchicis ſuis rationibus aliquid remittere, aut illo propoſito ſubinde abſiſtere, ſicut in herili Imperio quid obſtat, quo minus dominanti liceat, vbi vult, ſaluti populi gratificari? Atqui, inquis, non ſeruabitur ſtatus inſtitutus? Sed quid cogit Herum a dominatione herili non diſcedere, ſiue de rigore ſuæ poteſtatis, cuius vnus eſt arbiter, nihil remittere? Id fateor, ad probationem maioris propoſitionis non ſatis conuenienter adhiberi illud, non ſine cautione vſurpandum, quod *ſalus populi ſuprema* cuiuſlibet Reipublicæ *lex* ſit. Sed abſque hoc fulcro ſubſiſtet maior: Quicquid exigit ſalus populi, illud licet Principi abſoluto facere: vt et legibus adſtricto, niſi illæ obicem ponant diſertis verbis et herile imperium exercenti, Minor 2di argumenti ſplendide probari poſſet. Qui enim potentiſſimo Monarchæ ſubiiciuntur, illi longe feliciores ſunt, quam qui infirmorum Principum fortuna moribuſque totiens continuatis calamitatibus ita iactati ſunt, vt vix ad recipiendum ſpiritum breuis illis quies contigerit, aut ad reſurgendum fiducia. Hinc gratulabantur ſibi multi olim populi, quibus licuit ſub Romana manſue-

ſuetudine ſiue magnitudine acquieſcere. In promptu eſſet exceptio, ſi venditi Lotharingi fierent pars populi, lingua moribuſque prorſum diſcordis, et religionis diuerſæ. Sed hic religio, lingua, mores, conueniunt. In reſponſione ad 3um argumentum præcipue ius agnatorum vrgetur, qui iniuria videntur affici. Hic primo videndum eſt, an vt pro ſe, ita pro agnatis ius in Lotharingiam abdicare potuerit *Carolus* Dux, et in Regem Chriſtianiſſimum transferre? Reſpondetur: Non primo et directo, ſed conſequenter; neque abſolute, ſed ſub lege probabilis ſatisfactionis. Indubitati iuris eſt, quod *Carolus* Dux ſuo in Lotharingiam iure cedere Regi, et in eum id transferre potuerit. Contra hoc agnati nihil habent, quod excipiant. Ergo Rex Chriſtianiſſimus conſtituitur in poſſeſſione eius iuris actuali, quod *Carolus* Dux habuit, citra cuiuſquam iniuriam. Id ius, quoniam in potentia tantum, adeoque non niſi in caſum vacantis Lotharingiæ ad agnatos venturum erat, et ita quidem, vt, niſi dato illo caſu, ſiue poſito illo euentu, vindicari ab illis non poſſet, neque Dux *Carolus*, quo minus iure ſuo vteretur, aut abſtineret a tranſlatione, potuit impediri. Igitur poſtquam euentui illi et caſui ſucceſ-

ſio-

ſionis interceſſit hic contractus, conſequens eſt; vt, quia contractus iure contrahentium nititur, nec reſcindi poſſit ſine contrahentium ignominia, nec, quanti ſpes ſucceſſionis interuerſa agnatis redimi debeat, quæratur. Vbi ex parte venditoris nihil aliud deſiderari videtur, quam vt agnatorum iuris rationem habeat, et in contrahendo dicat: Ego ius meum actualiter poſſeſſum, adeoque rem ipſam transfero per hunc contractum in emptorem; ſi ille (emptor) agnatis meis de ſpe, ſiue iure in caſum mortis meæ adipiſcendo actualiter ſatisfecerit. Fecit hoc venditor, accepit conditionem emptor, et implere paratus eſt, vt hactenus nec ex emptoris parte aliquid deſideretur. Ergo hinc ad 2dam quæſtionem deuenitur. An, ſi nolint agnati ſatisfactionem accipere pro iure ſuo, cogi poſſint, et, ſi non poſſint, contractus tamen ſubſiſtat conſenſu eorum deſtitutus? *Vtique nemo tenetur* (inquit auctor reſponſionis) *rem ſuam vendere, etiamſi emptor velit iuſtum pretium dare.* Certe. Sed rem capies actualiter poſſeſſam, ſiue cuius dominio actu ſecundo potior. Nam quod *ſpe* tantum et in futurum et ſub conditione certa meum eſt, in eo poteſt caſus exiſtere, ſiue iuris mei actuali poſſeſſioni intercedere, qui me cogat non

idem, ſed tantundem exigere et accipere. Tenetur enim qui idem dare non poteſt, ad tantundem. Quo caſu, ſi idem pertinaciter exigam, tranſibit ius a mea parte ad alteram, et iniuſta fiet mea voluntas: cuius propterea nec rationem amplius habendam alteri dices. Ad multa non tenemur directe, ſed per conſequentiam, et ad vitanda maxima abſurda, quæ morali æſtimatione pro impoſſibilibus habentur.

Sed non præteriri debet 3tia quæſtio: An agnati recte negent, Regem emptorem iuſtum pretium offerre, aut offerre poſſe? Atque hic non eſt ciuilis moris aut rationis dicere: *tantum Ducatum nulla pecunia vi iure emi, aut compenſari poſſe.* Nam menſura pretii non poteſt ſemper ad abſolutam æqualitatem cum reipſa redigi; verum communi hominum ſententia et iudicio, quod hic regulæ locum obtinet, definitur: nec in puncto, ſed præter propter. Equidem ſi, quod illi dicunt, admitteremus, nulli contractus tales potuiſſent vnquam ſubſiſtere. Quod nemo tamen, vt opinor, volet dicere. Imo in priuatis quoque prædiis ea æſtimationis difficultas occurrit. Si velimus hanc

æſti-

æſtimandæ rei rationem inire, eſſent ſemper quædam inæſtimabilia, curioſius, quam par eſt, agere volentibus; cum interim certum ſit, omnia, quæ in ſocietate et commercio hominum verſantur, aliquo modo taxari, et, vbi rei ipſius natura æquationem omnimodam reſpuere videtur, iudicio viri prudentis aliquam tamen æſtimationem fieri poſſe ac debere. Iam æquitas pretii, quod emptor agnatis offert, facile, puto, demonſtrari poteſt. Pro ſpe ſucceſſionis propiore offertur ſpes ſucceſſionis remotioris, ſed in re longe maioris momenti. Pecunia, dignitates, iura, quæ ad compenſationis æquum modum, vel communi prudentum vel peculiari electorum arbitrorum iudicio non difficulter redigi queunt. Vtut denique defendi hic contractus poſſit; in conſcientia tamen tutius, et ad vicinorum voluntates et omnium Regi conciliandas conducibilius, rem in ſtatu priſtino relinquere, et gloriæ in hoc ac generoſitatis ſeu heroicum actum edere, præſertim cum vim rerum etiam ſic teneat Rex pleniſſime, et, ſaluo vtcunque Lotharingicæ familiæ ſtatu, Imperii Gallici incolumitati roborique nihil decedat.

 CCXC.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CCXC.

Conringius reſpondet ad Lotharingica, *Bodini* librum deſcriptum pro bibliotheca Auguſta petit, et *Iſ. Voſſium* Atheiſmi poſtulat.

Helmſtad. d. 18. Iun. 1662.

Quae narras de negotiis Bonnae geſtis, mirifice me exhilarauerunt, vt et quae addis de conſiliis rerum impoſterum gerendarum. Quanquam enim iam ante nullus dubitauerim de Eminentiſſimi Domini tui in publicam Imperii ſalutem ſerio ſtudio; neſcio tamen, qui hiſce tuis literis videor mihi factus ſolito confirmatior. Sentio et ipſe tecum, patientia ad tempus prudenter vtendum in eo, quod nunc adeo corrigi non poteſt. Indubie vero et tu mecum ſentis, ita adhibendam patientiam, ne videamur non agnouiſſe, aut praeuaricati. Lotharingiam, quantum intelligo, Regia arma iam occupauerunt; redditum iri, non credo. Pinguis et dulcis multum eſt bolus ille. Forte tamen melioribus nonnihil conditionibus poterit Carolvs exul cum Rege paciſci, interceſſu Electorum Principum; ſi non vniuerſi Imperii Ordinum. Nimium innotuit exteris noſtra imbecilli-

tas:

tas: itaque in exiguo Imperium eſt pretio, et vana ſine viribus ira. Proxime mittam neceſſarias animaduerſiones in chartas illas, quibus mihi reſponſum eſt ſiue ſerio, ſiue explorandi aut exercendi me gratia. Mittam tum et plagulas aliquot libelli de ciuili prudentia, qui ad finem properat. *Bodini* librum prorſus abolitum et ipſe velim. Cum ſuperſit tamen; optarim inſpicere, quoniam propoſitum mihi eſt ſingulari libro veritatem religionis Chriſtianæ defendere, et quidem, niſi fallor, *demonſtratoriis ſyllogiſmis*. Si poſſit, te curante, liber ille deſcriptus referri in bibliothecam Auguſtam, ſcio, et Sereniſſimo Principi meo rem te gratam præſtiturum. Itaque hoc vt agas, iterum rogo. De *Campanellæ* triumphato Atheiſmo iuxta tecum ſentio. Videtur homo voluiſſe prodere religionem omnem; non defendere: perinde atque I. C. *Vaninus* fecit edito ſuo Amphitheatro æternæ prouidentiæ. *Gronouii* epiſtolam non miſiſti: exſpectabo proxime. *Iſaaci* autem *Voſſii* libellum tibi placere, doleo; cum non placeat etiam veſtræ partis illis, quos Ieſuiticæ diſputationes ad contemptum Sanctæ Scripturæ nondum ſeduxerunt. Nec tamen crediderim, illum hominem aliud quid animo agitare, quam ad Atheiſmum

viam clanculum munire. Impius enim eſt, et adhuc Atheus, quantum ex moribus et colloquio ipſemet deprehendi, et ex aliis eius familiaribus intellexi abunde: plane diuerſo a Patre ſuo ingenio. Quid ille *Iſaacus* aduerſus Carteſianas nouitates machinatus ſit, hactenus ignoro. Philoſophiæ in illo peritiam non potui aduertere. Mirum igitur, ſi fecerit operæ pretium. Quæ *Gaſſendus* in defenſionem ſui *Epicuri*, de cuius fuit ſecta, aut in *Ariſtotelem* ſcripſit, lecta mihi quidem ſunt; ſed nullius pretii viſa. Gaudeo tamen, reperiri in Gallia ipſa, qui calamum pro veritate velit ſtringere; in Anglia autem, qui principia doctrinæ *Hobbianæ*, apta euertendæ humanæ ſocietati, ſtudeat conuellere. Elegia *Merceri* in *Grotium* placet. Præfationem in tabulas Grotianas quid mediter, cum bibliopola tabularum editionem procraſtinet? Simul illæ ſub prœlo fuerint, præfationem nulla negotia morabuntur. Catalogum Spanheimianum recte quidem accepi. Doceas vero, vtrum illi libri forte ſint venales Heidelbergæ pretio aſſignato. Bonam horum partem iam tum habet Auguſta Bibliotheca; mitto tamen catalogum Optimo Principi, cum tua ſalutatione: commendatione enim non eges.

Labbei

Labbei hiſtoria conciliorum ne fando quidem mihi eſt audita. Dabo operam, vt in manus incidat. Vale!

CCXCI.

Boineburgius patriæ amorem totus ſpirat, *Bodini* librum et *Voſſii* filii animum denuo excecratus, Grotianum elogium deſiderat. Nuntiat quoque, ob arctum patrimonium filium natu maiorem ad ſacram anchoram compelli, vir ditiſſimus.

Moguntiæ d. 4. Iul. 1662.

Eopſe hocce veſpere, quo tuæ mihi redduntur, ad ipſas ecce! continuo reſpondeo. De conſiliis noſtris ne dubita, quin fortia ſint futura, et patriæ ſeruandæ accommoda. Neque nos diffidimus de ceterorum Procerum conſenſione: qua quippe vnice ſtabit Germanica RES. Oligarchicos auſus non eſt cur a nobis timeat quiſquam. Noſtratia enim ad vnum omnia collaberentur, niſi fultura legum ſuſtinerentur. Illi a potioribus et opulentia, et opinione vulgi, et ſuimet fiducia ferocioribus, forte ſunt pertimeſcendi. Nos, contenti iis prærogatiuis, quas Electorali Collegio lex et vetus mos tribuit, porro aut vltra pergere nolumus. Lotharingiam non occupauit Fran-

ciæ Rex, vti apud vos rumor increbuit. Nec omnis decollauit ſpes, eam redditum iri. Animaduerſiones in fortuita illa, quæ pro contractu Karolino tentata ſunt, auidiſſime abs te opperior. Aiunt, in Gallia prodiiſſe inſolens opuſculum pro iure Regis in Lotharingiam *, inibique multum inſaniri ſuper neſcio qua ſomniata, vel affectata Galliæ Regis ſupra Cæſarem noſtrum Germanicum præeminentia **. Vbi libellum fuero nactus, illico eiuſdem vſum et tibi impertiar. Memini legere olim quoque petulans eiuſmodi quippiam. Sed cum talia nec in *Petri Puteani*, neque *Blondelli*

* Titulus libelli: *Remarques ſur la Lorraine pour montrer quels ſont les Princes, qui l'ont poſſedée depuis l'etabliſſement de la Monarchie Françoiſe, et les Droits, que le Roy y peut prétendre.*

** *De la preſeance de l'Empereur ſur les Rois, et qu'il ne la doit point avoir ſur le Roy de France.* Vtrumque ſcriptum partem facit operis, *Divers traités ſur les droits et les prerogatives des Rois de France*, quod integrum demum prodiit Pariſiis 1666. inſertum quoque *Diar. Europ. Parti XVI.* Auctor *Aubrius* quidam fuiſſe dicitur.

delli ſcriptis poſtilla repererim, parui illud molimen er deliramentum facere cœpi. Ceterum et in hac re patientiam ciuilem exerceamus oportet, tantiſper ſaltem, donec appareat, nationibus orbis teſtandum eſſe, nos nihil præuaricari. Ciuilis prudentiæ quod reliquum eſt, id appetenter deſidero. Folium iam iterum vnum tuo miſſu accepi. *Bodini* arcanum librum, angulos non vnos vel retruſiſſimos, bene vbi conquiniſcat, commeritum, non habeo amplius in poteſtate mea. Diſpiciam tamen, num recuperare queam, quo pars euadat Auguſtæ bibliothecæ. Inſtitutum tuum pro veritate vnicæ Chriſtianæ religionis laudo, et diligo ex animo. Deus ad id perficiendum vires tibi et valetudinem largiatur! *Gronouii* epiſtolam, ſpero, interea, dum iſtæ noſtræ literæ mutuum commeant, recte ad te eſſe perlatam. *Iſaaci Voſſii* liber quouſque et in quantum mihi arrideat, nuper ſcripſi. Omnia eius non probo promiſcue. Bene comperi, quali ſit animo, et erga fidem veram affectu. Grotianam præfationem vt conficias, mecumque communices, oro; etſi tabulæ necdum ſint formis excuſæ. In ea amplum ſpatium obtinebis memorandi perinde, atque de ciuilis rei autoribus feciſti, eos, qui communem omni huma-

nō generi philoſophiam iuris ſunt perſecuti: inter quos *Bodino*, *Petro Gregorio Toloſati*, *Petro Ærodio*, *Io. Seldeno*, *Richardo Zoucheo*, *Puſendorſio*, et id genus pluſculis; certe non adeo multis, facile principem caueam tribues. Procul dubio *Iſaacum Voſſium* tu in Suedia videris. Plane alia eſt mente et diuerſa indole ab optimo patre, quem coram cum voluptate ſum veneratus. Naſuta huius æui eſt intemperies nimium. Rodunt Grotianum nomen *Feldii*, aliique. *Salmaſio* complures furibundi inequitant; quamquam et hic multis inſultauerit. Innocentem vero animam, et in libris ſuis vbique tam modeſtum et ſanum *Voſſium*, nemo minus imitatur, quam vnicus, de tot bene moratis nihiloque incultioribus filiis, ſuperſtes iſte. Epiſtolam *Gronouii* forte ſub ictu oculorum nunc obuiam en! mitto, rogoque remittas. Libri, quos *Ezechielis Spanhemii*, qui adhuc Romæ degit, indiculus nuperus oſtendit, venum exhibentur in Italia: vbi Elector Palatinus mihi ſcribit, editum librum eſſe *Elizaldæ* de *vera religione quærenda et inuenienda;* tum et P. *Athanaſii Kircheri* opus *de Latio.* Walenburchius peregre abeſt. Simul huc reuerterit, reſponſum ſuum tranſmittet. Sereniſſimo tuo Principi, meoque Clementiſſimo

Do-

Domino vt me ſubinde commendes, enixe precor. Magno velim, eius inuſitatam benignitatem aliquando me coram poſſe exoſculari. *Labbei* labor in colligendis, et in X. ni fallor, tomos tribuendis Conciliis pulcre procedit. Eorum hiſtoria, in quatuor bene ſpiſſa, ſcio, placitura eſſet. Summe exhilabaris me, ſi frequenter mihi quiddam miſeris de Academico veſtrate penſo. Nihil enim animum meum magis oblectat, quam lectitatio huiuſmodi diſſertationum, cumprimis quæ e tua prouolant officina, tuique ſimilium. Sed deſinere cogor tandem gerrarum. Sum enim occupatus itinere, quod Spiram cogito, vbi filium meum natu primum (duos habeo; quos Deus ſeruet!) facient Canonicum; propediem et heic. Patrimonium ipſis arctum: partiri commode nequeunt. Ideo ad ſacram hanc ancoram perfugiendum. Vale, vir amiciſſime! De Lampadianis quid ſpei? Fortean ea differre voles vſque ad finem Comitiorum, et ampliorem eorum prouentum.

CCXCII.

Conringius, in Lampadianis de ſalute Imperii acturus, *Gronouii*, *Schookii*, *Iſ. Voſſii* et *Labbei* me-

merita ponderat, adiecta epicriſi de cœlibatu iunioris *Boineburgii*.

Helmſtad. d. 14. Iul. 1662.

Animum priſtinum vobis ſtare, fortibus conſiliis ſalutem Germaniæ curandi, nec Oligarchicis inſtitutis animos reliquorum Principum Ordinumque, quod vtinam hactenus factum fuiſſet a nemine! turbandi, vehementer lætor. Nec enim aliter ſalua eſſe Reſpublica poterit. Ne dubites vero, in noſtris ſaltem Sereniſſimis Principibus nihil etiam iure deſideratum iri. Fixum illis eſt, antiquos mores et leges ſeruare; noua ne appetere quidem. Illa quæ ſint, decretum mihi ad *Lampadium* propediem diſputare. Vtinam haberem te ad manum, et liceret mihi tecum de omnibus conferre prius, quam manum ſcriptioni admoueam; certe antequam edam! Quicum poſſim conſultare de tanto negotio, oppido rarus eſt. Omnino vero hunc laborem aggrediar, ſi Deus fauerit, propediem, non exſpectato Comitiorum fine, ſi idem viſum fuerit Optimo Principum, Domino meo. *Gronouianam* epiſtolam autographam reddo, cum habeam apographum. Parum illa facit ad propoſitam quæſtionem, qui ſcilicet poſſit dignoſci

ætas

ætas manuſcriptorum veterum codicum. Delabitur potius ad illa, quinam codices manuſcripti ſint optimi. Quod a prima quæſtione alienum eſt, quoniam *bonitas* codicum non idem eſt quod *antiquitas*, et antiquiſſimi poſſint eſſe mendoſiſſimi. Id quod ipſemet *Gronouius* fatetur, et ego docui in libro de bibliotheca Auguſta illuſtri exemplo Terentiani codicis *pag. 110.* Notam certam vetuſtatis, præter eas, quas ante hac tibi indicaui, nullam video ab illo allatam. Vellem vero ſaltem dixiſſet aliqnid certi de primo initio *chartaceorum* * noſtrorum Codicum, vt et characterum Longobardicorum, quos vocant. Placet tamen epiſtola. Criticus enim et grammaticus perquam felix eſt *Gronouius:* omnibus certe etiam Batauis maior. Seueriorum literarum peritiam hactenus in illo non deprehendi, eoque non etiam mihi de eius ad *Grotium* annotatis multum pol-

* Horum antiquiſſimus procul dubio eſt Terentius ille in charta candidiſſima et craſſiore anno Chriſti clɔ cc xcvii. Pariſiis ſcriptus: cuius mentio fit in *hiſtoria bibl. Auguſtæ p. 227.* Ceteri omnes, quos vel vidimus ipſi, vel de quibus fando audiuimus, decimi quarti ſeculi ætatem non ſuperant.

polliceor. Quicum autem illi certamen eſt, *Martinus Schoockius*, vir eſt vndequaque doctus et inuſitatæ induſtriæ. Hactenus non vacauit vtriuſque de ſeſtertio diſputationes arbitrari: nec tanti eſt negotium; cui multum boni temporis impendas, ſi alia te occupent. *Schoockiana* omnia multum, ſcio, te delectabunt: ſunt enim et varii et vtiliſſimi argumenti. Quod *Iſaacus Voſſius* (quantum intelligo, nec enim illius libellos hactenus vidi) conatur perſuadere, Græcam verſionem Veteris Teſtamenti, quæ hodie ſuperat, ex melioribus codicibus Hebraicis, quam illi ſunt, quos Maſora probauit, tranſlatam eſſe, paradoxum eſt, neſcio an cuiquam etiam veſtræ ſectæ Pontificiæ placens, ſaltem eruditiori. Fateor tamen, longe abſurdiorem mihi videri Voſſiana illa Tridentinam nouitatem, Vulgatam Latinam verſionem eſſe authenticam, et ex hac etiam Hebræos codices noſtros emendandos eſſe. Nec vero ante Tridentinos quiſquam illa ſolemnia delirauit. *Iſaacum* illum iſta eſſe praua indole, certum eſt. Non in Suecia, ſed Hamburgi fuit mihi cum illo dierum aliquot familiaritas; at in Suecia multa mihi de illo ſunt narrata; boni nihil. *Labbeum* nouam parare Conciliorum editionem, lætor. Vereor

reor autem, vt ſit daturus meliorem Romana. Hiſtoriam autem illius Conciliorum, dabo operam vt nanciſcar. Inde enim facile odorabor, quid debeam impoſterum ſperare. Filiis tuis diuinum fauorem opto. Maior natu, ſi ea iam eſt ætate, vt poſſit caſtum cœlibatum promittere, laudo conſilium tuum. Sin; probare non auſim. Nec tamen nomen dare ſacro ordini quidquam vetat, ſi, explorato poſtmodum diuerſo ingenio, liceat reſilire. Quid enim prohibet tentaſſe ſaltem cœlibatum; etſi ſpe ſeruandi fruſtreris poſtea? Scio, te iuxta mecum abhorrere ab impuro illo multorum cœlibatu; nec Deo diffidere, qui nullis etiam ſuppetentibus bonis plurimos ditat. Lotharingicorum memoriam curamque excuſſerunt mihi occupationes. Proxime tamen non morabor amplius, ita confido, deſiderium tuum. Superbos et inſolentes, et ſtultos Gallicorum quorundam Scriptorum pro Regum ſuorum cauſſis tractatus vidi et ipſe iam antehac. Recte autem ſcribis, talia non deprehendi in *Blondellianis* et *Puteaneis*. Nocent illi inepti homines haud parum Regi, eoque miror, talia impune circumferri. Vale!

CCXCIII.

CCXCIII.

Boineburgius ſolutionem obiectionum in negotio Lotharingico vrget, de *Bodini* libro diſpecturus.

Swalbaci d. 24. Iul. 1662.

Tuæ d. 4. Iul. datæ vel eo nomine plurimum me exhilarant, quod, quæ nuper de noſtra in priſtinis pro patriæ incolumitate conſiliis ſtabilitate et Olicharchicarum nouitatum auerſione ſcripſi, optimum verumque in ſenſum es interpretatus. Tua ad *Lampadium* ſumme expetimus, et auiditate plane incredili. Ea itidem mecum admaturari vouet *Bœclerus*, qui heri Moguntia tranſiens me illic allocutus, hodie huc cum *Seckendorfio* venturus eſt. *Wrangelius* hic eſt nobiſcum. Eius viſendi cauſſa huc tranſcurrimus; non aquarum. Eminentiſſimus Elector ipſus fortean octiduum ipſi dabit. In Lotharingica re adhuc opperior iudicium tuum, vberius explicatum. Quæ de legum Romanarum vſu diſſeris, perplacent ſane, vt omnia tua. Introductionem Grotianam in iuriſprudentiam Latine redditam, ne dubita. Suaſi *Blæuio*, vt ſeorſim edat. Iam mittit *Walenburchius* reſponſum. Id quod ecce! ad te curo, de meo nil adiiciens, Interim mecum communicat

D.

D. *Chriſtiani*, Superattendens Reinfelſenſis, quæ *Caluinus* in Rintelenſes veſtrates, cum Caſſellanis et Marpurgenſibus Syncretiſmum moliri creditos, detonauit. Pulcra altercatio! Sed ſuperueniunt, qui impediant, quo minus hic et nunc plura ſcribam. *Bodini* Arcana Atheiſtica laborabo nuncunde adipiſci poſſim. Velim haberentur in Auguſta bibliotheca. Vix ibi reperietur liber æque impius. Vale pancratice, et tuis me ſcriptis frequens erudi!

CCXCIV.

Idem duo Labbeana ſchediaſmata mittens, librorum quoddam *Conringio* proponit commercium, *Bodini* arcana non miſſurus.

Moguntiæ d. 6. Aug. 1662.

Incredibile dictu, quanta flagrem cupiditate videndi reliquum libri de ciuili prudentia. Miror pariter, vnde hoc tuum ſolito diuturnius ſilentium. Id vt quoquo modo interrumpam, ecce! mitto duo ſchediaſmata *Labbei*, tibi credo apprime complacitura. Sed velim, etiam quoque atque etiam oro, vt vtrumque mox remittas. Commodato enim accepi a P. *Gamanſio*, qui te impenſe ſalutat. Dulce eſt, quod a *Labbeo* exſpe-

ctari debet. Felix hoc erit complementum et munimen laborum *Geſneri*, *Lycoſthenis*, *Friſii*, *Simleri*, *Poſſeuini*, *Miræi*, *Voſſii*, *Milæi*, *Lambecii*, aliorumque, de omnigenæ doctrinæ cultu et cultoribus commentantium. Simile quid ante paucos annos cœptarunt *Michael Meiſnerus*, *Leichnerus* et *Reineſius*. Quouſque proceſſerint, neſcio. Hiſtoricam Conciliorum omnium ſynopſin *Labbei* habeo. Is ingens opus molitur, quo omnium Conciliorum acta complecti vult, longe exſuperaturus Pariſienſem Regiam * eorundem editionem; nequid dicam de ceteris, nedum de breuiatoribus, quales ſunt *Coriolanus* et nuper *Bailius*. Bellarminianæ appendices de Eccleſiaſticis Scriptoribus breui prodibunt. *Bodiniana* Arcana nanciſci nequeo, vt pro Sereniſſimo Auguſto exſcribantur. Doleo hoc nomine plurimum. Optarim, legiſſes ſaltem. *Bœclerus* nuper Swalbaci

ea

* Hanc XXXVII. voluminibus formæ maximæ conſtantem cum primum vidiſſet Cardinalis *Banius*, Pontificis in Gallia Nuntius, dixiſſe fertur, miratum ſe, ſi qui iam in Gallia hæretici fierent, poſt catholicæ eccleſiæ dogmata tot et tantæ molis libris in aprico conſtituta.

ea inſpiciendi magna quoque ſpe excidit, neſcio qua poſſeſſoris ſuperſtitione, vel inuidia. Miſit huic ex Anglia *Miltonius*, naſuti *Salmaſii* coecus ille hodieque Londini indulgentia optimi Regis ſuperſtes antagoniſta. Proxime plura. Nundinas interim tui quid allaturas, confido. Valete! Mi Amice! Vſque adeo multum tuarum cumprimis et Helmſtadienſium rerum, quæ iſthic diſputantur atque eduntur, cupiens et appetens ſum, vt nullæ nundinæ præterlabantur, quin, ſi nil earum, vel parum appareat, ex animo iraſcar, ſuccenſeam, quin et excandeſcam. Vt ergo deinceps hoc affectu careamus; ſtipulabor, tua pace, mihi a te ſingulis mercatibus vniuerſa Francofurtum deferenda et aduehenda. Quæ pro vectura, meo tum numerato precio redimam, tibique viciſſim coëmam, quantum illa æquet, de aliis, quos voles, libris. Si hunc contractum in futuras nundinas amplecti lubet, crede, eius te non pœnitebit, et porro faxo, conſtet de *effectiua* tibi ſemper animi mei gratitudine, idque eo *realitas*, quo frequentior fueris in tuis et veſtratibus, imo omnibus, miſſitandis. Cogor abrumpere. Vale, pectus amiciſſimum, mihique indies amandum magis, meo quin cordi proximum! Sed di-

lectior tamen, amice, vbi ciuilis tua in publicum tandem exierit prudentia. Hæccine interminatio num quid proficiat, dubito.

CCXCV.

Idem quid cum *Bœclero*, quid item cum *Erico Mauritio* coram egerit, et de Ante-Comitialibus diſſerit.

Moguntiæ d. 7. Aug. 1662.

Miſi Swalbaco, quæ *Walenburchius* poſtremum replicauit. Non dubito, quin recte ad te peruenerint; etſi perdiu differas me certiorem facere, quid interea factum ſit de reliquis plagulis libri de prudentia ciuili, quas auide opperimur. Fuit mecum his ſuperioribus diebus D. *Bœclerus* magna mea cum voluptate. Tui eſt ſane æſtimantiſſimus amantiſſimusque, idque iure merito. Egi cum ipſo, vt Cæſarum Germanicorum vitas, vti orſus illam vtilem telam eſt, vſque ad noſtra tempora exſequatur. Tum et collocuti ſumus de concinnatione *hiſtoriæ Receſſuum Imperii:* quæ quam neceſſaria ſit ad patriæ legiſlationis et totius formæ interiorem cognitionem rite comparandam, iuxta nobiſcum, et tu quidem omnium optime, ar-

arbitraberis. Fuit etiam nudius tertius hic meis in ædibus D. *Ericus Mauritius*, Profeſſor Tubingenſis, et tradidit mihi diſſertationes binas, quas cupit conſcribere, plures enim ſequi ait; de principiis Iurisſpublici, cumprimis Germanici. Placet vir ille vel ſolo amore ſtudiorum horum, qualia quanti faciam, noſti. Iuris philoſophiæ, prout omni humano generi communis et commoda eſt, quantilla hactenus opera impenſa ſit, et quam plerumque infeliciter, ipſe præ omnibus quam pleniſſime per habes cognitum. Quanquam igitur nec omnes ſatis curate illam rem tractent, aut tractare ſciant; neminis tamen labos in id enauatus non eſt mihi longe cariſſimus. Non omnes *Grotium*, *Seldenum*, *Conringium*, aſſequi valent. Etiam qui infra iſtos ſubſidunt, laudem merentur, et multum proſunt. Symbolæ ſic collatæ rem denique efficiunt. Præfamen tuum in Grotianas tabulas ſummo cum deſiderio exſpecto. In eo multam poteris lucem commodare toti diſciplinæ et doctrinæ iuris eius, de quo loquor. De publicis parum eſt, quod ſcribam. Veſtrates Francofurto procul dubio vniuerſa diligenter et aſſiduo nuntiant. Conuentus ille nunc incipit labaſcere et diſſilire; quamuis necdum alium Ratiſbonæ,

 ne-

nedum meliorem, habeamus in promtu. Ad Comitia præmiſimus vnum Conſiliarium, ne *directionis* officio deſit Eminentiſſimus Elector. Francofurtum autem ei ſubmiſimus et ſuffecimus alium, quo concilium *fœderis*, et in omnem caſum *deputationis* quoque, ſuſtentetur eouſque, donec cum ſpe certi profectus iunctim Ratiſbonam proficiſci poſſimus. E re vtique foret, ſi et reliqui fœderati iſtic ſuos delegatos tantiſper relinquant. Etſi enim Treuir et Colonienſis ſuos auocarint; nihilo tamen remiſſiores inde eſſe debebamus in iure noſtro tutando. Non certe prima nunc hæc eſt ipſorum a nobis ſeceſſio. Mauſimus tamen vna, eorundem reditionem linquentes in medium. Ceterum ſignifico, Cæſarem inter et Regem Galliæ mutui per literas, quod hactenus nullum fuit, commercii inſtaurationem factam eſſe, et ita ad firmius pacis ſolidamentum nouo, vt ſperamus, et durabiliora fundamenta iaci cœpiſſe. Deus eam ſeruet! *Wrangelius* cras ad nos redit Swalbaco, ſtatim in Suediam perrecturus.

CCXCVI.

Conringius hiſtoriæ Receſſuum Imperii difficultatem agnoſcit, et periculum e ſoluto conuentu Francofurtano.

Helm-

Helmſtad. d. 6. Aug. 1662.

Ad Swalbacenſes tuas reſpondi Wolfenbutteli d. 29. Iulii: quin igitur eas iam tum vna cum tribus plagulis acceperis, haud dubito. Id præter opinionem eſt, quod prius, quam illæ aduenirent, *Baclerus* iam diſceſſerit. Iuſſeram enim ſaluere virum ſane doctiſſimum clariſſimumque. Vtinam velit, aut per negotia (ſola enim hæc poſſint eſſe impedimento) poſſit præſtare, quod promiſit, hoc eſt, poſſit velitque nobis dare vitas Cæſarum poſt Ottones! Multum autem vereor, ne fruſtra hoc ſperemus. Concinnatio *Hiſtoriæ Receſſuum Imperii* opus eſt magis arduum, nec temere aggrediendum, niſi illi, qui ad intimam Imperii rerum notitiam addiderit plenam ciuilem philoſophiam. Quorum numerus oppido eſt rarus, præſertim cum pro labore odium et pericula fuerint in præmium exſpectanda. Nomen ipſum *Erici Mauritii* mihi hactenus ignotum. Si bene tamen de principiis Iuris illius publici diſſeruit, facile iudicaueris, quid habeamus nobis polliceri. Noſter bibliopola ad Grotianas tabulas edendas iuſto tardior eſt, eoque nulla mea culpa nec præfatio, quam deſideras, ſtatim comparet. Conuentum Francofurtenſem abire in partes, doleo. Ve-

reor enim, ne et Ratiſponenſium Comitiorum ſpes decollet tandem, ſimulac a Turca periculum magnum ceſſauerit. Audiui ſane ante hoſce dies ſex ab Electoralibus Brandenburgicis Legatis, quibuſcum Sereniſſimi Principis mei iuſſu iuxta alios de quibuſdam negotiis egi in vicino oppido Wernigeroda, prorogatum Comitiorum exordium in menſes tres. Id quod ſi ita eſt, vereor equidem, artes Aulæ Viennenſis ne quid monſtri alant. Laudo ſummopere, quod Eminentiſſimi Domini tui prudentiam nondum inducere potuerint ad diſſoluendum *deputationis* et *fœderis* conuentum. Speraſſem parem ſaltem in Colonienſi conſtantiam. Commercium literarum inter Cæſarem et Gallum cœpiſſe, vehementer gaudeo. Saltem enim proderit paci publicæ, et ſuffocabit in herba quaſi, quicquid ex durioribus illis Grauellianis literis enatum iam fort● erat mali germinis.

CCXCVII.

Boineburgius ciuilem *Conringii* prudentiam et D. *Alexandri* laudat.

Francofurti d. 19. Aug. 1662.

Heri *Wrangelius* Maguntiam rediit, quem hic allocutus, nunc eodem reuertor. Eminentiſſimus

mus cum illo in Rhingauiam nauigabit; inde illo Coloniam, et ſic in Batauos. Dolemus et nos de exili ſucceſſu rerum Viennæ Suedicarum. Speramus autem, adhuc medelam poſitum iri incommodis illis. Brandenburgicus nimius eſt. Nihil amplius dico. Quæ *Walenburchio* reſcribis, ea ſemper erunt pergrata. Plagulas de ciuili prudentia accepi. Quæſo, ne iuſto ocius filum abrumpas, ſed expleas, obſecro, omnium intelligentium deſideria, quæ ſane ſunt de hoc opere eximia et magna. Plura propediem. De publicis, et iis, quæ Moguntiæ acta ſunt, referet largiter D. *Alexander*, quem virum indies magis magiſque diligo et æſtimo. Vale, meque Sereniſſimo tuo humillime commendare ne ceſſa!

CCXCVIII.

Idem *Bœclerum* ad hiſtoriam Receſſuum Imperii accinctum nuntiat; tum cauſſas pertexit, quare conuentus Francofurtenſis ſolui non debeat ante inchoata Comitia.

Moguntiæ d. 24. Aug. 1662.

Cum ante triduum Francofurti forem, tuis reſpondi, ſolito quidem breuius; ſed ita tamen, vt

 ſcire

ſcire poſſes, eas recte fuiſſe curatas. Nudius tertius ſuperuenere alteræ, d. 6. Auguſti ſt. v. exaratæ. Si quæ ad *Bæclerum* quandoque ſcribere voles, quæſo, me vti dignare internuntio et procuratore epiſtolarum inter vos commeantium, eo vtique pacto, vt vel eas reſignare liceat, vel inobſignatas nanciſcar, ſub mearum poſtmodum operculo porro permittendas. Hoc ſubiicio, quo videas, quanta veſtrarum communicationum appetentia flagrem. Scio quippe, inde et multam curis meis ceteris leuationem acceſſuram, et plurimum me indidem proficere poſſe. *Bæclerum* crebro admoneo, ne nobis diutius inuideat reliquam Germanicam ſuam hiſtoriam. Nemo, ſi te vnum excepero, noui, huic inſtituto magis accommodum. *Receſſuum hiſtoria* vt paullatim ſuccedat perinde, ſtudio ipſi erit cordique. Abs te modo contendimus, vt te ducem nobis præbeas, et ſignes quædam veluti ſydera aut aſtra, quæ ſequi, et quorum contuitu regere talium concinnator ſuam poſſit ſcriptionem: Forte ſubminiſtrari e noſtrate heic Archiuo, quinimmo et ex ipſomet Vienneñſi, poterit multa rerum eo aptatarum congeries, qualis alio tempore poſthac nunquam impetrari vel obtineri a quoquam alio fuerit qui-

tum,

tum. Grotianarum tabularum lenta progreſſio me non adeo afficit, dummodo proœmium tuum pellegendi copia temporius ſuppeteret. Aſt quid te fodico nouis laboribus aſſumendis, cum necdum iamtum ſuſcepti, ac ſpiſſo cum pondere humeris tuis innatantes, et hodieque pluſquam teſtudineo paſſu gradientes, exitum reperire videantur poſſe. Ita enim opus de ciuili prudentia, tum alterum, Lampadianum puta, incedendo excreſcunt, et productiora ipſo greſſu ſuo euadunt, vt abſolutionem ſui ægre ſint hoc fortaſſis anno receptura. Quicquid fuat; te rogo denuo, quam poſſum obnixiſſima prece, ne velis nimium feſtinare librum de prudentia ciuili. Quo enim grandior et longior fuerit, eo quoque et melior, et mihi ſane gratior erit. Vnum addo, quod petitu nouo contendere audeo, vt Lampadianis notationibus parem præfigere velis iudicationem et recenſionem optimorum iuris moriſque noſtri publici auctorum, cuiuſmodi de politicis iam legitur in aureolo libro de ciuili prudentia. Conuentus Francofurtenſis videtur collabaſcere quidem; ſed ſpero omnia reparatum iri, vbi Colonienſis redierit. Quod ſe facturum, in poſtremis ſuis ad me literis promittit. Scripſit quoque ad ipſum E-

lecto-

lectorem Colonienſem Eminentiſſimus meus, quanto potuit, adniſu, et bonorum in id argumentorum recenſu fretus, ampliſſimam cohortationem. Comitiorum inchoationem dilatam eſſe, nondum accepimus. Hoc vero conſtat, inducias cum Turca pactas, neſcio cuius proluſiones pacis. Hancce coituram ſemper arbitratus ſum; ſed ecquando ſit certa futura, vix hac hieme didicerimus. Solent enim Turcæ, qua ſunt vafritie, Cæſarem caſſis euentu ſpebus inflare, et ſubinde noua morarum nomina conquirere, quo et facultatem ſibi bellandi integram ſeruent, et vicinos grauibus impendiis degrauent atque diuexent. Vereor itaque, vt miniſtri Viennenſes in ſolidum ſecuri ſint ſuæ felicitatis, quam largo hiatu ſibi promittunt. In eo facile aſſentior, pace certo coïta Comitia parum iri promotum. Allaborabimus tamen, vt ea fiant, quorum confectione indiget apprime Germanicæ rei incolumitas, et ſine queis animorum et voluntatum inter tot in diuerſum propendentes proceres conſenſio, vnicum fidei publicæ et tranquillitatis communis ſolidamentum, firma perſtare plane nequit. Interim caueamus, ne neutrubi conuentus ſit legitimus, et, ne cum Æſopo Ratiſbonenſem quæritando et ambiendo, præ-

præter vmbram et inanem bullam nihil inueniamus, et amittamus Francofurtenſem. Eo enim modo væſana illa tranſlationis molitio, cum qua belua quanto certamine depugnandum fuerit, iuxta mecum tenes, vel poſtliminio in rem, opus et effectum transferretur, idque a debellatis rerum nouarum, quos horremus, cocionatoribus, certe cum maximo et negotiorum Imperii intertrimento, et noſtrum omnium dehoneſtamento. Ceterum de his rebus ego vlulas Athenas. Maneamus Francofurti, donec Comitiorum reipſa illuxerit incoamentum. Si qui ad ea in anteceſſum præmittere vnum alterumue delegatorum ſuorum malolent; bene: modo Francofurti conuentus itidem et ex æquo perduret aliquantiſper. Abſque enim Conuentu, abſque ærario, et citra Duces militares, fœdus noſtrum nil profecto erit, niſi vanum nomen, et perridiculum ludibrium. Sine autem fœdere quidnam ſolidi boniue in Comitiis exſpectari, pro rerum omnium inſtauranda rectitudine, poſſit, ne ii quidem ignorant, qui cunctarum ſalutarium notionum de republica ceteroqui affectatam ſolent profiteri inſcientiam. Saltem Principibus parum ſuperabit veroſimilitudinis, ſua ſibi iura iri recuperatum, fœdere collabente,

bente, vel, quod tantundem eſt, concilio fœderatorum ſoluto vel ſublato. Verum equidem eſt, Ratiſbonæ de fœderis ſtatu nihilo inefficacius inſtitui collationes poſſe. Verum contra et certius eſt, ibidem quoque procliuiores eſſe infirmioribus et magis obuias occaſiones fore diſſiliendi in partes, et faciendi coitiones cum illis, qui nihil ſane pari appetitione pertendunt, quam huius honeſtiſſimæ conſociationis diſſociationem. Quæ quam nunc futura ſit intempeſtiua, cordati et vſu edocti ad ſatiem intelligunt. Accedit alia ratio, quare Francofurti conuentus retinendus aliquanto diutius ſit, quoniam iſtic ad *deputationem* redigi recta poteſt, ſimulac compertum fuerit, Comitia extrahi in longum, et ea eouſque proferri, donec temporis quæſtus recens prodeſſe in aduerſum enitentibus opportunius queat. Sed hæc inter nos vnos ſoloſque. Nolim quippe in conſcientiam cuiuſquam alius hæc mea ſenſa deuenire vnquam. Facilis enim hodie offenſio eſt, etiam amicorum, eorumque, qui eadem alioqui et ſentiunt et factitare debebant, ſi ſaperent. Certe ſi ſemel Moguntinus perſpexerit, ſe a ſociis derelinqui; ſi vel ſemel, adactus ceterorum vel debilitate vel fugacitate, vel cupiditate et inſolentia;

(en!

(en! virtutes non vnius, nec omnium promiſcue, ſed tributas in capita!) hac fœderatione et ſocietate euolutus et exemptus fuerit; impeditiſſima ſane erit eius in regiam reditio, inque rectam viam reductio. Pleriſque vtpote adeo dulcis eſt priorum conſiliorum inſaniſſimorum illorum recordatio, vt in ipſorum cœnum relabi et recidere non dubitent, vnde profecto pedem efferre aliquando et reſurgere ne quidem, quando ſerio volent, poſſint. Contumaci etenim eiuſmodi luto infixi et defoſſi, vnum ſi pedem commouerint, altero mergentur infinito profundius. Ceterum ad alia. *Wrangelius* ante triduum e Ringauia deſcendit Coloniam, et ſic porro Amſtelodamum. Elector ipſum comitatus Bungam vſque, heri demum reuertit huc. Omni illum excepit et habuit comitate. Neque dubitabis, quin nobis cum Septentrione bene conueniat. In Gallia antiquum obtinent. Rex ætatem nondum habet parem tantis ferundis ponderibus, quæ ſibi ſoli adciſcit. Miniſtri ſunt *Franci*, vno verbo. Vtinam *Mazarinus* foret ſuperſtes! * Nil addo am-

---

* Suſpiria hæc expreſſit forſan frigeſcens ſenſim *Lionei* amitia.

amplius. Arcana Bodiniana quæram, vel repetam, ſi potero. Proxime plura. Valete!

CCXCIX.

Conringius abſolutionem ciuilis prudentiæ nuntiat, literas a *Chriſtophoro Forſtnero* accepiſſe ſe gaudet, et in conuentu Francofurtenſi conſeruando *Boineburgio* adſtipulatur, Bodiniana Arcana denuo flagitans.

Helmſtad. d. 21. Aug. 1662.

Ad literas Francofurtenſes ſtatim reſpondiſſem, niſi defuiſſet, quod adderem ex noſtro typographeio. Addo nunc plagulas duas, idque vt videas, operi illi tandem abs me impoſitum finem. Conſcripſi ſcilicet iam etiam præfationes: alteram dedicatoriam ad Optimum Principem meum; alteram ad Lectorem. Eſtque iam tum vtraque in officina typographica. Sub finem annectetur operi index locuples, ab aliquo auditorum meorum confectus. Atque ita tandem liberabor ab tædioſo illo labore, cui, fateor, nunquam addidiſſem ego colophonem, niſi tu ita vrſiſſes. Tradidi iam tum typographo eiuſdem argumenti librum alium; ſed breuiorem et magis popularem,

qui

qui itidem breui, ſpero, prodibit in lucem. Animus eſt nunquam temere redire ad illa propædeutica; quamuis per quam ſint vtilia: ob tædium ſcilicet et facilem offenſam. Nec vero, cum cenſuram inſtituerim Scriptorum politicæ prudentiæ inſeruientium, quidquam dubito, multos me offendiſſe. Eoque noli me rogare, vt in publico perinde diſputem de Scriptoribus reipublicæ Imperii Germanici. Generatim tamen dicam ea, vnde in facili fuerit, de quouis ferre ſententiam. Omnino vero, ſi Deus fauerit, iam aggrediar ad *Lampadii* libellum. In quem commentanti vtinam ſit ad manum veſtrum Archiuum! Quæſo vero, doceas me, num ibi lateant monumenta, quæ ſint Aurea Bulla Caroli IV. priora, eaque bonæ fidei? De *Receſſuum Imperii* hiſtoria concinnanda diſſerui ante hoc triduum, magno auditorum aſſenſu. Repetam hæc et alia in Prolegomenis ad Lampadium. Vtinam huic negotio manum velit admouere *Chriſtophorus Forſtnerus!* Nemo ſane illi rei fuerit aptior. Lectas tibi haud dubito eius aliquot epiſtolas, vt et ad *Tacitum* annotationes, plenas prudentiæ atque eloquentiæ. Nu-

per ab illo literas * accepi: vt proinde in poſterum ſit nos inter futurum aliquod per literas commercium. Si quid ad *Bœclerum* curandum fuerit, mittam tibi, prout deſideras. Vt ad publica veniam, vereor iterum, ne patiamur nobis verba dari ab Auſtriacis Miniſtris, et vbi diſſolutus fuerit conuentus Francofurtenſis, illi de Comitiis nihil amplius ſint vrſuri. Si quid ſubeſt de periculo belli Perſici, non dubito, pacem compoſitum iri cum Turca. Vereor tamen, ne hactenus ſit incertus rumor. Alioquin enim iamdudum ex Europa vires ſuas in Aſiam Turca conuertiſſet, cum miles Aſiaticus ſolus Perſæ ſit impar. Supra, quam eſſari poſſum, placent mihi, quæ prolixe diſſeris de Statu Germaniæ. Omnino enim tecum conſentio, fœdere illo ſtare Germaniæ ſalutem; illud vero, diſſoluto iſto fœderatorum conuentu, breui periturum. Non poteris itaque rectius de Germania mereri, quam illis conſiliis. Vtinam a Colonienſi etiam poſſint ita perſpici, quam ſit a ſapientiſſimo tuo Hero et Principibus noſtris!

Quod

* Eas, quippe occaſione Antimachiauellicorum ſcriptas, habemus *Conring. Oper. t. 2. p. 982.*

Quod *Wrangelius* adeo benigne fuerit habitus, cedet, ſpero, magno Germaniæ bono. In alia omnia eunt noſtri Brandenburgici; forte vero ſuo magno malo. Quod tamen tolerabile fuerit, ſi non Germania omnis cogatur luere paucorum ſtultitiam. In Gallicis Miniſtris apparent vitia antiqua gentis. Dum autem nemo non adulctur Regi iuueni, quid mirum, illum plus iuſto ſibi confidere? Arcana Bodiniana non equidem deſidero, niſi in complementum bibliothecæ Auguſtæ. Cui cum tu etiam ſtudeas, haud negliges illorum recuperationem. Vale!

CCC.

Idem cum dedicationem, tum præfationem ciuilis prudentiæ denique mittit.

Helmſtad. d. 1. Sept. 1662.

Addo nunc primas duas plagulas operis de ciuili prudentia: quarum altera dedicatoria eſt ad Optimum Principem; altera continet præfationem ad Lectorem. Nihil nunc reſtat præterquam Index, quem magno ſtudio conficit quidam Audito-

rum meorum, et iam iam prælo committetur. Publico etiam compendium illius operis in vſum eorum, qui prolixa illa non ferunt. Huic autem addere eſt animus *Scioppii* Pædiam politicam, *Naudæi* bibliographiam, et *Chriſtophori Coleri* epiſtolam. Hiſce ſi adiungatur mea in Ariſtotelis politica introductio; forte nihil, certe parum, deerit pædiæ politicæ. Quo de argumento vtinam in omnibus diſciplinis aliquid integræ operæ exſtet! Certe grauiſſimi in dicendo pariter et diſcendo committuntur paſſim errores, ſola pædiæ ignorantia. Conſequens vero iam fuerit, vt impoſterum, quoad licet, perficiam, quas cœpi, ad Lampadium annotationes. In quibus conficiendis deeſt quidem mihi opera tua; ſed tamen nec video, qui perinde iuuare me queat, alium. Vale!

CCCI.

Boineburgius, Lampadianis fauentem Lucinam precatus, de bello Turcico, et de conuentu Francofurtenſi diſſerit, *Chriſtophorum Forſtnerum* magni faciens.

Moguntiæ d. 8. Sept. 1662.

Tuas d. 21. Aug. datas cum adiunctis binis plagu-

gulis iam recte accepi. Gratulor, opus hoc tandem felice exitu terminatum, multis profuturum. Qualis ille liber ſit, quem eiuſdem argumenti ais te prælo ſubieciſſe breuiorem, populariorem; id vero reſcire perquam aueo. Cenſio Scriptorum politicorum amœna eſt, recta et ſolida, neque offenſura, niſi omnium rerum inſcientes et væcordes. Quæſo, ſta promiſſis, et mecum communica ſeorſim cenſuram quoque MStam, in neminis oculos vnquam venturam, ſcriptorum iuris noſtri publici. Scis, quid mihi velim. Obſecro, exaudi me. Vt publices talia, non ſim autor. Sed per literas mihi vt ſignes, quid vetat? Lampadianis laboribus felicem Lucinam precor. Deus eos magis faxit feſtinos, atque contigit ciuili prudentiæ! Si qua e noſtrate Archiuo poſces, non recuſabo operam; quin præſtabo: modo notes quid velis. Monumenta Auream Bullam Karoli IV. antecedentia inquiri iubebo, et te certiorem faciam propediem. Quæ de *Receſſuum hiſtoria* diſſeruiſti, ſodes, imperti, vt legam. Remittam continuo. Tua enim in Lampadium prolegomena vereor ne iuſto ſerius exeant in lucem. Noui lentefeſtinantes operas, ne quid de te ipſo dicam. *Forſtnerus*, verum eſt, huic operi par eſſet. Tenta-

tabo virum. Forte expugnari ſinet ſe. Eius omnia legi, ſuique ſuaſor pene ſolus, vt nuper, quæ ad *Tacitum* deerant, integre ederet. De Turcicis rebus conticeſcunt omnia. Inducias habet Cæſar. De pace ſperat ſucceſſum; ſed paces iſtiuſmodi quid diſtant induciis? Noſtri militis reliquum ex Hungaria auocauimus, dimidio mulctati. Forte non inſontes. Quare enim ita ſine cura legum præfeſtinauimus auxilia? E Creta ſcribit mihi exeunte Iulio *Palatinus Sulzbacenſis*, qui Suediæ Regi *Karolo Guſtauo*, vt noſti, carus exſtitit, Venetos ſuos miſero plane ſtatu eſſe, adeoque magnopere verendum, ne et ipſi Turcæ pactionem pacis, licet ingente Chriſtianæ rei damno, obtrudant, ſimul ac compererint, Cæſari bellum adeo diſplicuiſſe, vt qualemlibet pacem a Turca emendicatam malit. Quid ſub his integumentis actionum ſatis ambiguarum lateat, mox dies pandet. Comitia ſerio cogitari, credunt, qui magni faciunt Saliſburgenſis aduentum. Properant Doctores noſtri Ratiſbonam, parum gnari artium aulæ, quæ Francofurtenſis conuentus diſſociatione nihil habet antiquius aut potius. Grotianæ tabulæ an prodibunt adhuc, et quando? Eas vnquam vulgatum iri dubito, niſi tu calcar ſubdideris ſegni

gni typographo. Sed finire cogit imminens turba et curarum et hominum, quæ interpellant plura ſcribere meditantem. Vale et faue!

CCCII.

Idem mittit librum Gallicum, forte *Auberii*, ad perluſtrandum.

Francofurti d. 11. Sept. 1662.

Mitto hic libellum, argutum quidem, ſed multis nouis et fatuellis gnomis facetum. Ergo, tuum ſuper eo iudicium mihi ſcribe. Sigillum ſecreti fideliter ſeruabo: Vt et de cenſura Scriptorum iuris publici, quam in dies exſpecto. Vale et ſcribe, num meas omnes recte acceperis. Libellum hunc ſi ita tuum cenſeas, vt meo petitu ad me reuerti ſinatur, multum me tibi obligabis. Si autem aliunde eius copiam nactus fuero, tuus manebit.

CCCIII.

Conringius indicem Scriptorum *Philippi Labbei* laudat, Bodiniana habere, et ſtatum Archiui Imperialis noſſe deſiderat.

Helmſtadii d. $\frac{5}{15}$ *Sept. 1662.*

Accipio vno hoc eodemque momento, quas et 6 et 8 Septembr. dediſti. Labbeana, quæ addidiſti, perluſtraui quidem; non tamen niſi currente oculo. Iamdudum placuit mihi viri ſingularis diligentia, cumprimis circa rem bibliothecariam: quo nomine mihi etiam eſt laudatus publice in epiſtola de bibliotheca Auguſta. Eius tamen operum apud nos quidem nihil habetur, idque bibliopolarum ſocordia. Si proximis nundinis comparuerint alicubi, ſaltem liber xxx octauus, ſiue ſpecimen nouæ bibliothecæ MSS. librorum, vt et Appendicis primus *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, ac tertius *Abaci Chronologici* nomine; quæſo, bibliopolis noſtris ſis auctor, illos noſtrum in vſum huc adferendi. Nec enim mihi hactenus hæc videre contigit, præterquam ſpecimen illud nouæ bibliothecæ. Reddo hac vice catalogum Labbeanum. retento mihi in aliquod tempus librorum *affectorum* indice, quia habetur etiam pag. 51. num. 24. et ob breuitatem temporis hactenus a me expendi ſatis haud potuit. Si fas eſt, rogabis virum doctiſſimum, meo etiam nomine, vti pergat in præclaro illo et vtili inſtituto; præſertim quoniam hactenus nemo operam huc contulit, et tamen nuſquam rectius quam Lute-

ſtetiæ, a nemine felicius, quam ab aliquo Ieſuitici ſodalitii, expediri hoc quicquid eſt negotii poſſit. Idem hoc vti vrgeat *R. P. Gamanſius*, velim equidem. Vtrique precor ego firmam valetudinem et plurimam ſalutem. De *Michaelis Meiſneri*, *Leichneri*, et *Reineſii* ſimilibus laboribus, nihil hactenus inaudiui. Credo etiam, illos vix aliquod operæ pretium præſtituros; quanquam *Reineſius* plurima polleat doctrina. Bodianorum arcanorum impetrandorum ſpe nos excidere, doleo. Si ſcirem, quis eorum ſit poſſeſſor, forte apud illum auctoritas *Auguſti* Principis mei aliquid efficeret. In conficiendo indice, addendo libro de ciuili prudentia, quoniam adhuc deſudat diligentiſſimus iuuenis, nihil eius adhuc eſt ſub prælo. Mitto autem plagulas duas annotatorum ad *Lampadium*. Ideo maxime, vt ne mihi ſis hodie moleſtus flagitanda cenſura librorum Iuris noſtri publici, cum ex iis, quæ initio ſtatim de libello Lampadiano notaui, facile quis emunctæ naris collegerit, quid de aliis ſit ſtatuendum. Mihi omnino animus eſt, non mouere manum ab hoc opere, niſi iam finito; quanquam multa ſubinde me abducant plane aliena: ſicut hodie binas diſputationes ſatis prolixas Audito-

torum meorum prælo itidem commiſi. Propoliticorum librum, cuius iam duæ priores plagulæ ſunt typis excuſæ, non niſi integrum mittere eſt ſententia. Res Hungaricæ, vereor, ne quid alant monſtri. Quin Veneti tandem ſint ſuccubituri pertinaciæ Turcicæ, non dubito; idque cumprimis defectu nerui bellici, in illa vectigalium publicorum egeſtate, et nuſquam comparentibus firmis auxiliis. De Grotianis tabulis rem omnem narrabit noſter bibliopola. Si Archiui Moguntini aut Imperialis ſtatum mihi narraueris, cumprimis, qualis ille ſeſe habuerit ante Carolum IV. aut Fredericum potius III, optime de me et publico mereberis. Quod ſi *Forſtnerum* quoque adduxeris ad hiſtoriam rerum Germanicarum ſcribendam, profecto plane nos felices prædicauero. At vereor, ne ſenium vetet rem tam magnam vel inchoare. Vale!

CCCIV.

Boineburgii ſuſpiciones de Comitiis parum certis.

Moguntiæ d. 14. Sept. 1662.

Meas pluſculas hactenus recte acceperis. Iam occurrit argumentum neceſſarium ſcribendi. Ratiſbona mihi ſignificatur, Comitia necdum adeo

eſſe

: in propinquo; etiamſi Archiepiſcopus Saliſ-
genſis iſtuc venerit. Cogitari, et ſubinde pro-
quod ſub incude eſt, dum Cæſar de pace cum
rca nondum vſquequaque ſecurus eſt, ipſe
que propoſitioni prodeſſe forte velit, interea
utationis conſilia et concilia agitanda, et vel
os treſue tales conuentus agendos eſſe, ne ni-
fiat. Illos etiam, qui hæc molimina ſemper
erunt, ad vtramque et *deputationem* et diætam
ıdata hodieque in manibus habere. Probabile
ue eſt, vbi maiore numero, præſertim *Depu-*
, iſtic coïerint, fore, vt priſtina *deputatio-*
materies refingatur, et proiectis in medium
us Comitia extrahantur eouſque, donec com-
lum ſit iis, qui iam habenas rerum moderari
ıt. Sed hariolationes iſtæ ne mihi fraudi ſint,
idebis. E re interim eſt, Francofurti no-
manere, vbi, ſi qua ſecus eueniant, non
ɔ fœderis negotia, ſed et *deputationis* tracta-
;itime, et maiore cum fructu, ſaltem mino-
orarum faſtidio, et tolerabiliore rerum noſtra-
iactura, ac ſine dehoneſtamento nominis, illi-
ordinum iuribus, poterunt. Intelligentes
ermanici moris multo vſu periti, vt de me-
in omnem caſum cogitent, per eſt neceſſe.

Addo

Addo hic literas *Gronouii* *, quas heri veſperi mihi tradidit, qui in iis commendatur. Multa ipſi adhuc dum res eſt cum *Schookio.* Dicitur et *Deuſingius* in eum inuolaturus. De *Lambecio* quid modo agitet, diu eſt, ex quo nihil accepi. An *Geſneri*, *Simleri* et *Friſii* labores proſequatur, nec ne, velim alicunde reſcire liceret. Ipſi plus ſemel ſcripſi; ſed reſpondere differt. Par labos olim a *Michaele Meiſnero*, et nunc a *Leichnero* quodam Erſurdiæ, tum præcipue a doctiſſimo *Reineſio* creditur ſuſceptus eſſe. *Alegambi* breui quoque accedet nouum ſupplementum Ieſuiticum integri vicennii. *Labbei* conamina iam videris. Laudem meretur eiuſmodi induſtria. Vtinam ad iuuentutis notitiam, nonnihil ſolito temporius exſtantiorum omnium retro librorum recenſu collocupletandam, prodiret aliquando commentatiuncula tua pulcherrima, et multæ frugis pleniſſima, de

* Alteras ſcilicet in negotio dignoſcendarum veterum ſcriptionum a Gronouio exaratas. Vnde iam tempeſtiuum videtur, vt omnium de hoc argumento ſcriptarum literarum faciem exhibeamus, quarum mentio fuit ſupra p. 681. 689. 693. 705. 857. et in primis p. 876. 877.

de Scriptorum ſucceſſionibus et omnigeno eruditionis progreſſu. Egregium ſic illuſtramentum compendio enaſceretur eorum, quæ *Verulamius* deſiderat, *Hottingerus* optat, *Milæus* delineat, *Voſſius* ex parte perfecit, *Naudæus*, *Miræus*, *Lambecius*, *Labbeus* aliique cœperunt moliri. Vt videas, quæ ſcripſi ſupra, eſſe expendenda, ecce! mitto quæ mihi ſcribit noſter ablegatus. Sed remitte, quæſo, et omnes hoc autographum cela.

CCCV.

Excerpta ex literis *Boineburgii* ad *Io. Fridericum Gronouium* et *Hottingerum*, de notis, e quibus dignoſci queat vetuſtas librorum latinorum manuſcriptorum *.

Accidit nonnunquam, vt in libros MSS. incidam vel in bibliothecis publicis, apud amicos, aut vero etiam ſi qui in vicinis nundinis Francofurtenſibus venales exponuntur: vt fit quandoque, cum ex ſpoliis monaſteriorum Imperii multi libri MSti in eorum manus inciderint, qui nullam eorum habent peritiam. Mihi vero volupe fuerit, ſcire, quomodo libri vere antiqui a recentioribus dinoſci poſſint. Intellexi, eos, qui magnum libro-

* Huius epiſtolæ mentio facta eſt *p. 689*.

brorum MStorum habent vſum, quique Galliæ et Italiæ bibliothecas perluſtrarunt, tam eſſe ea in re peritos, vt pene coniicere poſſint, quo quiſque ſeculo liber ſit ſcriptus. Quoniam vero nihil me legiſſe memini, qui de eo quicquam ſit commentatus; an ſit aliquis, qui illam artem dignoſcendi libros MStos vulgauerit, an vero vſu tantum addiſci poſſit, id ſcire peruelim. Quodſi nemo eſt, qui id tradidit; tradi vero poteſt: vt id me doceas, rogo. Hoc, vt arbitror, maxime fuerit neceſſarium ſcitu ei, qui illius rei cupidus eſt, an quis ex vſu obſeruauerit, quales ſingula ſecula habuerint characteres? Eſt vero mihi nunc tantum de *latinis* ſermo. An multis ſeculis eadem perſeuerauerit literarum Romanarum, quam in antiquis inſcriptionibus hic erutis conſpicio, forma, aut quando illa mutari cœperit? Tum quis ſit vere character Gothicus et Longobardicus, quibus aiunt multos ac eoſdem antiquiſſimos libros eſſe conſcriptos? Exiſtimo, ſi Alphabeta habuero cum horum characterum, tum quomodo variarint paulatim literarum formæ, me ex eo de MStorum antiquitate iudicare poſſe. Quanquam id quoque ſcire mihi iucundum fuerit, libri MSti, qui creduntur eſſe vſpiam in Gallia atque Italia

an-

tiquiſſimi, quinam ſint, et ex quo tempore
rſtent? An exſtent vſpiam, qui Auguſto Impe-
ore credi poſſint vetuſtiores? Fuerit etiam hoc
juirendum, cum libri, qui hodie ſuperſunt
ſti, omnes pene aut in membrana ſeu corio,
in charta ſcripti ſint, pauci reliqui ſint, qui
foliis ex corticibus arborum ſunt exarati, qua-
ſint antiquiores? Mihi videtur, recentiſſimos
in charta ſcriptos. In arborum corticibus
los vidi: audio, exſtare alicubi in Italia. An
adhuc, qui in papyro Ægyptiaca ſunt ſcripti,
in tabulis cera illitis **, quales Romanis in
fuiſſe ex *Ciceronis* epiſtolis familiaribus adhuc
ini, nemo melius te nouerit, qui omnes il-
es Germaniæ, Galliæ, Italiæ et Belgii biblio-
ıs magno ſtudio excuſſiſti; quoque nemo ho-
n antiquitatis arcanioris peritia facile verſa-
&c.

CCCVI.

ouii ad præmiſſas literas Reſponſio prior.

ugduni in Batauis a. d. III. Cal. Iun. 1662.

Se-

---

arum quæſtionum ſponſione attingit *Gro-*
ıium nihil in re- *nouius.*

Serius exſpectatione tua, Vir Illuſtriſſime, literas tuas mihi reddidit nobiliſſimus Deutecomius, nulla ſua culpa, vt ex ipſo fortaſſe iam intellexeris. Nec tamen, etiamſi citius habuiſſem, multo citius reſpondiſſem: ita me attinebant quotidianæ operæ, priuſquam has ferias nanciſceremur. Interim alteras eiuſdem fere exempli reddidit mihi vir ille ornatus, quem in Britanniam miſiſtis. De libris manuſcriptis vtinam *Holſtenium* potius, aut *Salmaſium*, quam me, conſuluiſſes! Verſaui ſane complures paſſim; ſed vere vt canis guſtat de Nilo: non otioſe, placide, faſtidioſe. Itaque magis in ſolita illa, quibus et auctor et ego iuuaremur, ſicubi aut obſcuritas, aut menda tolleretur, quam in diſcrimina ſcripturarum intentus fui. Et non auſim eam mihi peritiam tribuere, vt ſingula ſecula diſcernam. Obſeruaui tamen aliqua ſigna, quæ ſponte ſeſe ingerebant ad rudius indicandum, et quatenus inſtituto meo res erat neceſſaria. Primum non dubitas, opinor, quin, qui Romana litera exarati ſunt, omnes anteire ſint putandi. Tales vidi Florentiæ *Pandecten Iuſtiniani*, *Virgilii Æneida*, *Oroſium*: nec diu poſt huius ætatem eius literæ vſum manſiſſe puto: Lutetiæ apud Puteanos Fratres *Bellum Anniballicum Liuii*,

ii, qui codex potiſſimum tentandi aliquid in
loricum illum mihi fiduciam addidit. Mino-
charactere qui in membranis, vt plurimum an-
præcedunt eos, qui in charta; ſed non ſem-
bonitate. Fieri enim poteſt: conſtat factum
uando fuiſſe: vt ille recentior ex optimo inter
nbraneos deſcriberetur, et ita promiſcuos iſti-
generis ſinceritate vinceret. Intereſt etiam,
lis fuerit librarius: quo enim magis ſibi con-
fuerunt ieiunorum ſtudiorum, eo maiori ege-
t fide, nec partes ſumpſerunt correctoris in
, quæ parum adſequebantur. Itaque diuer-
voces interdum in vnam coaluiſſe, nec ſpatio
ngui, et contra vocabulum diſcerpi in duo,
literis ad aliud traiectis mulctari, et omiſſis
uſdam aut mutatis literis vitium manifeſtum
eri, non peſſimum interdum indicium eſt.
reſſit enim ſcriptor, quod inuenit in priore
nplari; etiamſi non intelligeret. Sic apud
ium Thebaide tertia verſ. 71. in vulgatis et mi-
e authoritatis manuſcriptis legitur *bellum in-*
um, cunctiſque negatum Mouiſti funeſte aci-
Melioris notæ libri, *infandum omnibuſque*
am; quod non tolerat verſus. Et tamen
nelius illo, quod inſubidi correctores fecere,

quippe apparet, veram ſcripturam fuiſſe, *bellum inſandum ominibuſque negatum.* Sunt et hæ pertenues forſan, alicuius tamen momenti notæ in ætatibus diſtinguendis, vt quæque minus habet compendiorum ſcribendi, et quo magis omnes literæ exprimuntur; eo vetuſtior manus eſt. Tum antiquiores et meliores integras repræſentant diphtongos: *AEthera. Muſae. Moenia. Phoebe.* Deteriores *e* ſolo ſunt contenti. Præterea ſicubi in Latino Græca intercurrunt, præſtant vtique, qui et iſta ſeruarunt. Iam et *a* magis eſt priſcum, quam *a.* Licet quoque differentem æſtimationem facere ex vocibus nonnullis, vt meliores ſemper *arceſſere, eſcendere, proludere;* non *accerſere, aſcendere, præludere.* Ego in illis, quibus vti mihi licuit, exigendis vnam habebam obruſſam, quæ raro aut nunquam me fefellit. Requirebam locum ſine controuerſia vulgo vitiatum, ad quem meminiſſem, quid ex ſcriptis, quos vidiſſem, annotaſſent homines docti, quam lectionem in emendatioribus ipſorum iudicio, quam in ſequioribus obſeruaſſent. Sic in Etruria deprehendi inter decem aut viginti alios plebeiæ pulpæ admirabilem illum Tragœdiarum *Senecæ* codicem, adhuc ignoratum, et nemini præter ceteros æſtimatum. Pla-

cebat

ebat litera: inſpicio locum in *Hercule Furente* . 481. *Ipſius opus eſt vulneri et ferro obuius Mor-m coactus ante Geryonem pati.* Quis mortalium iuinet, quid hominis fuerit ille *ante Geryonem* *actus mortem pati?* Nec iuuant aliæ membra-æ, aut differunt, niſi quod pleræque *ante Ge-vones*, vel *aut Geriones.* At obſtupui, et vox ucibus hæſit, vbi ſcriptum vidi: *Mortem coactus teger Cygnus pati.* Veniebat enim ſtatim in ientem, Cygnum, Martis vel Neptuni filium, ab ercule debellatum tradere priſcam fabulam. Per-) et reuoluo in *Thyeſte ver.* 275. *animum filio in-ira parens ſororque*, hoc eſt, Progne, ac Phi-nela. Poſt hæc exempla ſatis mihi exploratum at, quouis auro contra carum monumentum e tenere in manibus, et canem citius a corio cto, quam me a conferendo illo libro abſterru-es. Quo viſo exultans poſſeſſor, aliquot cete-; florenis librum illum iam ſibi pretioſiorem ex-mabat.

CCCVII.

Gronouii de eodem argumento alteræ literæ.

Lugduni d. IX. Cal. Sept. 1662.

Salue, illuſtriſſime Domine! Heri adfuit mihi

homo, vt videtur, elegans et pereruditus, *Mauricius*, Profeſſor Tubingenſis, et ſalutationem tuam mihi detulit, et te ſcripturum fuiſſe, ni fores impeditus, narrauit. Itaque quaſi diuina virgula admoneri me viſus, quia conſobrinus meus, *Chriſtianus Langermannus*, egregius iuuenis, Patauium ad petendos in Medicina honores Academicos tendens, iſthac iter facturus eſt, ſimul vt huic aditum ad venerandum vultum tuum obtinerem, et opportune adderem, quod in ſuperioribus meis oblitus ſum. Eſt enim non paruum praeiudicium antiquitatis in ipſa forma librorum. Nam antiquiſſimi fere ſunt quadrati, hoc eſt, tantum patentes a ſiniſtro in dextrum, quantum a ſummo in imum; ſecus atque nunc plicatur charta, vt longior ſit, quam latior paginae facies. Hoc quoque, ſi forte non videris, addere poſſum ex epiſtola *Salmaſii* ad *Sarrauium* *: „ Addo nonnul-
„ la,

* Quae eſt in editis e bibliotheca Gudiana CLXXXIII. ex qua ſimul apparet, ab his congerronibus noſtris originiſſam eſſe principem vetuſtatis notam hanc, vbi ſcilicet nullo interſtitio voces diſtinguuntur, ſed vno literarum ductu inuicem cohaerent. Ceterum de

la; quibus dignoſci poſſit antiquitas exemplari-
um manu exaratorum. Si quibus in libris ma-
nuſcriptis diphtongus reperiatur Æ duabus lite-
ris, non in vnam coalitis, ſed ſeparatis, ex-
preſſa, ad hunc modum *AE*, aut *ae*; ſcias,
codices illos vetuſtos eſſe inprimis, et fideli ma-
nu confectos. Si aliter efficta occurrat, aut per
vnam literam ex duabus conflatam, aut per v-
nicum *e*, cui nota ſuppoſita ſit, hoc modo *ę*:
qui primo modo ſcripti ſunt, paulo maiorem
vetuſtatem redolent; qui ſecundo ad infimum
ſeculum relegari debent. Literæ *capitales* non
ſemper indicium habent maioris vetuſtatis. Nam
minores characteres et vere Romani, rotun-
diore forma expreſſi **, ſæpe ſummam præ ſe
ferunt antiquitatem. Sunt et literæ Langobar-
dicæ, quarum vſus fuit circa Iuſtiniani æuum:
quibus multos libros vidi conſcriptos, eoſque

Mmm 3 emen-

... medii æui ſcripturæ ... omnia ſecula diffe... tiis maiore appara... et accuratione nuper ... *Dauid Caſleus* Vir cl. præfatione ad Catalogum MSS. Codicum bibliothecæ Regiæ Londinenſis.

... d et hi pro *capitalibus* habendi. *Nota Graeuii.*

„ emendatiſſimos. „ Sic ille. Hoc igitur quoque vino mactus inferio eſto, et vale, Vir Illuſtriſſime, meque ama. Lugduni a. d. IX. Cal. Septembr. cIↃ IↃ CLXII. Illuſtri Nomini Tuo dicatiſſimus

Iohannes Fredericus Gronouius.

CCCVIII.

Hottingeri reſponſio ad idem quæſitum.

Tanto mihi poſt reditum in patriam tuæ fuerunt gratiores, quanto noui te me impenſius amare. Non deero deinceps etiam officio, et vbi minus frequens ob locorum diſtantiam noſtrum fuerit commercium literarium, vt tamen ſit tale, quod amicitiæ noſtræ reſpondeat, pro virili dabo operam. Curam de conſcribenda bibliotheca non abiiciam; ſed, volente Deo, efficiam, vt, quod toties mihi commendaſti, ſuo aliquando tempore lucem videat. Animaduerto, opus eſſe, ſi non moleſtum, diffuſum certe et ita comparatum, vt maturari poſſit, præcipitari nolit. De notis, quibus veteres Codices Latini a mediæ ætatis ſcriptoribus diſcernuntur, nihil habeo, quo tibi ſatisfaciam. Neſcio etiam aliorum, quam ſibi hic multi

ti tribuunt, in conieᶜtando felicitatem, certa ne illa ſit et immota. De ſcriptis Arabicis et Græcis, forte etiam Syriacis, aliquid tentarim; de Hebræis vero, Samaritanis, Latinis, puto eſſe difficiliorem conieᶜturam. Horum enim idem, quod ſciam, ſemper fuit charaᶜter; ſaltem quoad duᶜtus eſſentiales. Illorum non item. Proinde de Latinis Codd. ex ſola ſcriptura, mea ſententia, incertum ſatis fuerit iudicium. Inſcriptiones, quas varias collegit *Ianus Gruterus*, Latinas vel antiquiſſimas videmus iis notatas charaᶜteribus, qui ad modernos *capitales*, quos vocant, facile poſſunt reduci. Græcos quod intermixtos nonnunquam videmus, faᶜtum eſſe exiſtimo inter eruditos magis Criticos, quam plebeios. Quæ mixtura nobis dediſſe videtur literaturam Gothicam aut ethicam, cuius non Alphabetum tantum, ſed et rammaticam breuem habeo ex Archiuo Palati. Ex materia facilius, cui charaᶜteres ſunt inipti, iudicare licebit de antiquitate codicum. gameno inſcriptos eſſe ſatis antiquos, vix dudum. Hoc enim antiquitus vſi ſunt Hebræi, ci, Samaritani, Arabes, Latini. His enim is fere omnibus pergameno inſcripta habeo nenta quædam. In arborum cortice fragmen-

tum Græcum accepi Heidelbergæ. Ceræ vſum olim fuiſſe, quibus literæ ſtylo fuerunt inſcriptæ, ex duabus antiquis tabulis, quas Scaphuſii nuper mihi amicus dono obtulit, luculentum indicium eſt. Hæc obiter. Poſthac de hac materia cogitabo accuratius. Epiſtolam, cuius mentionem facis, ſcriptam ad *Gronouium* de *Grotii Voſſii*que comparatione, videre optem *. Vale, Generoſiſſime Domine Baro, eius memor, qui eſt Generoſiſſimi Tui Nominis obſeruantiſſimus. Tiguri pridie Cal. Dec. 1661.

CCCIX.

Boineburgius ſcire cupit, quis ſit *Henricus Ernſtius*

---

* Salmaſius, *qua erat in* Grotium *poſt eius obitum maleuolentia, ad* Sarrauium, *mihi Pariſiis ante 18 annos bene notum, hanc liuidam ſcripſit epiſtolam. Eam nuper miſi Tigurum. Vbi redierit, et tu voles, mi maxime* Conringi, *lubens tranſmittam. Vt enim* Voſſium *patrem merito magni facias; faſtidio tamen erit Salmaſiana hæc puta putida de* Grotio *exiſtimatio.* Nota *Boineburgii* ad *Conringium* directa. Epiſtolam ipſam habes ſupra *p. 738.* Lapſus calami Hottingeriani in nomine eius, ad quem ſcripta eſt, per ſe patet.

?ttas ille, cuius librum laudat, et *Conringium* impellit in *Rebbanium*.

Moguntiæ d. 15. Sept. 1662.

Non indigne feres, ſpero, quod toties meis te interturbo literis. Quæuis vel tantilla occaſio mihi abunde ſufficit, vt ad te recurram, tui quippe, vtinam coram id fieri poſſet! affandi cupientiſſimus. Incidi heri veſperi in libellum *Henrici Ernſtii*, cui titulum fecit: *Statera iuris prudentiæ et conſulti.* Viri huius nihil videre antehac memini, præter editionem indiculi MSS. codicum exſtantium in bibliotheca Florentina. Citat ſe paſſim, vt ex. c. *Catholica iuris; methodum diſcendi iuris ciuilis; de vera philoſophia* aliaque, quæ publicauerit. Quæſo, mi amice, doce me, quid cenſes de homine. Videtur equidem iuris philoſophiam ſolito ſublimius æſtimare, duce *Hoppero*, *Grotio*, *Seldeno*, *Bœclero*, *Conringio* meo, quem laudat capite cumprimis de paranda iuriſprudentia. Diſſimillimus *Ernſtii* et omnium intelligentium eſt, qui programma, quod tibi *Bœclerus* mittit, nuper vulgauit, *Rebbanius*. Quod *Bœclerus* rogat, vt id genus pecoribus frenum iniiciatur, equidem laudo. Sed liber tuus de ciuili

Mmm 5 pru-

prudentia terminatus eſt. Alibi locus erit abunde reliquus. Sed et ego finio. Vale, mi optime, cordique meo proxime, *Conringi!*

CCCX.

Conringii de libello Gallico *Auberiano* iudicium.

Helmſtad. d. 8. Sept. 1662.

Perluſtraui libellum, quem miſiſti, Gallicum; ſed non ſine ſtupore. Quis enim non obſtupeſcat ad tantam impudentiam et inſcitiam Scriptoris, quodque talia quaſi cum applauſu Aulæ Regiæ ſint excepta, cum ſint ineptiſſima pariter, et vaſta quorundam eius gentis conſilia nimis tempeſtiue prodant? Certe hic animus celari debebat adhuc, potentia Gallica nondum ad eam maturitatem perducta, vt tantis conatibus par ſit, et noſtris rebus nondum adeo deploratis, vt iugum Gallici dominatus Principes noſtri cogantur ſubire. Singulatim veſani Scriptoris ineptias perſtringere haud videtur operæ fore pretium. Fuerit enim certamen ineundum cum laruis, quoniam nec ſcriptoris nec typographi nomen additum. Forte tamen ſecunda editione libri de Germanorum Imperio Romano, qua animus eſt celebrare memo-

moriam anni octuageſimi quinti Optimi Principis et Domini mei, ſeorſim et hunc et ſimilis farinæ alios Gallicos blaterones commoda occaſione exci-piam. Itaque vix etiam hoc exemplar libelli pot-eris a me quidem recipere. Noſti vero, abunde abs me demonſtratum, iam tempore *Ottonis Magni* Germaniæ perpetuo fœdere coniunctam eſſe dignitatem Romani Imperii, et Franco-Galliæ Reges per annos ſeptingentos et amplius neque in illam dignitatem Romanii Imperii, neque in Lotharingiæ regnum quidquam iuris ſibi arrogaſſe, ſed hæc omnia citra omnem controuerſiam Germanicæ fuiſſe poſſeſſionis. Certe prolixe hæc a me ſunt diſputata, cum libro de Germanorum Imperio Romano; tum in opere de Finibus Imperii, et habui aſſentientem ipſummet *Blondellum*, quo temere nemo rerum Franco-Gallicarum et peritior fuit et æquior vindex. Index in librum de ciuili prudentia nunc demum typographo commiſſus eſt. Placet diligentia in conficiendo illo adhibita; moleſta tamen mihi eſt nimia prolixitas, præſertim quoniam moratur deſiderium meum offerendi librum Auguſtæ manui, cui a me eſt conſecratus. Vale!

CCCXI.

CCCXI.

Boineburgius mittit librum Walenburchicum non ſine multæ comitatis præfatione, et *Io. Launoium* Conringianam *concuſſionem* ſcripta ad ſe epiſtola egregie refutaſſe nuntiat.

Moguntiæ d. 17. Sept. 1662.

Prodiit et tertia pars *Maſenii meditatæ concordiæ*, qua Proteſtantes Remonſtrantes, ſeu potius Reformatos, ex ſcripturis et veteris Eccleſiæ interpretatione ipſiſmet agnita reformare contendit. Is liber quia tuum conſpectum non effugiet, ideo, quid de eo cenſeas, deinceps exſpectabo. Nunc mitto qui te propius ſpectat. Etſi enim merito verendum videtur, ne eius tractatione interturbatus ea minus mature curares, quæ ciuilis argumenti mihique longe cariora ſunt, cumprimis quod attinet recenſum ac cenſuram auctorum publici iuris in aliqua mihi epiſtola communicandam; nolui tamen committere, quin tibi continuo tramitterem ſcriptum, quod tamdiu præſtolatus es. Non inclementer feres, ſi qua paullo vel æquo acriora continet. Scis quippe omnium optime, quam facile manus aberret, maxime ſub pondere controuerſiarum ſacrarum, quæ mentes, quanquam cetera mites, interdum ſolito exultantius

tius pertentant, et velut vltra metam impellunt. *Walenburchius* certe vir moderatus ac lenis eſt, neque ex inſtituto cuiquam temere aſperis verbis moleſtiam faceſſit; tui quoque candidus exiſtimator et cultor eſt amanſque. An iſtoc libello acu rem contigerit, nec ne, perinde ſum inſciens, atque ſunt, qui ne viderunt quidem: non enim legi. Saltem non fuerit adeo vehemens, quemadmodum *Erbermannus*, *Haunoldus*, *Valerianus* erant. In Gallia *Launoius*, antiquitatis eccleſiaſticæ intelligentiſſimus, prolixam mihi antehac epiſtolam ſcripſit, qua *concuſſionem* tuam haut infeliciter perterebrabat et deſtruebat. Sed neſcio qua fortunæ malignitate diſperiit, vt reperiri inter meas chartas non ſit quita; etiamſi vel ſexcenties anquiſiuerimus. Vbi redinuenero, eam pariter ſubmittam. Non eſt acer ceteroqui, cum in ſuo cum *Sauſſaio*, *Raynaudo*, aliiſque antiquarum fabularum quarundam zeloſis aſſertoribus certamine ſatis humanus, comis ac modeſtus fuerit; quamuis, ſi aliquanto foret concitatior, non poſſit indigne ferre, qui acrimoniam præfationis, qua ceu antipegmento *concuſſionem* ornaſti, et *Friſio* commendaſti, perpenderit. Malim autem ego, vt præ ſacris tractatibus eligeres ſuſcipere

pro-

prouinciam, politicos et ICtos noſtros placita ſua dedocendi, quibus veram philoſophiam, germanam politicen, genuinam iuris quoque prudentiam, ac omnem cum hiſtorici, tum literarum atque ceteri ſtudii facultatem commaculant et dehoneſtant. Ita vale! *Walenburchius* queritur, librum ſuum mendoſe editum, et ſingulis paginis ſuperſcriptam eſſe falſam epigraphen *de extraordinaria vocatione;* cum ipſe tamen librum ſuum in tres claſſes tribuerit, cuique ſuo peculiari titulo impoſito.

CCCXII.

Idem *Conringio* Scriptorum cum iuris publici, tum politices longum catalogum pertexit.

Moguntiæ d. 21. Sept. 1662.

Binas abs te vno die accepi, vna cum prioribus duabus plagulis libri de ciuili prudentia. Indicem exſpectabo propediem, ſimul Lampadiana paullatim. Compendium operis de prudentia ciuili ſuo tempore quin ſit perinde ad me tuo miſſu venturum, non dubito. Amo et laudo conſilium tuum, quod illi vis ſubiicere et adiungere pædiam politices *Scioppii*, libellum multæ frugis et rari-

uſcu-

uſculum. *Naudæi* bibliographia et *Chriſtophori Coleri* epiſtola itidem merentur apponi. Quidni addis et *Grotii?* Etſi per ſit puſilla; plena tamen ſaluberrimi ſucci eſt. *Naudæi* etiam bibliographiæ politicæ militaris ſeu polemica debebat pariter accudi, quæ habetur opere eius *de ſtudio militari*; cui ſyntagmatis titulum præfixit. Procul dubio is liber eſt inter Auguſtæos. Certe nolim, militarem hanc prætermitti. Politicæ bibliographiæ forte non inutilia alia adiicies, præſertim ſi qua ſunt notatu digniora in *Clapmarii*, *Bodini*, *Bornitii*, *Lipſii*, *Puteani*, *Caſelii*, *Campanellæ*, *Ernſtii*, *Bæcleri* aliorumque methodis, quorum excerptiones breuiculæ erunt quoque iucundæ. De ſtatu Archiui noſtri propediem, faxo, narrationem habeas. *Blumius* huic rei curandæ fuiſſet aptiſſimus. Sed altiora ſuo ingenio affectauit, ſpretis his ſtudiis, queis vnice ſufficere mihi ſemper viſus eſt. Hæret adhuc dum Viennæ, ſine hero, ſine ſtipendio; forſan ſine ſpe aut exſpectatione. Ita agitur de iis, qui nemini ſubeſſe, et primas vbique ferre cupiunt. Lampadiana belle ſuccedent, vti confido. Poſt Lampadianam epitomen certe nihil vidi melius libello Leidæ edito anno 1634 cui titulus: *Reſpublica et Status*

Im-

Imperii Germanici. Modicæ frugis ſunt breuiatores ceteri, *Brautlachtus*, *Cubachius*, *Beſoldus*, *Wurmſerus*, *Hagenius*, *Beckerus*, *Sprengerus*, *Schonbornerus*, *Althuſius*, *Alſtedius* in Encyclopædia, *Fibigius*, et ſi qui ſunt alii. Pulchra per ſunt multa in diſputationibus Baſileenſibus, item *Arumæi*, atque Marpurgenſibus et Weſtphalicis, vt vocantur. Optimi et lectu digniſſimi videntur, et experiundo comprobantur, *Paurmeiſterus*, *Limnæus*, *Hippolytus* denique *a Lapide.* Qui *Lehmanni*, *Freheri*, *Goldaſti*, *Arniſæi* et cumprimis tua ſcripta ſedulo euoluit, is probe contentus erit, ſcio. Inſtar omnium tua ſunt, quorum veritatem vſus rerum et media praxis confirmant. Dices: inſanis, dum cenſes de iuris publici, vt aiunt, Scriptoribus, ſecluſa formula ad Lampadium prælibata, ad quam exigenda omnis iudicatio de talibus? Hanc vero, mi amice, ſequar; hanc faculam, hanc lucem preſſo pede ſequar. Tu interim an es prorſum inexorabilis? Numquid vel tria verba commodabis amico, tam crebro roganti? Quidni ipſe mihi Scriptorum eiuſmodi cenſum et numerum inis? Sed deſinam. Vale, et me ama! *Forſtnero* quei ſcribere debeam, quæſo te, modum ſigna, qui ſit validus eum expugnare,

ræ, vt *hiſtoriam Receſſuum* condat. Puto in idem recidere hanc cum vniuerſa hiſtoria Germaniæ. Quid videtur? *Feldii* eduntur iam *elementa iuriſprudentiæ*. Quid exiſtimas? Præplacent *Zouchei*, qui Ius quoque inter gentes conſcripſit, vti *Pufendorſius* Grotianum in epitomen quaſi contraxit. Quid ſiquis ſynopſin contexeret e ſyntagmate iuris vniuerſi *Petri Gregorii Toloſatis*. In iure mere Romano pluſcula id genus compendia exſtant. Quid *Vulteiana* concinnius? *Coruiniana* neruoſius? vt nil dicam de *Donelli*, *Cujacii*, *Merillii*, *Iacobi Godofredi*, *Alexandri Chaſſanæi*, *Speckhanii*, *Schotani*, *Boceri*, *Meieri*, *Hahnii*, *Hilligeri*, *Weſenbecii*, *Vinnii*, *Bachouii*, *Sutholdi* aliorumque laboribus, qui intra Ramanarum legum gyrum circuncluduntur plerumque. Ius vniuerſale qui tradant, per ſunt pauci, præter *Hopperum*, *Grotium*, *Bodinum*, *Petrum Gregorium*, *Seldenum*, *Pufendorſium*, *Vaſquium*, *Hottomannum*. Scioppianæ pædiæ confutationem, quam miſi pridem tibi, molitus eſt *Henricus Wangnereccius* Ieſuita. Hancce ſi nonnihil paucis ſtricturis pelluſtrare, et animaduerſionibus tuis vindicare pædian velles, non paruum ſane operæ pretium facturus hinc eſſes. Quæſo te, noli *Wangnerec-*

cium ita impunitum dimittere. Vt enim nonnulla non male in *Scioppio* et is, et *Albertius*, aliique notarint; in pleriſque tamen pædia eius optime defendi poteſt, imo debet. Eſt enim vtiliſſimus omnium librorum, quos vnquam ſcripſit *Scioppius*. Satius foret, *Wangnereccium*, *Conzenium*, *Ribadeneiram*, *Bellarminum*, *Marianam*, *Campanellam*, *Camonherium*, et ex Proteſtantibus Theologis *Iacobum Martini*, *Wendelinum*, *Gerardum*, *Chriſtianum Matthiæ* (*Cellarius* tamen non malus eſt) *Hieronymum* item *Prætorium*, *Felwingerum*, *Micrælium*, ac e ICtis *Hoenonium*, *Althuſium*, *Hokelſhofium*, *Schonbornerum*, *Beſoldum*, *Toloſanum*, etſi hi duo cum *Giſanio* et *Forſtero* reliquis ſint rectiores, abſtinuiſſe manum a tractationibus politicis. Medici in iſtis feliciores fuere: *Septalius*, *Arniſæus*, *Conringius* meus, *Cardanus*, *Naudæus*, *Scherbius*, *Claramontius* aliique. De *Keckermanni*, *Königii*, *Imhoſii*, *Werdenhagii*, *Scheurlii*, *Silhonii*, *Heideri*, *Effernii*, *Geilfuſii*, *Berneggeri*, *Bæcleri*, *Schokii*, *Wendeleri* laboribus politicis tacebo. *Menochius* Ieſuita in biblica ſua politice non male proceſſit: melius fere, quam *Danæus*, *Alſtedius* et nuper *Reinkingius*. *Boxhornii* inſtitutiones politicæ cum eiuſdem notis

per-

perplacent. Neque diſplicent *Vernulai.* Princeps eſt omnium *Bodinus.* Mirus autem politices faber eſt *Hobbius.* Amœnus eſt *Lipſius.* Proſunt apprime diſſertationes *Heidmanni*, *Piccarti* in Ariſtotelem commentarii, *Puteani* lineæ, paraphraſis *Heinſii*, *Feldii* analyſis.

CCCXIII.

Conringius, quis ſit *Ernſtius*, narrat, de *Walenburchi* maledictis conqueritur, et miratur, qui auctor tam longi catalogi Scriptorum variorum cenſuram a ſe deſiderare poſſit.

Helmſtad. d. 18. Sept. 1662.

Octauo huius menſis die ſcripſi ſententiam de Gallico abs te tranſmiſſo libello. Quarto poſt die alias binas tuas accepi cum Bœclerianis. Quare vero haſce non iunxeris optimi mei Principis faſciculo epiſtolico, miror; cum tamen haud neſcias, quanto pretio emendæ quaſi ſint literæ a *Poſtarum* magiſtris. Poſt et libellum *Walenburchianum* accepi, curante vere *Auguſto* Domino meo. Hoc ipſo momento traduntur eadem cura, quas Moguntiaci viceſimo primo aut XI. Septembris exaraſti. Vt proinde debeam tibi reſponſum ad tuas

quatuor. Quod nunc agam; paucis tamen, quoniam diſtringor occupationibus. Itaque *Bœclero* ipſi reſpondi, vt vides. *Statera Iuriſprudentiæ et Conſulti*, ab *Henrico Ernſtio* conſcripta, hactenus mihi viſa non eſt. Vir bonus eſt et ſtudioſus iuriſprudentiæ, a rabulariis inſtitutis in melius conformandæ: neque hac parte omnino infelix; fortaſſis tamen haud par tanto conatui *. Omnia tamen eius et doctrinam eximiam præ ſe ferunt, et probitatem animi. Quæ de artibus Viennenſibus narras non quidem præter exſpectationem mihi fuerunt; incuſſerunt tamen dolorem. Quis enim non doleat, tam perfide tractari rempublicam, cum interitus eius pene ſit præ foribus. Spero tamen, etiam ab aliis artes illas fraudulentas intelligi, atque adeo futurum, vt artem ars eludat. Mihi vero Hungarica illa pax perquam infida videtur, præſertim Ieſuitica factione Euangelicos Ordines

* Fuit *Ernſtius* ille *Helmſtadienſis*; Academiæ deinceps Soranæ in Dania magnum decus. Hunc tamen librum eius valde perſtringit *Iacobus Thomaſius* apud *Struv. collect. MSS. faſc. 7. p. 50.* vſque ad eo, vt horulæ ſe pœnitere ſcribat, quam in eo legendo perdiderit.

dines pene ad deſperationem adigente, atque ita Turcicis armis per ſummam diſcordiam Hungarorum patefacta quaſi republica illa ad nouos conatus. Si perrexerint pontificii zelotæ in tyrannide illa ſacra, vereor equidem ingens regni illius diſcrimen, cum iuſta Auſtriacorum ruina. Deus det illis hominibus bonam mentem, vt tandem aliquando furere deſinant in Papæ gratiam! *Walenburchianum* librum, ſimul atque accepi, miſi confeſtim perluſtrandum meo Optimo Principi: itaque mihi hactenus tantum obiter inſpectus eſt. Quæ vidi autem, ne quid diſſimulem, deprehendi talia, vt *Walenburchii* non minus, atque Ieſuitæ et Capucinus, veritati triumphandi materiam præbeant. Inſperſa maledicta contemno. Mihi haud nocent; at Dominis *Walenburchiis* auctoritatem detrahunt. Certum mihi eſt, propitio Numine, non deeſſe veritatis patrocinio; quamuis alienis plane negotiis ſim occupatiſſimus, et iam dudum hoc argumentum aliquot libellis egerim. Cenſuram, quam inſtituis vltimis tuis literis Scriptorum iuris publici, et nonnullorum politici argumenti, probo omni ex parte. Miror vero, ita cum iudicio valeas, meam te cenſuram exſpectare. Vbi

inſpexeris plagulas priores binas annotatorum ad Lampadium, quas dudum miſi, video nihil temere tibi defore, quod ad iudicium ferendum requiratur; quamuis rigide ferenda ſit ſententia. Bibliographia militaris aliena eſt a politica. Par ratio eſt pene omnium aliorum, quæ tu velis addi Scioppiano libello. Mihi conſilium eſt, non egredi limites politicæ prudentiæ. Rerum Germanici Imperii omnium hiſtoria nimis ampla eſt: ſatis fuerit, ſi *Forſtnerus* velit narrare ſtatum publicum, quemadmodum ſeſe ille habuerit iſto, quo *Receſſus Imperii* conditi ſunt, tempore. Verum et hoc Seni et in republica verſato viro nimis graue fortaſſe fuerit. In præfatione ad Scioppianam pædiam conſtitui breuiter tangere, quæ recte, quæ ſecus a *Wangenereckio* ſcripta ſint. Narrationem de Archiuo veſtro exſpecto avide. *Blumii* fortunam doleo. Sed ipſe ſibi faber fuit. Vale!

CCCIV.

Boineburgius in notandis a *Conringio* prætermiſſis admirabilem cum memoriæ felicitatem, tum librorum notitiam oſtendit.

Moguntiæ d. 4. Octobr. 1662.

Miror

Miror a te tam diu nihil, idque ad tot meas. Scripſi nuper, e re fore, ſi edas cum *Scioppii* pædia *Naudæi* militarem quoque bibliographiam, et moralem *Scheurlii.* Sed tute omnia rectius ef-feceris. Miror, in hiſtoricis noſtratibus ſilentio te præteruolaſſe *Broweri* Treuirenſem hiſtoriam; opus ſane ſupra hoc æuum et præclarum. Non quidem eſt editum typis integrum, Electore *Chri-ſtophoro Philippo* Ieſuitis offenſiore, et in hac re molito, qualia magno multorum malo præter hancce peregit. Habeo ipſe, non ſine gratula-tione ac voluptate; etſi abſque cauda*. In Fran-cicis oblitus es *Buſſierium*, certe *Thuano* omnibus reliquis conſimiliorem, et dictionis caſtimonia, et narrationum vbertate, et indicii rectitudine, et prudente præſtantium de politicis momentis mo-nelarum plurimarum compreſſione. *Meſſeraius* ſi latine redderetur, nihilo inferior is vtique fo-ret quouis ſuæ gentis alio. Cum *Liuii* mentio-nem faceres, miror, te *Freinſhemium* prætermi-

 ſiſſe,

* Habemus et nos; ſed itidem *abſque cauda*, quæ fortaſſis prælo non ſubiecta fuit. Ceterum eos ſuaſu ſuo de integro et cum auctario *Maſenii* recudendos gratulabundus narrat *Boineburgius Diterico* ſuo *ep. 33. p. 185.*

ſiſſe, feliciſſimum tanti nominis ſuppletorem. *Maluezzium* debebas etiam laudare inter illos, qui *Tacitum* ciuilibus meditamentis colluſtrarunt. In epiſtolis, quarum ſtilus negotia politica ſolito explicatius ſignat, vel iis dilucidandis aptior videtur, *Latini* forte *Latinii* merentur itidem collaudari, *Elucri*, *Lingelſhemii*, *Sarrauii*, et, qui admodum recens prodiit, *Boxbornii.* Legi nuper et *Scioppii*, ab Epiſcopo Paderbornenſi commodato acceptas, inſigni cum animi iucunditate. Neſcio, an non hue perinde accommodæ credi queant editæ olim a *Bertio* et *Daniele Heinſio*, ac nuper a *Pœlenburgio*, Remonſtrantium hodie in Batauis altero Epiſcopo dicam, an *Epiſcopio?* In *Richterianis* pariter multa eſt earum epiſtolarum copia, vnde bonam frugem in politico argumento quandoque poſſimus decerpere. Etiam quæ a *Michaële Bruto* olim collectæ ſunt, *Victorii*, *Lambini*, *Turnebi*, aliorum, continent crebram rerum, quæ ſub Henrico II, Carolo IX. Henricisque poſtremis in Gallia contigerunt, memorationem indicationemque. Multas epiſtolas varii, adeoque et politici generis, meditantur iunctim et promiſcuo cenſu vulgare *Hottingerus*, *Lambecius*, *Gronouius*, imitamine *Gruterorum* et *Goldaſti.*

daſti. Oppido equidem ego reſciſcere ex te cupio, quid tibi velis cum *p. 337.* ais, *noſtra id genus editæ literæ, quoniam ſub alienis latent nominibus, ſatius eſt illas ſilentio præterire.* Loquere, ſodes, vt te videam. Si quid huiuſmodi habes, amabo te, imperti. In epiſtolographis Gallis abunde reperimus ſuccoſas politicarum rerum tractationes, quales ſunt *Oſſati*, *Perroniique* **, Cardinalium, et *Canaii* Legationes et literæ, multo rerum vſu, recto diiudicationum ſenſu, ac interiore aulicarum artium cultu atque recenſu, tum denique prophetico ſæpe ac diuinatorio futuri promiſſu longe præſtantiſſimæ. Accedunt ex hodierna in Galliis præcellentiſſimorum ingeniorum politice complura noua eiuſdem commatos ſcripta, profecto digna quæ latine vertantur, et lectione omnium, quotquot politicam philoſophiam et tradere et diſcere volent exactius ſolito. Miror porro, *Scherbii* politica te non vidiſſe; ſunt tamen multum *Piccartianis* tenuiora, infra quæ profecto infinitis paraſangis ſubſidunt, quæ *Naudæo*

 tan-

** Huius librum valde contemnit *Sorbierius*, non niſi vnam toto volumine illo lectu dignam epiſtolam deprehendiſſe cauſſatus.

tanti viſa ſunt, vt et anteponeret. *Caſuum politicorum* auctor omnino eſt *Boxhornius*, vti in eius vita obſeruare memini. In Germanis facile poſt te primas commeruerint *Io. Caſelius* veſtras, *Arniſæus*, *Heidmannus*, *Clapmarius*, *Baeclerus*. Non temnendus vero etiam *Bornitius* eſt, nec *Iacobus Martinus*, neque *Althuſius*, niſi quod mendoſa aliquot principia habet. *Boxhornii* inſtitutiones politicæ, vna cum ab ipſo adiectis declarationibus ac illuſtramentis, perquam vtiles vtique lectu et frequente ſtudio ſunt dignæ. Pleraque recte et copioſe exhibet, fundis ſat probis et ſolidis ſuperſtructa, niſi ſi qua reprehenſio iis debeatur ob nimiam populo ſubinde affictam licentiam. Quæ tamen culpa autori condonanda videtur, ſi patria errores excuſare ſufficit. *P. 307.* mentio eſt *theſauri Statuum* omnium, cuius auctor eſt innominatus; at ſua omnia hauſit ex Gallo quodam, cui nomen *Dauiti*. Eius aliquot *in fol.* volumina bene ſpiſſa exſtant Imperiorum Rerumque publicarum. De *Beſoldo* optime, vt ſoles, arbitraris. Promiſcuo omnigenorum quamuis putidorum futilium que et ad rem nihil facientium librorum relatu, et inſana vernilium allegationum redundantia illi quam indiſſimillimus *Arni-*

niſæus eſt; multo tamen in doctrinæ politicæ fundamentis iaciendis fortior profundiorque. Sed ea temporum labes et eruditorum ſcabies fuit antehac, tracta forſitan ex Conſultorum Romani Iuris ſtolida in citandis ineptis et denſis teſtimoniis ſuperfluitate. In *Campanellæ* aphoriſmos politicos quæ ab *Iſaaco Grutero* editæ ſunt notulæ, quod *Grotii* ſint, id vero hactenus ignoraui. Nimis enim aridæ, ſiccæ, exſuccæ et exſangues ſunt, vt fœcundo *Grotii* ingenio appareant diſpariſſimæ. De *Bodino* rectiſſime cenſes. *Petri Gregorii Toloſatis* ſyntagma tamen præſtat opere de republica; etſi et iſtud *Conzeniano* multum antecellat. In Gallis quod *Silhonium* non memoras, magnum politices explanatorem, interpretor inde accidiſſe, quia non niſi Gallice adhuc dum exſtat. Tu enim latine vel ſcriptos, vel conuerſos indicare ſolos ſuſcepiſti. *Keckermanni*, *Alſtedii*, *Geilfuſii*, *Schonborneri*, *Wendelini*, *Vernulæi*, *Erycii Puteani*, *Feldii*, *Felwingeri*, *Prætorii*, *Wangnereccii*, *Hœnonii*, *Menochii*, *Scribanii*, *Nierembergii*, *Pauoni*, *Marianæ*, *Ernſtii*, *Cari*, *Konigii*, *Chiaramontii*, *Ioannis Schildii* aliorumque labores politicos omitto. His nundinis nihil ſingulare prodiit, aut noui, ſi excipias *Fecialem*

Ger-

Germanicum in 12. Brandenburgico Electori inſcriptum. Olet Lapidem. Vale.

CCCXV.

Idem ad ſuperiores duas breuibus reſpondet.

Moguntiæ d. 5. Octobr. 1662.

Eopſe veſpere hoc, quo binas tuas accipio, ad eas continuo reſpondeo quoque. Recte ais, cum ſtupore inſpexiſſe te libellum gallicum, quem miſi. Retine ipſum, et, vbi librum *de Germanorum Imperio Romano* ſecundum edideris, probe defrica. Meretur acre lixiuium. Proxime mittam aliquid illi oppoſitum, idque a viro perdocto. Ceterum demiror, meas tibi extra faſciculum Principis obtigiſſe. Omnes enim meæ diligenter traduntur D. *Alexandro*, vt omnes mei famuli aſſeueranter confirmant. Doleo, errorem in talibus vnquam committi. *Bœclero* ſuas iam perinde conſigno. De *Ernſtio* probe iudicas. Optarim pluſcula eius mancipi poſſem: ſaltem ſupra vulgus conſultorum iuris aſſurgit. In *Walenburchico* libello maledicta contineri, vehementer et miror, et doleo. Nondum ſane vel obiter inſpexi; nedum vt pellegerim. Militarem biblio-

gra-

graphiam in id duntaxat ſimul edi poſtulaueram, vt Scriptores noſci poſſent. Satius tamen eſt, vni rei politicæ inhæreri, et in alium locum illa reiici. Quod mones *de Receſſuum hiſtoria*, probe obſeruabitur. Aduerti idem, et ſcribam D. *Forſtnero.* Præfatio ad Scioppianam pædian ſane quam exſpectatiſſima adueniet, vel eo nomine, quod inſcientes ingenii rerum politicarum inibi nonnihil caſtigaturus es.

CCCXVI.

Idem de ſucceſſu Comitiorum valde anxium ſemet oſtendit.

Francofurti d. 10. Octobr. 1662.

Accepi aliud exemplum eius libri, quem nuper miſi pro contractu Lotharingico. Lætor, quod eum refellere paras, cum edes opus de Germanorum Imperio Romano. Hic iam ſum ob certa negotia. Video, veſtrates hinc valde feſtinare, et miramur. Comperimus enim, excidiſſe Monachii Archiepiſcopo Saliſburgenſi, quæ ſatis innuunt, quod hactenus metuimus. Nil niſi tributa et hoſpitationes militum poſcetur: poſt ad *deputationem* et quidem Ratiſbonæ conuocandam referentur negotia de ſecuritate, de garantia, et

alia

alia potiora. Noſter homo Ratiſbona ſcribit, nihil æque a Cæſareis, et iis, qui illis aſſentiri ſolent, ambiri ac quæri, quam vt Electorales modo Legationes adueniant. His appulſis, aiunt, ſe parum curare reliquos. Inde exiſtimandi copia fit, ſi hunc ſcopum obtinuerint, tum vel *deputationem* illic renaſcituram, vel Electoriam ſeu Collegialem tentatum iri coïtionem. E re proin foret, Conuentum Francofurtenſem ante omnia retineri, et interea mittere domo vnum alterumue ad Comitia, qui hic non ſit. Ita et inuidia de non obſeruatis Comitiorum temporibus amoueretur, et concilium hic ſeruatum impediret conatus heteroclitos, quos ſuperius attigi. Nihil autem magis offenſioni hominibus eſt, quam hic heic Conuentus, cuius diſſuendi ſumma vota exſtant. Archiepiſcopus Saliſburgenſis id ſatis oſtendit. Sed hæc inter nos ſub roſa. Vale!

CCCXVII.

Conringius prætermiſſorum rationem reddit.

Helmſtadii d. $\frac{3}{13}$ Octobr. 1662.

Hoc ipſo momento accipio, quas 4 et 5 Octobr. Moguntiaci exaraſti, ſimul et fragmentum literarum

rum ad te exaratarum. Priores plurimum delectant me, recenſione pariter nonnullorum mihi hactenus ignotorum Scriptorum, tum iudicio et cenſura tua, a meo non diſſentiente. Quare abs me in cenſura Scriptorum ciuili prudentiæ diſcendæ vtilium nonnulli libri ſint ſilentio præteriti, partim de induſtria factum eſt; partim etiam quod non omnes ſatis nouerim. Nolui ſiquidem omnes ſine diſcrimine memorare; ſed tantum eos, qui præ aliis celebre ſibi nomen comparauerunt, et quidem latina ſcriptione. Id quod ſtatim initio indicaui. *Buſſerius* mihi non niſi obiter eſt inſpectus. *Browerі* Treuirenſia tantum incerta fama mihi hactenus innotuerunt. Nec legi hactenus epiſtolas, quas laudas, *Latini Latinii*, *Elueri*, *Lingelſhemii*, *Sarrauii*, *Boxhornii*, aut quas *Michaël Brutus*, vel *Richterus* collegit. *Pælenburgii* ipſum nomen ne quidem fando ad me peruenit. Epiſtolæ Belgarum et ad Belgas, cura *Heinſii* et *Bertii* editæ, multa habent lectu non indigna; at politici argumenti per parum. Itaque conſulto abs me non ſunt tactæ. De *Maluezzio* dixi ſententiam *p. 347*. *Freinſhemii* ſupplementa docta ſunt; minus tamen politicæ prudentiæ inde ceperis. Sed et omnia eorum, ex *Floro*, *Paterculo*,

culo, *Iuſtino* et *Polybio* tranſcripta, nihil noui habent. *Scherbii* quædam in Ariſtotelis politica commentaria legi quidem, et memoraui in introductione ad politica illa; diſſertationes autem, quarum meminit *Naudæus*, mihi hactenus ſunt ignotæ. *Theſaurus Statuum omnium* pag. 307. mihi memoratus, quo auctore ſit conſcriptus, ignoro: multo minus notus eſt mihi ille *Dauitus* Gallus, cuius tu memoras hic adeo multa ſpiſſa volumina. Quæſo, doce, quis ille *Dauitus*, et vbinam volumina illa prodierint in lucem? Inquiram in illa, ſimul me hæc docueris, num forte reperiantur in Auguſto theſauro librario mei Optimi Principis. Qui vero vis tibi memorari meas epiſtolas politicas? Vtique haud ignoras, meam eſſe, quæ *Cyriaci Thraſymachi* nomine prodiit*. De aliis alias. *Fecialis Germanicus* mihi viſus hactenus non eſt. An olet Hippolytvm? Quem enim tu Lapidem ſignifices, non percipio. Quæ memoras politica *Alſtedii*, *Geilſuſii*, *Vernulæi*, *Puteani*, *Prætorii*, Wangnereckii, *Hænonii*, *Menochii*,

* En confitentem reum! *Scheffero* olim, licet amico in paucis, exprobrauerat, quod ab ipſo flagitauerit hanc epiſtolam, tamquam a ſe ſcriptam. Vid. ſupra *p. 168*.

nochii, *Scribanii*, *Nierembergii*, *Pauoni*, *Marianæ*, *Schildii*, *Claramontii*, ignota mihi ſunt hactenus. Fortaſſis etiam non eſt, quod deſiderem; quandoquidem etiam abs te contemnuntur. Quid illi libello inepto Gallico ſit oppoſitum, quæſo, mitte; quanquam ille quidem libellus vix confutationem mereatur. *Walenburchicum* librum vix inſpicere hactenus licuit. Maledicta in iis contineri credidi tuis literis; ipſe nondum obſeruaui. Si quæ fuerint, me non offendent. Cumprimis vero deſidero aliquid de Archiuo veſtro certi intelligere. Indicis editio lente procedit præ multitudine ſcedarum Academicarum, quæ indies eduntur. Mitto tamen plagulas aliquot. Par eſt ratio Lampadianarum annotationum. Catalogum lectionum habendarum accipies ab *Voglero*. Scioppianæ pædiæ meo exemplari deeſt epiſtola præfatoria ad Cardinalem *Ludouiſium*. Si habes, quæſo, cures illam deſcribi, et mihi tranſmitti, quo poſſit meæ editioni adiici. Inquire etiam, quæſo, num *Archontologia Coſmica* venalis alicubi Francofurti reperiatur, et in meos vſus fac emi. Statim reddam per *Alexandrum* noſtrum omnia:

cui plurimam ſalutem opto. Meam epiſtolam in commentaria Euſtratiana Nicomachiorum Ariſtotelis mittit vna cum ipſo opere *Rachelius* **.

CCCXVIII.

Boineburgius libri gallici refutationem mittit, et de Bodinianis, quæ *Miltonus* ex Anglia ſubmiſit, excuſat ſemet.

Moguntiæ d. 16. Octobr. 1662.

Etſi pauculas iam mihi et raro ſcribas literas breueſque; nolo tamen vel ideo contrahere meam viciſſim diligentiam, quam, ni fallor, ex promiſſo debeo, idque mutuo. Mitto heic ſcriptum, diſſertatori nupero, inſano illi et excordi, oppoſitum. E proba officina prodit *. Bene de re Germanica vero et tu mereberis, ſi dura illius tenebrionis ac in patriæ noſtræ iura contumelioſiſſime impingentia paradoxa in opere recudendo de Germaniæ Imperio Romano deſtruxeris et exſtin-xe-

** Qui ea tum ediderat Helmſtadii. Legitur autem epiſtola ipſa ſeparatim in corpore epiſtolarum ab ipſomet *Conringio* edito, vbi eſt trigeſima ſeptima, et *Oper. t. 6. p. 407.*

* *Bœckriana* videlicet, vt mox videbimus.

xeris. Sed heus! mi amice? Cur non mittis catalogum ſemeſtralium veſtratium in Academia exercitationum? Quæſo, mitte. Ceterum vidi nuper *Binnii* veſtri diſſertationem aliquam *de regionibus Germaniæ* **. De *Eichelii* et *Habnii* rebus per eſt diu, ex quo nihil accepi. Noli ea me fruge et lætitia carere, quam ſoleo percipere ex lectione veſtrorum operum: quorum vt me frequenter participem reddere dignemini, vehementer etiam atque etiam abs te peto. Eminentiſſimus Elector te peramanter ſalutat, et commendat tuæ fidei, curæ et zeli tui ſinceritati atque aſſiduitati celeberrimæ laborem perneceſſarium et prægloriofiſſimum, qui refellendo maleferiato illi diſſertatori omnino impendendus eſt. Ait, a nemine id fieri et rectius poſſe, et maiore cum fructu ac nationis noſtræ honeſtamento. De *Bodinianis* Arcanis adhuc vigilo. Sed poſſeſſorem eorum non poſſum eo perſuadere, vt ea communicet ad deſcribendum. Eius quoque nomen edere non ſinor religione promiſſi, quo illi obſtrinxi me. Horribilis ille liber venit ex Anglia,

 miſſu

** Non *Binnii* hic fuit, ſed *Ludolphi Hugonis*, iurium tum Candidati, fœtus: quod itidem illico patebit.

miſſu *Miltonii* illius, qui adhuc dum Londini cœcus viuit, et magnopere dolet, ſibi non amplius licere ſatyram ſcribere. Idem *Miltonius* alia non vniuſmodi ſcripta ſua eidem tranſmiſit Anglicana, inter quæ facile principem commeretur locum ille capitalis liber *pro diuortiis*, cuius vſus vſque adeo hodie regnat locis non vnis. De publicis mallem coram. Francofurti vt conuentus diſſuatur, videmus nos non poſſe vltra vetare. Omnes enim Ratiſbonam adproperant, noſtro ſenſu, perperam: ſaltem eatenus, dum eo legantur debito celerius illi, qui Francofurti congregati ſunt. Quare non ſua quiſque domo ad Comitia præmittit Legatorum nonnullos? Videbimus, et ſentiemus experiundo, quam noxia fuerit Francofurtenſis concilii dimiſſio. Prodiit his nundinis quoque *Eccardi Leichneri* liber, vaſtus equidem et ſtribligine multa obſitus, *de ſcholarum et philoſophicorum ſtudiorum emendatione apodictica*, vti vocat. Quæſo, tuum mihi de eo pande iudicium, quod mei in omnibus cynoſura eſt, præterquam in ſolius negotio religionis. Prodiit etiam *Fecialis Germanicus Guſtmeieri*. Tum prodiit itidem *phyſiologica* commentatio ingens *Iungii*. De his, et ceteris id genus, tuum exquiro iudicium, ſi voles.

CCCXIX.

CCCXIX.

Conringius laudat refutationem libelli gallici; promittit tamen et ſuam, et Bodiniana petit denuo.

Helmſtad. d. 14. Octobr. 1662.

Heri veſpera admodum ſera domum redux Hanouera, vbi per octiduum abſui, multum delectatus ſum literis tuis d. 16. Octobr. exaratis; miſſiſque cum libello putidi ſcripti Gallicani refutatorio, quæ Sereniſſimi atque Optimi Principis mei iuſſu eopſe die attulerat in id vnum huc deſtinatus eques. Nihil ſane habui prius, quam et literas tuas perlegere, et euoluere libellum. Perplacuit enim libellus, cum quod bonum argumentum firmis ac ſolidis rationibus eleganter tractet; tum quod viderim, etiam vbi nomen meum prudenter diſſimulatur, quæ a me in opere *de Finibus* diſputantur, tacite probari. Ne quid diſſimulem tamen; vellem equidem et auctoris et typographi nomen additum, ſimulque titulum docti libelli alium magis ſerium. Quid enim in re adeo graui opus fingere *Mimica Parnaſſici Senatus Acta?* Quid opus, ſeriam et grauem tractationem fabulis miſcere? Sed et amor patriæ dignitaſque reipublicæ iubet, niſi fallor, non diſſi-

mulanter, ſed aperta fronte eius cauſſam agere. Quod auctor vero publice ignorari voluit, id cur me celatum velis, nihil, puto, eſſe cauſſæ, eoque nomen illud rogo me doceas. Quod Eminentiſſimus et Sereniſſimus Elector me iudicauerit illi cauſſæ optimum patronum, imputo iure tanti Principis exuberanti erga me gratioſo affectui. Agnoſco enim, alios, quibus plus eſt otii, quod impendere queant reipublicæ negotiis, huic rei me longe aptiores. Non deero tamen omni ex parte deſiderio prudentiſſimi et reipublicæ ſtudioſiſſimi Principis in illa, quam promiſi, noua libri de Germanorum Imperio editione. Vt interim ſalua perſtet gratia magni illius Principis, ſpero, te curaturum, etiam haud rogatum: et tamen, id vti facias, etiam atque etiam rogo. Animus eſt, mittere Principi exemplar libelli de ciuili prudentia, vt et propoliticorum, ſimul omnia prodierint in lucem: niſi forte tibi viſum fuerit haud ſatis illi Eminentiæ conueniens. De *Binnii* noſtri diſſertatione aliqua *de Regionibus Germaniæ* nihil vel fando audiui: inquiram tamen. *Habnius* et *Eichelius* aliquamdiu nihil publicauerunt. *Leichneri* conatus non diſplicet; at tanto oneri eſt impar ingenium hominis moroſum. Liber

ber ille, quem memoras, nondum incidit in manus meas. *Iungius* ingenio fuit peracri; ſed animus elatior fecit ipſum *Ariſtoteli* iniquum, et ſtudioſum nouæ condendæ philoſophiæ. Habet tamen opus illud poſthumum multa eximia et docta. *Fecialem* Germanicum aſpexi quidem; non inſpexi tamen hactenus. Proxime dicam ſententiam ingenue. Arcana *Bodiniana* ego non tam deſidero (nec enim de iis exſpecto quidquam magnopere dignum refutatu poſt tot eximios pro veritate Religionis Chriſtianæ libellos) doctrinæ inde hauriendæ, aut impietatis cognoſcendæ rectius cauſſa, quam in complementum Auguſtæ Domini mei bibliothecæ. Spero, te, crebra vrſione et oſtenſione nullius ſubſecuturi periculi, poſſeſſorem ad deſcribendum permoturum. Si optimo Principi meo velit librum committere, dabitur opera, vt a iurato librario deſcribatur, et, ceu meretur, in arcanis tenebris detineatur. Spondeo hoc bona fide. Librum *Miltonii de diuortiis* nondum videre contigit. Petulantia tamen ſcripta illa contra *Salmaſium* produnt ingenium non obtuſum quidem; ſolidæ tamen doctrinæ inane. Diſceſſum Legatorum videtur imperare multiplex neceſſitas. Nec tamen non prudens quiſ-

que latentem in herba anguem metuet. Sed illius etiam ictus haud difficile fuerit euitare, et, ſi opus fuerit, *deputatorium* conuentum Francofurti redintegrare. Vale!

CCCXX.

Boineburgius ægre fert diſceſſum Legatorum Sereniſſimæ Domus, relicto Francofurto Ratiſbonam ad Comitia tendentium.

Moguntiæ d. 24. Octobr. 1662.

Quæ *Bœclerus* ſcribit, ecce tibi! Ad ea, ſi voles, reſpondebis. Veſtri Ratiſbonam Francofurto admodum præſeſtinant. Reliquus cœtus fœderatorum in eo, poſt multam rei volutationem, conſtitit, vt Francofurti ſibi vltra permanendum eſſe cenſeat; ſaltem donec Comitia reapſe cœpta fuerint. Creditur enim merito, ſimul et Comitiis noſtros Heros per Legationes quiſque ſuas intereſſe, et fœderis concilium Francofurti perſeuerare poſſe, eouſque, dum aliud tempora eorundemque momenta deinceps efflagitauerint. Epiſcopus Wormatienſis principe loco erit Legatus Eminentiſſimi Electoris Ratiſbonæ, quo iam ſtatim quoque præmittetur Vicecancellarius *Mehlius*. Annon abunde ſuffeciſſet, ſi interea *Duplex*

plex * *Otto* noſter iſtuc præcederet; *Wittius* vero, quando licebit, vna cum *Alexandride* ſequatur? Sed prudentiæ veſtræ permittenda eſt omnis horum conſiliorum oiconomia. Valete!

CCCXXI.

Idem deſcribit libros *Conringio* non viſos, et longum epiſtolographorum latinorum numerum init, refugiens notitiam dare Archiui Imperialis.

Moguntiæ d. 25. Octobr. 1662.

Heri accepi tuas cum foliis nonnullis Indicis. Is in immenſum excreſcere videtur, et ipſi pene libro palmam magnitudinis præripere. Eſt ceteroqui vtile inſtitutum id genus indicum, quos conficiundi præclara hactenus ſpecimina edidere præ aliis ex Berneggeri diſciplina *Freinſhemii*, *Boeclerus*, *Boſius*, et nuper in Cornelio Nepote *Vorſtius* quidam. Lectionum veſtratium catalogos à *Vo-*

* Luſus in vocabulis, quo innuitur, vni Legatorum, *Ottoni*, prænomen quoque *Otto* fuiſſe. Vnde duplex *Otto* audit. Vid. ſupra *p. 239.* Fuit autem is *Otto Otto de Mauderoda*, Sereniſſimi Ducis GEORGII GVILIELMI tum in Aula Hanouerana Conſiliarius, magnorum vir meritorum, et in cauſſa Höxterenſi poſthac vigilantiſſimus.

Voglero; Euſtratiana a *Rachelio*, auide præſtolabor. Neque tamen video, quare et tu catalogum illum vna mittere nolueris. Scis, quam talium appetens ſim. Atque hæc forſan appetentia inter honeſtiſſimas eſt. *Scioppii* pædian non habeo; ſcribo tamen modo Francofurtum, vt, ſicubi illic reperiri poteſt, inde nanciſcar. *Archontologiam Coſmicam* ſimul inquiri curabo. Meas literas, quas hucuſque pluſculas exaraui, ſpero iuxta cum inditis acceperis interea. *Buſſierius* lectu dignus eſt. Supra Ieſuitam ſapit, *Thuano* æquiſſimus: quod mirere. *Browveri* Treuirica habeo in folio. Spiſſus liber eſt; ſed ſine cauda. Neſcio quippe, quo malo Treuir defunctus interpreſſerit editionem. Quædam manu conſcripta meo exemplari adſuta ſunt eiuſdem doctiſſimi Scriptoris. Multum antecellit *Serrario*, *Brunnero*, aliis. *Latinii* epiſtolæ vel eo nomine merentur legi, quod pragmaticum ſtilum expoliunt mirifice, incredibili facilitate et perſpicuitate genuina pollentes. Negotiales ſunt totæ. *Eluerianæ* peregrinantibus per ſunt vtiles. *Bongarſii*, *Lingelſhemii*, *Langueti*, *Melanthonis*, cumprimis quæ ad *Ioachimum Camerarium* exſtant, politicis argumentis abundant. *Sarrauii* non quidem adeo multum;

ali-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

aliquid tamen habent ciuilis tractationis. Ceterum pleræque eius ſunt philologicæ, et de negotio eruditi pulueris: cuiuſmodi ſunt *Salmaſianæ* quoque, *Reineſianæ*, *Richterianæ*. *Boxhornii*, *Puteani*, *Bruti*, *Tanaquilli Fabri*, *Rolandi*, *Mareſii*, quæ exſtant, epiſtolæ magis elegantiam et venuſtatem dictionis ſectantur, quam rerum dignitatem, aut grauia de iis iudicia; niſi quod *Faber* ille criticen pariter ſatis acute exercet, quales ſunt et *Ioſephus Scaliger*, *Lipſius*, *Caſaubonus*, *Petauius*, *Budæus* olim, *Gruteri* *. Studiis reipublicæ præclare inſeruiunt in epiſtolis *Eraſmus* et *Grotius*. Aulicam quaſi et vberem in ſcribendo facultatem exſerunt *Manutii*, *Muretus*, *Politianus*, *Longolius*, *Sadoletus*, *Bembus*, *Ioannes* veſtras *Caſelius*, *Baudius*, *Nicius*, *Crucius*, *Neuhuſius*. Egregia quoque continent epiſtolæ *Pii* Papæ Quinti, *Caluini*, *Bezæ*, *Wicelii*, *Caſſandri*, *Pa-*

* *Ianus* ſcilicet et *Guilielmus*. Quibus conſimiles, ſi non multo præſtantiores, ſunt, quas Cl. *Burmannus* poſt hæc tempora publicauit, *Danielis Heinſii*, *Io. Frid. Gronouii*, *Giſberti Cuperi*, *Iſaaci Voſſii*, *Ezechielis Spanhemii*, *Io. Georg. Græuii* et in primis *Nicolai Heinſii* epiſtolæ, quas haud immerito philologicæ eruditionis theſaurum adpellites.

Pœlenburgii. Is multas collegit, et 1660 edidit per Blauium; pleraſque Arminianorum. *Scioppii* epiſtolæ latinæ et Italicæ nuper mihi lectæ ſunt conceſſu Epiſcopi Paderbornenſis, plurima ſane bona fruge redundantes ad ornandum ſtudium politicum et aulicum. *Freinſhemii* ſupplementa ſunt, qualia iudicas. Optem alteram etiam eorundem partem quamprimum euulgari: ingenii enim per iis multum ineſt. *Dauiti* tomi III. in Gallia editi ſunt ante vicennium, et quod excurrit. Curioſiſſima eſt conquiſitio. Inde per excerptiones ac ſaturas eduxit et conduxit ſuum opus auctor *Theſauri Statuum*, cuius nomen in fronte operis diſſimulatur. Quin *Dauiten* in Auguſta bibliotheca habeatis, non poſſum dubitare. De epiſtolis tuis politicis, vt me doceas, oro. *Thraſymachum* dudum eſt, quod noui. *Fecialem* Germanicum procul dubio veſtrates aduexerint. Auctor eius appellatur *Guſtmeierus.* Libellus eſt in 12. *Hippolytum* non aſſequitur; necdum vt æquet. Habet tamen pluſcula non temnenda. Nec parum doctus videtur. Ex politicis, quos nuper memoraui, *Althuſius*, *Altſtedius*, *Keckermannus*, *Hænonius*, *Geilfuſius*, et id genus alii, modica ſunt in hoc genere nomina, et multum infra illos ſubſidunt,

ſidunt, quos tu adduxiſti. *Puteani* vero lineæ ſunt egregiæ. *Heidmanni* politicæ diſſertationes ſunt amœnæ. *Vernulæi*, *Prætorii*, *Wangnereccii*, *Nierembergii*, *Scribanii*, *Menochii*, *Danæi*, *Marianæ*, *Claramontii* quæ exſtant, non ſunt contemnenda; etſi vt inſtituto, ita et fructuum vbertate perquam ſint diſſimilia. *Hornii* diſſertationes et *Felvingeri* non indignæ ſunt, quæ legantur. *Schildius* in Batauia nuper edidit librum in 4. *de populorum coalitione*, quo non noua tradit; ſed pridem tradita pulchre exponit, et antiquis exemplis venuſtat. Schedas academicas veſtras vtinam ſemper et omnes nanciſci liceret! De Archiuo noſtrate non multum eſt, quod ſcribam, cum per vtique parum contineat magni et rarius, neque vltra ducentos, vel ſummum, trecentos annos retro ſe exporrigat, adeo vt ipſemet ſæpe numero miratus fuerim tantam chartarum egeſtatem atque penuriam. Nolim vero, ſciri hoc in vulgus, et minime velim, id reſciri me auctore. Cauſſa coniectu non difficilis **. Adiungo hic, ne nihil

** Huic voto obſequentes, quæ hic ſcripta ſunt, non euulgaſſemus, ni iam ante vulgata eſſent, perſuaſi ſcilicet, Archiuorum faciem et cu-

hil de publicis philoſophemur, epiſtolium noſtri, qui Ratiſbonam præmiſſus eſt, *Hettingeri*, Conſiliarii Moguntini. Inde perſpectu facillimum eſt, quo collineet omnis illius loci prouidentia et ſtudioſitas, quæ oſtentatur. Sed oro rogoque, ne hæc fida communicatio nobis, mihi et ei, qui ſcripſit, vſquam fraudi ſit. Pericula horum temporum noſti, et quantis eiuſmodi perſcriptiones ſint ærumnis obnoxiæ. Ad meas præcedentes literas opperiar reſponſa. Vale!

CCCXXII.

Conringius de Archiuo Imperii hariolatus, moderata de conuentu Francofurtano ſuadet, et in conditionem Fratrum Walenburchiorum inquirit.

Helm-

---

cuſtodiam in Imperiorum et Principum arcanis habendam, quidquid homines rerum ad ſe nihil pertinentium iuſto curioſiores occlamitent. Quotusquiſque enim eorum, quibus cor ſapit, nulla vrgente neceſſitate, obuio cuique opes ſuas et familiaris rei ſtatum explicat? Interſit etiam oportet aliquid inter tabernam librariam et inter ſacra Principum ſcrinia. Præterea maior e longinquo reuerentia. Quam parum autem obſecutus amici precibus ſit *Conringius*, mox oſtendemus.

Helmſtad, d. 24. Octobr. 1662.

Vno eodem momento accipio nunc tuas, quas 25. pariter et 24. Octobr. exaraſti. Boeclerianæ epiſtolæ fragmentum non ſatis aſſequor, qua parte de Grotianis loquitur, eoque ſenſum eius abs te vnice exſpecto. In alteris tuis mirifice me delectauit tua et recenſio et cenſura multorum librorum, qui mihi hactenus minus ſunt noti. Eos inter Fecialis Germanicus hodie demum mihi oblatus eſt: vbi inſpexero, non diſſimulabo iudicium meum. De Archiuo veſtro quæ narras, iamdudum ſum ſuſpicatus. Non enim me fugit, quanta incuria fuerit rerum tractandarum ante ſeculi ſuperioris initia per vniuerſam fere Germaniam. Itaque vix crediderim, reperiri in Archiuo veſtro monumenta, quæ ducentos annos ſuperent *, ad res quidem Imperii publicas pertinen-

* Similia Vir doctiſſimus *Lampadianis* ſuis deinde inſpexit *Oper. Tom. II. p. 258. §. 5.* et diſſ. *de Officialibus Imperii §. VIII. ibid. p. 769.* Ne quid dicam de Conringianis. Vulgo Suecos Archiuum expilaſſe fama fert: quam famam *Puſendorfius* ſcripta ad *Pregizerum* epiſtola, præfationi ad *Sueuiam ſacram* ſubiecta, confutauit, cui tamquam teſti *oculato* fidem adhibendam eſſe cenſeo.

nentia: nam Archiepiſcopalium rerum indubie maior fuit cura habita. Meum et ſollicitudinem tuam de Comitiis omnino laudo. Nemo etiam prudens non tecum facile conſentit. Ex aduerſo tamen quiſque merito dat operam, ne poſſit iure accuſari vel contempti Cæſaris, vel neglectæ publicæ Imperii ſalutis. Nec ſperauerim, adeo magnum ab artibus Viennenſibus periculum imminere, quod non poſſit facile reſarciri: præſertim cum artes illæ impoſterum temere neminem queant fugere. Habeo interim gratias maximas pro literis communicatis, ſpondeoque, nunquam illam operam tibi fraudi futuram. Die Dominico præterito cœpi voluere nonnihil *Walenburchiana.* Maledictum in iis nihil inueni: itaque hactenus placent. Deum vero teſtor, me nihil præterea ibi reperiſſe, quod vel tantillum moueat me a ſententia. Ex aduerſo, ſpero, reſponſione mea, quam omnino dabo, ſi Deus vitam, et quidem breui, magis magiſque veritatem iri patefactum. Doce autem me, quæſo, quis ſit ille Epiſcopatus *Myſiorum*, cuius titulo ſplendet *Petrus.* An *Miſniorum?* Præterea Fratres illi ſintne genere nobili nati, et quidem an more Germanico, an vero Batauico? Vbinam porro ſint nati in Batauia,

et

et parentibuſne pontificiis? In reſponſione habitum iri illis honorem commeritum, ne dubites. Cras vltima manus imponetur libro de ciuili prudentia. Sequente hebdomade prælo committetur *Scioppii* pædia, cuius habeo exemplar Mediolanenſe; ſed deſtitutum epiſtola dedicatoria ad Çardinalem *Ludouiſium*, ex qua recitat nonnulla *Wangnereckius*. Vale!

CCCXXIII.

Boineburgius, quid Academiæ Iuliæ Doctores moliantur, ſcire auet.

Moguntiæ die S. Martini 1662.

Oblitus nuper ſum percunctari, an et quando proditura ſint, quæ dudum minamini, Eraſmi in Nouum Teſtamentum paraphraſtica? ecquo editore? Metaphyſica quoque Ariſtotelis, ni fallor, pari ratione edere meditamini, ſicut Nicomachica nuper *Rachelius*; Rhetorica *Scraderus*; Politica tu, alii alia Stagiritæ publicarunt cum ſaluberrimis procemiis. Tua etiam Ariſtotelicarum laudum deprædicatio quandonam cum annotatis tuis prodibit? pulcra tum erit occaſio oſtendendi omnem totius eruditionis velut genealogiam; quemadmodum alio

opere monſtraſti eorum, qui illam illuſtrarunt, et quorum ab omni retro ætate monumenta ſuperant, ſucceſſionem ac chronologiam. *Hildebrandus* veſtras quid iam in Antiquitatum ſchola agit? *Eichelius* numquid machinatur in *Grotium*? *Feldius Puſendorſium* æmulatur edendis iuriſprudentiæ vniuerſalis inſtitutionibus et elementis. Vter alterum vicerit, tuum eſto arbitrari. *Hildebrandi* quæ legi de veterum concionibus, equidem perplacent. Iunior *Calixtus* annon pergit edere parentis reliqua? *Voglerus* ecquid molitur?

CCCXXIV.

Idem auctorem Actorum Senatus Parnaſſici prodit, *Binnii* ſcriptum propius indicat, deque Bodinianis excuſari poſtulat.

Moguntiæ d. 3. Nov. 1662.

Libellus futili illi Gallo oppoſitus auctorem habet *Bæclerum.* Rogo vero, id omnes celes. Noſti, vbi habitet. Meo inſtinctu ſcripſit. Nolim igitur, ipſi hoc fraudi noxæue ſit vnquam. Titulum fecit cauſſa celationis. Propediem vero, vbi argumento inſiſtendum fuerit, neque locus, neque nomen celabitur amplius. Eminentiſſimus intereà

tcrea confidit, te in partem prælii venturum, quod vel ſolus tute conficere idoneus et validus es. Lætatur, te recudere opus *de Imperio Germanorum Romano.* Ibi larga eris occaſio. Saluere te amanter iubet Princeps, et exſpectat tua de ciuili prudentia, et propolitica. *Scioppii* pædian vbique inquirendam curaui; aſt fruſtra. Miſit mihi amicus Francofurto e bibliotheca *Iungiana* alteram eius pædian, qua, vt noſti, omnia alia tradit, videlicet de talentis ſuis, ſuiſque, quos edidit, libris. *Binnii* diſſertatio de *Germaniæ regionibus* prodiit Helmſtadii, d. 20 Aug. 1661. diſputationibus propoſita. Miror, eam tibi necdum viſam. Vbi hæreant, quæ *Voglerus* et *Rachelius* mihi mittunt, neſcio. Valde doleo moram. *Hahnii* diu nihil vidi. De *Eichelio* ſi qua occurrunt, quæſo, communica. Cum nil ad manum ſit modo, quod tibi in redhoſtimentum mittere poſſim; ecce! mitto epiſtolam *Mauricii*, in qua pluſculas res legas non inſuaues inacceptaſque. Quæſo, remitte, idque quam primum. De *Feciali* tuum iudicium opperior. *Bodini* Arcana impia iam iterum petii a poſſeſſore, qui fortuito nunc hac tranſit. Excuſat valde et operoſe, quod renuit. Cauſſatur neſcio quid non? imo varia ac multimoda. Certe vel ipſe

ipſe mihi impia illa deliria comparare ab ipſo nequiui. Libentiſſime alias librum mitterem; imo hic Sereniſſimo deſcribi exacte curarem. Tentabo tamen hominem vltra. *Miltonius* de *diuortiis* Anglice ſcripſit. Idem ille, qui *Bodini* librum poſſidet, habet et illum. Ni fallor, ab illo *Miltonio Bodinum* et accepit, ſub cautione forſan. De publicis veſtras Legatus Francofurto ſcribet. Inde patebit, an e re futura ſit Legatorum diſceſſio. Ambigue loqueris, et extra habitum clari ſermonis, dum ais: *Diſceſſum Legatorum videtur imperare multiplex neceſſitas.* Quænam autem? qualis? quanta? Quorum Legatorum? Eorumne, qui Francofurti? nulla neceſſitas. Aliorum, qui Ratiſbonam eant? Bene. Domo igitur legentur iſtuc. Fœderis concilium aliquantiſper vltra perſtet, vbi eſt, donec liqueat magis de Comitiis. Quis non timeat anguem ſub herba? Eius ictus quis, et quomodo declinabimus, ſemel diſſuti? Si tantus labos eſt manendi; quantus erit redeundi? Vale!

CCCXXV.

Conringius de Binnio, de Feciali Germanico, deque auctoritate Ieſuitarum in Germania libere iudicat.

Helm.

Helmſtad. d. 31. Octobr. 1662.

Literæ tuæ d. 3. Nov. Moguntiæ exaratæ traduntur mihi, quo tempore occupatiſſimus ſum negotiis Facultatis Medicæ, cuius ego hodie ſum *Decanus.* Paucis tamen accipe, nomen auctoris libelli illius in cauſſa Lotharingica exarati mihi ſumma cum voluptate auditum eſſe. Eminentiſſimo Principi Electori mittam propediem libros meos illos vltimæ fœturæ; quemadmodum tibi vltimas nunc tranſmitto libri de ciuili prudentia plagulas. Tu interea non deſines gratiam tanti Principis, bono Imperii nati et conſtituti, mihi conſeruare. *Scioppii* pædiæ aliud exemplar ſi non poterit reperiri, prodibit ſine præfixa ad Cardinalem *Ludouiſium* epiſtola. *Binnio* præſide habita quidem eſt diſputatio quædam de *Republica Principatuum Germaniæ;* ſed nequaquam *Binnio* auctore conſcripta. Auctor eſt iuuenis doctus *. Libellum ipſum cum Vogle-

 rianis

* *Ludolphus Hugo*, qui ſuccedente tempore in Aula Hanouerana ad Procancellarii dignitatam euectus eſt; anno 1661. in Academia Iulia, præſide *Henrico Binnio*, Iur. Profeſſore, pro impetrandis in vtroque Iure ſummis honoribus pro cathedra defendit a ſe conſcriptam exercitationem *de ſtatu regionum Germaniæ*,

rianis accipies. Placebit, ſcio, non minus atque eiuſdem auctoris alter hoc ipſo anno Wolfenbutteli editus *de Appellationibus Forenſibus.* In *Feciali* reperiuntur quaedam egregia; ſed praeualet copia ineptorum. Auctor eſt ex illo numero, qui multa quidem legunt, ſed parum animo et iudicio concoquunt: longe impar certe *Hippolyto de Lapide.* In ſcripto omni nullus ordo; nihil plene, nihil ſolide tractatum. Neſcio, an ſentias aliter. De *Bodini* Arcanis vti porro velis laborare, etiam te atque etiam rogo. Miſi antehac annotationum mearum ad Lampadium plagulas duas vel tres. Eas num acceperis, quaeſo, ſignifices. Mauritianae epiſtolae lectio multum me delectauit, eoque pro eius vſu habeo gratias. *Iamblichi* liber de Myſteriis Ægyptiorum, cuius illa meminit, niſi fallor, in Gallia editus iam eſt Graeco-Latine. Rogo tamen, velis in id inquirere. Ego enim librum illum dudum deſideraui, coactus ſcilicet contentus

eſſe

niae., poſt Gieſſenſem *Hertii* editionem, recuſam Helmſtadii 1708. eiuſdem libello de abuſu appellationum tollendo auctam, quae Viro magnam famam peperit, de quo mox plura dabunt congerrones noſtri.

eſſe excerptis, a *Marſilio Ficino* quondam latine verſis. Quiſnam porro eſt auctor libelli pro *Valeriani Magni* cauſſa contra Ieſuitàs ſcripti? Video illum ſuperiore iam anno eſſe editum, et tamen eis paucos demum dies incidit in meas manus. Auctor non eſt indoctus; Caramueliticæ tamen doctrinæ de conſcientia probabili, quantum videtur, fautor. Miror vero, poſt *Valeriani* ærumnas quenquam pontificiæ ſectæ auſum ita grauiter Ieſuitas laceſſere, et quidem in Germania, vbi Ieſuitarum regnum eſt. Nec enim puto, poſſe latere tuto tantum accuſatorem, et quidem ipſiuſmet pontificis. Quæ *Pallauicino* nonnemo ficto *Aquilii* titulo oppoſuit, indubie lecta tibi ſunt. Videtur et ille auctor non doctrina minus valere, quam animi robore et audacia aliqua. Mirabor, hoc ſi ſic illis hominibus abierit. Ego Ieſuitas cenſeo non irritandos; aut Eccleſiæ Romanæ communionem deſerendam. Pertinax indignatio Galli in Papam videtur animum indicare elatum et implacabilem. Deus faxit, ne ille aliquando et Germaniæ noſtræ rebus ſit moleſtus! De Auenione fortaſſis actum erit, in quam tamen alias Gallo nihil eſt ſolidi iuris. Vale!

 CCCXXVI.

CCCXXVI.

Boineburgius Fratrum Walenburchiorum patriam indicat, diſquirens cetera de dotibus boni, quod vocant, Politici.

Moguntiæ d. 14. Nov. 1662.

Eapſe iſtac horula, qua tuas nactus ſum, en! tibi reſpondeo. De publicis ordiar. Quæ dicis, recta ſunt: probo, laudo, ſequar. Prohibeſſit Deus O. M. vt vnquam iure quiſquam poſtuletur temerati Numinis Cæſarei, vel ſpretæ publicæ incolumitatis, quæ omnium potiſſima eſſe cura debet. An vero faciles adeo explicatus habiturum ſit negotium, vbi mille artifex aula Francofurtenſem cœtum diſſoluerit, Comitiis necdum ſerio incoatis, neque ſat cito incoandis, de eo multa et anceps intelligentibus occurrit dubitatio, et Regiæ illius plus mille technas expertis. Video etiam, neminem temere haſce ignorare, et pleroſque tamen iis capi. Cur autem tu non reſcribas vel tantillum, an Francofurti velitis delegatum relinquere, Ratiſbonam nihilo ſecius deſtinata Legatione, id vtique miror. Nec enim ambigi poteſt de tua nobiſcum conſenſione, ſimul rem digne perpenderis. *Bœclerus* molitur notamina in *Grotium* noſtrum de

belli

belli iure ac pacis: de quibus loquitur in fragmento nuper miſſo. Ad ea ſi ſymbolam quoque tuam et præſtantem opem conferre voles; et de communi gentium eruditione, et de ipſo, et de me, ſi tanti ſum, vt vna numerer, optime mereberis. Tabulæ vero Grotianæ vbi hærent? *Walenburchio* quod reſpondere paras, nihil facis præter meam exſpectationem. De *Myſienſi* Epiſcopatu perquiram. Ceterum Batauos eſſe, et bene natos fratres illos Walenburchios, certum eſt. Memini ſcribere tibi ante decennium, et quod excurrit, omnem illorum et ortus et vitæ hiſtoriam, cum adhuc forem Darmſtadii. Forte illam epiſtolam reperies in illius anni memoriis. *Scioppii* pædiam auidiſſime exſpecto; quin et ipſemet perinde Elector. Doleo, dedicationem non haberi. Sed heus? ecquid factum de *Lambecio?* Aiunt, Hamburgo clam aufugiſſe. Hiſtoriam eius literariam non abſolui, apprime doleo. Perplacet Electori inſtitutum tuum, propolitica ad vſum efformandi, iiſque pragmaticarum tractationum ingenium ſolito explicatius dilucidandi. Longe ſollertius et profundius ille indicat ciuilia atque humanarum rerum tranſitus momentaque, quam vulgo conſit. Et equidem in eo ſita eſt præcipua agendorum ratio ac curatio, vt

quidnis ſuo modulo exiſtimetur, atque agitetur pro indole, natura et conditione ſua; non ſupra, non infra; non extra, non vltra; ſed intra modum. Inde ſiquidem negotiis pares cenſentur, qui mediis actuum in republica compoſitionibus vel interſunt, vel præficiuntur. Vbi ſecus comparata res eſt, parum proficitur: quin palam fit, adminiſtrationes obiri ineptiſſime, atque amitti ſcopum principem communionis humanæ, rectitudinem animorum, ac ſtatus placidam et communem, quæ in votis omnium bonorum eſt, tranquillitatem. Huic autem nemo magis aduerſari deprehenditur, quam qui vel recens a ſchola, vel natura et praua aſſuetudine de ſchola homo eſt, vel qui ita catus ac naſutus eſt, vt intempeſtiua ſui fiducia negotiis ſiue ſuperior ſit, ſiue impar. Intelligenti ſatis tibi, vt qui hanc philoſophiam omnium hodie et continentiſſime et expeditiſſime tradere didiceris, vnus noſtræ nationis cum *Caſelio* ac *Scioppio* talium tractator optimus. Archiducem ſerio deſinere viuere, literæ Viennenſes loquuntur. Ecquando Ratiſbonæ initium ſit actionis futurum, ad Kalendas Græcas comperiemus, niſi a Turca magna formido oriatur. Accepi hodie miſſu AVGVSTI Principis, Senis vere

Au-

Auguſti, *Philelphi*, Franciſci filii, poëmatia: opuſculum et ſuapte dignitate, et inprimis tanti Herois fauore æſtimatiſſimum *. Neſcio quid in redhoſtimentum non debeam. Haud incongruum illis verſibus comitatum præbuerit farciminum nouus miſſus, qualibus me abhinc biennio donauit Princeps ille noſter Auguſtiſſimus. Vbi meliora, vt ſperamus, proximis deinceps annis vina prouenerint, Elector foret non ingratus. De me nil poſſum, niſi humillima obſequia. Vnum addo, me optare, vt ex Auguſta bibliotheca prodirent et reliqua cimelia, hactenus inedita, vſui maiori ſeueriorum doctrinarum amantibus futura.

CCCXXVII.

Idem *Volmaro* iuſta perſoluit, et *Conringium* ad defenſionem politices incitat.

Moguntiæ d. 17. Nov. 1662.

A te diu eſt, ex quo nihil. Octiduum autem apud me longum tempus eſt. Quæſo ad ea, quæ nuper

---

* Quin etiam ſumtu Sereniſſimi Ducis ex bibliotheca Auguſta nunc primum editum. Vid. *hiſtor. biblioth. Auguſtæ p. 114.*

nuper ſcripſi, reſponſum. De publicis nil amplius dicam, cum directe non reſcribas ad quæſita mea. Omnes properatis Ratiſbonam. Multo ære ibi opus erit ante, quam Comitium ſerio incoëtur. Francofurti conuentus vt diſſoluatur, præprimis eſt Viennenſi aulæ optabile. Hæc ecquem inpoſterum *Volmaro* ſit ſuffectura, necdum apparet. Huius mortem haud ægre videtur ferre. Longo rerum vſu et experientia intractabilior viſus eſt. Memoria ac induſtria in eo admirabiles fuere. Ceterum libertas patriæ vix forte habuit inimicius ſibi nomen a multo tempore*. Cuiuſmodi conſilia ſepeliri cum eo, publicæ felicitatis intereſt, cui fœdus apprime ſubſeruire hactenus abunde deprehenſum eſt. Sed abrumpere cogor. Vnum oblitus ſum. *Bæclerus*, me ſubinde admonet, vt te rogem, ne obliuiſcaris ciuilis philoſophiæ aduerſus calumnias epidemicas defenſionem, atque bene inſtructas, quales ſoles, vindicias. Subiectionibus et inductionibus operoſis in id non eges. Tuapte ſponte propendes erga veritatis

tuic

* Huic iudicio album calculum adiicient, quotquot ſunt, qui *Iſaaci Volmari* perdita conſilia et inuolutum de induſtria animum et calamum norunt.

tuitionem non tralaticiam. Si forte in præfamine Scioppianæ pædiæ præponendo id faceres, perquam idoneo loco id eſſet futurum. Vale!

CCCXXVIII.

Conringius, quid Collegæ ſui moliantur, indicat.

Helmſtad. d. 10. Nov. 1662.

Editionem paraphraſeos Eraſmianæ in Nouum Teſtamentum meditatur quidem *Meierus*, Theologus noſter extraordinarius: quando perfecturus ſit, ignoro. Metaphyſica Ariſtotelis Græce et Latine ſub prælo iam tum ſunt, curante Metaphyſices itidem extraordinario Profeſſore. De publicatione annotatorum meorum in Ariſtotelis meam laudationem vetant me iam cogitare tot alia, quæ abſoluere prius eſt animus, pertinentia ad ius Imperii Romano-Germanici publicum. Iis abſolutis agam et illud, hoc eſt, redibo ad iuuentutis meæ labores, ſimulque, quod deſideras, præſtabo, acturus ſcilicet, ſed breui, de omnis pene eruditionis ortu et progreſſu, ceu iam tum bonam partem feci in laudatione ipſa. *Hildebrandus*, ſchola relicta, conceſſit Cellas, epiſcopen eccleſiarum Lyneburgenſis ampliſſimæ ditionis admi-

miniſtraturus in poſterum. Quo munere impedietur, niſi fallor. antiquitates eccleſiaſticas porro elaborare. *Eichelius* in *Grotium* machinatur nihil, ſatis occupatus aliis negotiis. De *Feldianis* iudicabo, vbi videro. Ingenium et iudicii acrimonia nihil vulgare pollicentur; modo ne philautia nimis illum trahat in ſequiora. Tempus docebit et hæc, et multa alia. Inter alia docebit etiam, quam infeliciter tui *Walenburchii* malam ſuam cauſſam egerint. *Calixtus* hac æſtate curauit denuo edi parentis ſui *Apparatum* Theologicum, et librum *de extremo iudicio.* *Voglerus* res ſuas agit, hoc eſt, docet diligenter. *Zouchei* elementa iuris non diſplicent. Ignoraſſe tamen mihi videtur ipſa iuris ciuilis principia, more vulgari. De quibus quid ſentiam ego, dixi ad *Hopperum*, quæ nunc auctiora nonnihil et emendatiora adduntur propoliticis meis. Habes ita reſponſum breue ad omnia tua quæſita. Abs te viciſſim proxime exſpecto reſponſum ad ea, quæ paulo ante deſideraui ſcire. Accipe interim duo hæc exempla epigrammatis, quod expreſſit inuſitata felicitas Optimi mei Principis, et iam

for-

fortunati Venatoris *. Niſi videbitur indecens, rogo, offeras exemplum vnum Eminentiſſimo Principi Electori. Vtinam et huic Deus vitam donet æque longæuam, et æque mollem ſenectutem. Fuerit hoc ſane maximo Imperii bono. Non dubito vero, Eminentiſſimum Principem Neſtori noſtro congratulaturum de inuſitata hac felicitate, teque mecum gauiſurum. Vale!

CCCXXIX.

Idem inter alia *Iſaaco Volmaro* mitiores purgatorii flammas precatur, politices vindicias promittit, et vt *Lambecius* Hamburgum reliquerit, narrat.

Helmſtad. d. 14. Nov. 1662.

Binas tuas accipio vno hoc momento. Publica quod attinet, ſæpius audiuiſti iam ſententiam meam. Si Reginoburgi non caperent initium aliquod Comitia, forte nec deſereretur Francofurtum:

* Exhibent id epigramma *Conringii Muſæ errantes*, collectæ a *B. Iuſto Chriſtophoro Bœhmero*, et relatæ in *Oper. Conring. tom. 6. p. 658.* Cecinit eandem octogenarii venatoris felicitatem *Nicolaus Heinſius* carminibus, ab Hiſtorico *bibliotheca Auguſta* repetitis *p. 217.*

tum: niſi ſane oſtendendi Cæſari obſequii cauſſa ſaltem aliqua in re, et eo citius redeundi, Cæſareæ Aulæ ſatis præſtita obedientia et ſtudio. Comitiorum autem ſerium exordium haud factum iri, niſi vrſerit Turcicæ potentiæ metus, omnino tecum ego quidem conſentio, certus nimirum, abſque fuerit hæc neceſſitas, Comitia Viennenſes fugere cane peius et angue, vtpote monarchicis ſuis conſiliis plane inimica: ſaltem ea in re ſatis cautos, vtpote cum eiuſmodi conuentu monarchiam agitantibus nihil poſſit eſſe magis inimicum. Indubie haud parum turbabit *Porcios Catones* et morbus Archiducis, hactenus quaſi tutoris adoleſcentiæ Domini, et mors *Volmari*, quem optime profecto depinxiſti. Nec vero temere quem *Volmaro* repererint parem, pertinacia ſaltem et impudentia, et induſtria, et ſtudio Viennenſis monarchiæ. Det tamen homini Deus mitiores *purgatorii* flammas: quin enim ſaltem has meruerit, non puto te mecum dubitare. Deus modo conſeruet Imperii bono Eminentiſſimum Principem Electorem. Quicquid forte peccatum fuerit inconſultiore diſceſſu et abitione quorundam iuſto feſtinantiore Francofurto, breui poterit reſarciri. Qua in re de noſtrorum Principum facili aſſenſu non

eſt

eſt quod dubites. *Bœcleri* ad *Grotium* conatus perplacet. Qui autem ego illum poſſim iuuare, non video, cum eorum, quæ ego quondam ad librum illum diſſerui, ne iota quidem ſuperſit. Optarim illi *Eichelianas* diſſertationes; verum nec illas hactenus ego quidem vidi. Rabulas illos inſulſos, omnis bonæ ſapientiæ contemptores, excipere animus eſt præfatione in propolitica, quibus iam addetur diſſertatio epiſtolica *de varia et maxime vera iuriſprudentia*, et mox nonnulla alia eiuſdem argumenti ſubiungentur. Spero, breui omnia proditura in lucem. Mittam vero hæc, libro de ciuili prudentia iuncta, quoniam non diſſuades, ipſimet Sereniſſimo Electori, tantum in cultus et deuotiſſimi obſequii teſtimonium. Pædiæ Scioppianæ iungetur *Gabrielis Naudæi* bibliographia. De *Lambecio* ita eſt, vti accepiſti. Ingenio et iudicio valet ſupra ætatem. Sed ambitio non paſſa eſt illum ſorte ſua contentum et tranquille viuere. Cum domi itaque res nonnihil anguſtior eſſet; duxit ſpe diuitiarum virginem vetulam; ſed paſſim decantatæ moroſitatis. Etiam ibi itaque non repertis iis, quæ ſperauerat, inconſultæ temeritatis iuuenis, ſede ſic ſatis commoda relicta, aufugit Romam: vnde iam reditum pa-

rat, Viennam forte in ſodalitium *Blumii* conceſſurus, et ex deſperatione tandem cum *Blumio* futurus *monachus* *. Indubie iam ipſemet obſeruaſti animi non contenti ſua fortuna indicia, in libro

* Fefellit hoc augurium, quippe neuter *monachus* eſt factus. *Lambecius* quidem ante hos quatuordecim annos, cum Romæ apud *Lucam Holſtenium* eſſet, ad cucullum adſpirauit; ſed obſtitit huic deſiderio ipſemet auunculus, teſte *Nic. Heinſio* in *Syllog. Burman. t. 3. p. 194. et. 196.* Ibidem *p. 476. Io. Frid. Gronouius* narrat, Lambecium *ducta vxore quinquagenaria, mox conIugii pertaſum, tertio nuptiarum die, amicis et marita inſalutatis, ſe clam proripuiſſe ex ædibus atque ex ciuitate, nec ſciri, quo ſe contulerit; ſed ſuſpicionem eſſe, legi ab illo veſtigia Heroidis* CHRISTINÆ, *quæ biduo triduoue ante Hamburgo eſſet profecta.* Cui *p. 478.* reſpondet *Nicol. Heinſius:* Lambecius, *vetulæ ſuæ elapſus, Viennam Auſtriorum aduenit. Ad caſtra pontificia tranſiturum nullus dubito, modo conditiones ſatis lautæ offerantur.* Quæ deinde dignitates in Aula illa ipſi obuenerint, in vulgus notum eſt. *Blumius* S. R. I. Baro creatus, in ſupremo Appellationum Tribunali Pragenſi Conſiliarius Cæſarius et Propræſes conſenuit. Vtriuſque crebrior procedente tempore mentio erit.

bro ſaltem ſecundo Hamburgenſis vrbis hiſtoriæ. Doleo tam eximii ingenii et mores illos, et illud fatum: quod tamen ego dudum amicis ipſius intimis prædixi. Hiſtoriæ literariæ perficiendæ impar eſt: itaque non eſt quod hæc cura te maceret. At patriæ vrbis rebus ſcribendis non temere quiſquam illi ſecundus inuenietur. Vale!

CCCXXX.

Boineburgius, indicis prudentiæ ciuilis magnitudinem miratus, *Conringium* erudit varia auctorum notitia.

Moguntiæ d. 21. Nov. 1662.

Cæſar Eminentiſſimo ſcripſit, breui fore, vt propoſitionem Comitiis edat, ſeque velle porro ſuper illa cum Electore communicare. Neque dum tamen admodum in propinquo illa eſſe videtur. Francofurti hæc hiems fœderi adhuc deſeruiet, donec et cum Batauis defuncti fuerimus neceſſitate præſente, et diſcordiæ inter Palatinum Electorem et Domum Heſſiacam fuerint compoſitæ, et alia quæpiam fortuita. Libros tuos poſtremæ fœturæ Elector auide opperitur, tui ſane peramans, nihilque æque optans, quam vt vni Rei Germanicæ talentum tuum nobile ac incom-

parabile impenderes. Gaudeo, indicem libri de ciuili prudentia tandem ad me veniſſe cum omni ſua cauda. Multotiens me fefellit ſpiſſitudo faſciculorum tuorum, cum ex primo obtutu ſubinde exiſtimarem, aliquid aliud, et quippiam noui, iis inditum eſſe. Reſignatis literis, demum vidi ingentem ſuggeſtum vægrandis indicis, qui pene ipſum librum non æquat magnitudine, ſed ſuperat. Accidit mihi aliud incommodum. Dum diuerſis vicibus et per partes accepi librum, plagulæ pleræque ita ſunt ad veredariorum vſus præſectæ, vt iam coire in iuſtum cum reliquis volumen, compingique a bibliopego, vix queant, adeo vt a tuo arbitratu pendeat, ſi integro me libro ditiorem voles, exemplum operis exſpectatiſſimi ſubminiſtrare mihi plenarium ac incircunciſum. *Scioppii* pædian auide præſtolabor, etiam ſine dedicatione ad *Ludouiſium* Cardinalem. Si hæc autem adiungi poſſet, editio foret altero tanto perfectior. Diſſertatio de Germaniæ principatuum republica ſtatim placuit. *Binnium* bene noui. Auctoris vero de abuſu Appellationum doctrina, et in ſcribendo felicitas, mihi magis arridet, quam olim totus *Binnius*, potare haut inſciens. Forte in Romana iuridicina potentior eſt.

Fe-

Fecialis talis et mihi videtur, qualem iudicas. Dictioni pingendæ aptior auctor apparet, quam euoluendo argumento tam arduo et irritabili. *Hippolyto* illum comparare, eſt inſanire. Bene et iſte mihi perque cognitus eſt, imo familiariter; ſaltem ille, qui ſtilum operi commodauit. Qui enim materiem congeſſere, et calorem ſpiritumque toti machinæ et animos addiderunt, næ! illi perinde mihi ſatis cogniti magnam partem fuere, quorum plerique deceſſerunt, vno, ni fallor, ſuperſtite. *Bodiniana* non credo ab poſſeſſore vllis ſuaſionibus, inductionibus aut ſubiectionibus exſculptum vnquam iri. Laborabo tamen vltra, ne deeſſe videar deſideriis AVGVSTI noſtri Senis, tuiſue, quæ mihi inſtar iuſtarum ac indiſpenſabilium ſunt præceptionum. Annotationum ad *Lampadium* binas nuper plagulas accepi. Ni fallor, id pridem ſignificaui. De *Iamblicho* inquiram; etſi amici Galli iam rarius ſolito et moroſius debito reſpondere conſueuerint. Auctor libelli pro *Valeriano* eſt *Lutheranus*, vti accepi, Roſtochii iam Profeſſor; antehac Ienæ, qui Catholicum mentitur. Nomen eius notum alioqui eſt, Iam

memoria excidit *. Vir cetera doctus eſt, ſimulque ſimulare callidus quamuis doctrinam, cumprimis quam putat Ieſuitis pleriſque familiarem. *Aquilii* libellum de *Pallauicino*, *Sarpio* et *Henrico Scipione*, ſub qua perſona latet *Wangnereccius*, nondum totum legi. Non eſt catholicus, ſed ementiens talem, in Batauis. Inter Papam et Gallum lis videtur ſopita, Auenione extra periculum manente; quanquam conditiones pacti necdum viderim. Proxime plura. Vale, mi optime!

CCCXXXI.

Idem ſuadet, vt *Conringius* in Lampadianis *Hippolytum* configat, et in vſum liberorum, quæ diſciplinarum tabulæ præſtent, ſcire auet, ipſe plus quam duodeuiginti huius generis recenſens.

Moguntiæ d. 24. Nov. 1662.

Oblitus ſum nuper, quod *Lambecius* Viennæ creditur Bibliothecarius Cæſarius futurus. Miror hominis repentinam migrationem. De *Lampadii* li-

* *Chriſtianum Kortholtum*, nouæ Academiæ Kilonienſis paullo poſt Theologum, in doctiſſimis filiis et nepotibus rediuiuum, in mente tum habuit *Boineburgius*.

libello dum cogito, in mentem venit, vt te rogem, ne illum percenſendo omittas, diſſimulato licet nomine, errores perſtringere *Hippolyti a Lapide*, quotiens et tales occurrunt, et argumenti ordo anſam exhibet; quo vna opera binis laboribus defungare, et vna litura, vbi aberrant, duos magnos in Iuris Germaniæ publici tractatione corrigas. Amplo id opus vſui ſtudiis rectioribus erit. Dein opem tuam requiro, perque amanter poſco in re alia. Appetit mens ſubinde ſpectare et expendere ſub vno velut contuitu diſciplinas bene traditas in tabulis, cuiuſmodi pluſculæ occurrunt. Non tam autem eas mei cauſſa poſtulo, ſed vel maxime ad erudiendos deinceps liberos. Obſecro, quæ tibi tabellæ videntur in rem noſtram futuræ, eas annota. Præclaræ ſunt *Stahlii* metaphyſicæ; *Cellarii* phyſicæ, ethicæ ac politicæ. *Hahnii* iuridicæ in pandecten Iuſtinianeum; chronologicæ *Scraderi*, *Boxhornii*, *Heluici*, *Petauii*, *Raynaudi*, *Labbii*; geographicæ *Sanſonii* Galli, gallicæ; genealogicæ *Dipholdi*, *Reuſneri*, *Nicolai Ritterſhuſii*; aliorum aliæ. Plures a te opperiar. *Ramus* iſtam per tabulas informationem inſtauraſſe viſus eſt. *Alſtedius* non male illam diligentiam æmulatur. Philoſophicas tabulas concin-

nauit gallice *Eſclachius*; mathematicas alius in Gallia, cuius nomen excidit. Grotianas auide exſpectabimus ſub tuo auſpicio. Bodiniana Arcana vt impetrem, necdum deſino laborare; quanquam ſpes non multa ſit reliqua. *Scioppii* pædia in votis maximis eſt. Tua præfatio eſt inſtar multarum, ſiue ad *Ludouiſium*, ſiue ad alios, perſcriptarum dedicationum. De publicis propediem. Vale, et ama me!

CCCXXXII.

Idem tabularum negotium vrget, Scriptores politices practicæ noſcere geſtit, *Ludolfum Hugonem* et *Lambecium* laudat, in literis poſt ſacra omnem vitæ dulcedinem ponens.

Moguntiæ d. 27. Nov. 1662.

Quamquam per eſt parum, quod a te literarum accipio; nolo tamen vel ſic ſtilum cohibere, quo minus erga te liberalis ſit. In mentem incidunt ſubinde curæ de ſingulis practicæ eruditionis recte excolendis ad vſum partibus. Vt de omnibus cultiores quoſque, lectiores ac ſuccoſiores mihi indices libros, obnixe perque amanter rogo. Fiet id commode, vbi mihi loqui volueris de tabularum ſelectu, qualem nuper expetii. Velim enim, te

te duce, illarum in notitiam pertingere; non *Ramo*, *Alſtedio*, *Keckermanno*, aliiſue eius commatos. Collegi his diebus in ordinem omnia tua de Imperii noſtri republica. Optem, tantundem abs te fieri tuapte manu de politices capitibus, quorum pleraque cultiſſimis diſſertationibus expoſuiſti. Inde enim iuſtum corpus ciuilis de politica doctrinæ extrui poſſe, nemo dubitet, niſi inſciens eorum, quæ præſtitiſti. Amabo, quinam tibi præ ceteris arrident in hoc genere? Mihi vtique, dum meliora me docueris, probo, et aliis commendo, politica *Cellarii* et *Heidmanni*, ordientibus talia. Prouectioribus *Boxhornium*, cum declarationibus eius; tum *Bodinum*, *Arniſæum*, *Lipſium*, et *Clapmarium*. In Ariſtotelem *Piccartus* placet. In ethicis ecquem putas *Hornejo* ſupparem, nedum ſuperiorem? In hiſtoria ſæpe opto *Heidmanni* elegans opus ab aliquo continuari pari facundia et dignitate. Quoſnam ſupplendis Cæſaribus, quos omiſit ille, adiungi poſſe cenſeas, ſodes, explanato. *Bœcleri* Cæſares Germanici non ſecludendi hinc ſunt. Obtigit paucis mihi abhinc diebus liber *Io. Gryphiandri*, cui titulum præpoſuit *oiconomicorum Legalium.* Bene ſpiſſus eſt is liber; ſed ita conſcriptus et vndecunque compilatus,

qualiter mos fert iuris peritorum æui noſtratis atque ſuperioris. Memini mittere tibi aliquot epiſtolas *Gryphiandri*, quibus tibi haut ſpernendam fecit iniuriam, vlciſcendam, quamprimum opus pulcherrimum de *O. I. G.* recudi curaueris. *Feldii* quæ de iure, vt ille minatus fuerat, vniuerſo hucuſque exſpectauimus, necdum viſenda vſquam ſe præbent. Aiunt, auctorem ea lambere, multumque in tempus premere, ſubiunctis quotidie nouis ſcilicet e media matheſi demonſtrationibus. Hiſce parum vel tibi, vel aliis, tuam diſciplinam edoctis, probabit ſeſe naſutus homo. *Habuio* Iuriſue conſultis quin exigue ſit ſuis, quæ coquit, in pandecten Iuſtinianeum commentariis ſatisfacturus, ægre adducor, vt dubitem. *Puſendorfium* breui videro Heidelbergæ, quo cis paucos dies excurrere me miſſu herili oportebit. *Ludolfus Hugo* virum ſe oſtendit ſane præſtantem, ac omnibus numeris eximium. Quæſo, ſi qua, præter libellos *de appellandi abuſu* et *de Germanicorum Statuum regimentis*, alia edidit, eorum me conſcientia erudi. Per eſt diu, ex quo nihil hac in eruditi pulueris arena legi ſubactius, comprehenſius, explicatius. Niſi in Helmſtadienſes ICtos ille præclarus homo incidiſſet, certe ambigerem, an

an eius formula ac in ſtudiis ratio tolerata, aut in ſcenam Solemque admiſſa fuiſſet. Vſque enim adeo hodiernis etiam gloriæ animalibus bene olet ſtribligo illa inficeta, ruſque vulgarium in Romano diſcendo dicendoque iure animarum, vt ne ipſa quidem Salus illis ad elegantiem ac bonam frugem reducendis ſatis valida ſit futura. Sed heus! vbi hærent tui conatus de *fiſco*, et de *comitiis*? Quo argumento hodie noſtratibus conſiliis nihil congruentius. *Lambecium* Viennæ nunc eſſe, comperceris. Cæſarem ei bibliothecæ præfecturam demandaſſe, accepimus. In re bibliothecaria et antiquaria apprime illum valere, ſcio. Eſt ea pene indoles ac conſuetudo Hamburgenſibus, vt in literariis et librariis criticiſque rebus ſupra alios emineant. Nota ſunt clara nomina *Wowerus*, *Lindebrogii*, *Holſtenius*, *Gronouius*. Sed quo exerrat ſtilus? Quid cogitas? Forte credis, multo me otio abundare, qui tam largas et de rebus nihili literas exarem. Aſt hæc opinio eſt innoxia. Quanta ego premar occupationum congerie, cui bono quiſquam, nedum egomet ipſe, prodat? Vnico delector his contemplationibus et belliſſimarum literarum ſubiectionibus. Hinc, poſt ſacra, niſi voluptatem iucunditatemque caperem ac lætitiam in-

ingentem, ſaltem quanta omni curarum atque tricarum trituræ et tumultuationi componendæ ſecandæque et digerendæ abunde ſufficiat; profecto vitam mihi intolerabilem ac ærumnoſam arbitrer. Quid enim iſta boni amœnique fert? Quid non incommodi? quot, obſecro, mala, vnis ſuper alias ſollicitudinibus infinito ſyrmate accreſcentibus? quanta identidem diſcrimina gignit, et ineluctabili catena addenſat? Sed hæc philoſophia eſt alterius inſtituti. Iam ego iterabo, quod nuper innui, de *Hippolyto a Lapide*, puta, vt eum diſſimulato nomine in opere Lampadiano emendes, dogmata praua exſtinguas, recta dilaudes. Sic vna fidelia duos dealbabis parietes, ſtuporem digne vlturus eorum, qui illum puerili amentia refellere ſuſceperunt, *Reinkingii*, diſcipuli ſeu ſcholaris Taborici, *Hagenii* Comitiologi, *Sluteri*; forte et plurium. *Feldii* quæ exſpectamus, an ſint votis reſponſura, dies oſtendet. Vale, et propoliticon tuum, quæſo, feſtina. Eminentiſſimus enim Elector id cum magno deſiderio optat videre. Suis *Nepotibus* bene erudiendis omnia vndecunque conſilia conquirit. Symbolam in hanc rem ſi et tuam conferres, et Electorem, et me, ſi id adiici ſinis, multum tibi de integro obli-

li-

ligabis. Indidem quippe et *filiis meis* lux multa et exoptatiſſima affulgebit. Vale, mi optime amice! Vtinam quis *Hopperum* contrahat, omiſſis dialogiſticis ambagibus et aliis heterogeneis, edatque! Vtinam perinde *Lehmanni* Chronicon, quo libro nihil ad res Germaniæ noſcendas vtilius: dignius nihil, quod tua præfatione ornetur et explicetur. Euſtratium *Rachelii* accepi, et epiſtolam inibi tuam maximo cum animi delectamento legi. Miſit nuper mihi Sereniſſimus Heros, Auguſtiſſimus Senex, omni totius antiquitatis et ceteri æui fiduciæ virtutique par, libellum poëticum *Philelphi*: pro quo vt grates humillimas incomparabili Principi meo nomine agas, te peramanter obſecro. Vt meum iudicium vno verbo, quamuis rerum metricarum inſcientiſſimus, promam, audacter aio, *Vigellum* * poëtaſtrum, olim ſub auſpicio optimi maximique Neſtoris noſtri editum, ſenſuum dignitate omni huic *Philelpho* multum antecellere.

CCCXXXIII.

---

* Etiam de hoc poëta videndus Dn. BVRCKHARD *hiſtor. bibl. Auguſtæ p. 110. ſeq.* vbi ſimul docet, *Nigellum* potius, quam *Vigellum* fuiſſe appellandum.

CCCXXXIII.

Idem reſpondet ad eas, quibus Conringius labores et conatus Doctorum Helmſtadienſium perſcripſerat, in primis *Ludolfi Hugonis* ſcripta omnia bis ſibi coëmi petit.

Francofurti d. 30. Nov. 1662.

Gaudeo, dum hic variis curis agitor, tuas iam ſuperuenire literas: vnde animo quædam obtingit leuatio atque voluptas. Gaudeo plurimum, tam exacte et breuiter (etſi mallem prolixiſſima abs te reſponſa) te ad omnia quæſita mea reſpondere, indeque coniecturam fortemque ſpem concipio, fore, vt et ad reliqua ſis pari candore et facilitate reſponſurus. Ego libenter reſpondebo paribus ſtudiis; etſi impare virium fortuna. Paraphraſes Eraſmianas et Ariſtotelicæ metaphyſica auide exſpectabo, cumprimis vbi tuis procemiis fuerint præmunita et exornata. Deus tibi ætatem proroget, et valetudinem alacritatemque donet perpetuam, ad abſoluenda egregia, quæ meditaris, inprimis in Lampadium, et cetera tua, de iure publico, tum in Ariſtotelis laudes, et de omnis eruditionis ortu et progreſſu. Doleo, tibi tempus eripi ac ſuccidi adeo per ſacras lites, quas tamen iterum exſtinctum, et, ſaltem tibi laboribus

bus leuando, ſublatum iri confido, quamprimum *Walenburchio* reſponſa rependeris. Doleo etiam, *Hildebrandum* alio euocatum, et ſic impediri in ſtudio Antiquitatem excolendi. *Eichelium* aliquid bonæ frugis præſtare poſſe, ſcio. Eius diſputationes velim mihi ſæpe mitti. *Ludolfi Hugonis* vero ſcripta omnia bis velim mihi coëmta. Reddam pretium parate, et cum gratiarum actione. *Feldii* conamina vbi videris, quæſo, tuum mihi iudicium perſcribe. *Apparatum Calixti*, etſi plus ſemel emi, rogo, rurſus mittas. Non enim dubito, ei aliquid acceſſionis factum. *Voglerus* et *Rachelius*, me vt talibus mittendis recreent, obſecro, adiuua. Fideliter, quod pro me impendunt, reddo. *Zoucheus*, etſi non ſit multum ſupra vulgus ſui ordinis, præſtat tamen multis. Summe gaudeo, *Hopperi* Iuriſprudentiæ præfixa abs te iam auctiora additum iri propoliticis tuis: quæ vt quam primum nanciſcamur, oramus et vouemus. Carmen tuum in Venatorem octogenarium *Auguſtum* iam Eminentiſſimo, vna cum ſegmine de tuis literis, tranſmiſi. Scio, omnia illi per fore grata. Vale, et ama me! Quæ adiungo, iam antea Moguntiæ ſcripſeram, mecumque huc attuleram, vt D. *Alexandro* curanda ad

te

te commendarem. Vale, et reſponde ad omnia. Cogita, coram nos vna confabulari, et tempus literis exarandis datum dari officio et ciuilitati familiarium interpellationum, quæ non poſſunt plerumque deuitari. Magna pars vitæ eſt mihi lætior et tolerabilior per tua hæc fructuoſiſſima alloquia: quibus vt me dignum reddam, ſemper bona fide allaborabo. Vt haſce literas D. *Rachelio* tradi iubeas oro: perinde D. *Voglero.*

CCCXXXIV.

Conringius, totus in refutandis Walenburchiis, diſciplinarum tabulas permittit nondum iudicio valentibus, denuo *Ludolfi Hugonis* laudator.

Helmſtad. d. 21. Nov. 1662.

Verum initium Comitiorum protelatum iri, non ambigo iuxta tecum. Quoniam tamen pacis Turcicæ ſpes valde adhuc eſt infida, adiget neceſſitas tandem, inuito licet animo, initium facere. Vtinam interea et illæ inter Palatinum et Haſſiacam domum, et aliæ Principum controuerſiæ, feliciter finiantur! Quam in rem plurimum mihi profecto promitto ab Eminentiſſimi Principis ſapientia pariter et auctoritate, tuis prudentibus conſiliis ſuffulta. Tanto Principi me non diſplicere, gaudeo

deo profecto etiam atque etiam. Qui tamen eius deſiderio, vt nempe ſolis Germaniæ rebus illuſtrandis operam impendam, poſſit abs me ſatisfieri, non video. Et vero nouiſti ipſemet, quam multa alia agere item iubeat muneris etiam academici publici ratio, tuoque ductu denuo excitatum *concuſſionis* meæ negotium, cum integrum ſeptennium ampliuſque quieuiſſet. Nec vero permittit lex conſcientiæ, vt vim fieri veritati adeo manifeſtam a *Walenburckiis* patiar: quod Deo teſte tibi affirmo. Contempturus ceteroquin omnia, ſi mea duntaxat fama fortaſſis verſaretur in aliquo diſcrimine. Tertia iam plagula Reſponſi mei editur, et videtur opus in aliquam molem excreturum, quoniam librum *Walenburchiorum* totum meis inſero, emendaturus tamen editum. Exemplar libri de ciuili prudentia mittam integrum, ſimulac dabitur occaſio. Forte ſequetur cum propoliticis, in quibus perficiendis operæ typographicæ itidem ſtrenue laborant. In Lampadianis notis edendis integras hebdomades duas vetuerunt me pergere nimium multæ occupationes. Faciam tamen id, volente Deo, cis dies paucos. Per occaſionem non diſſimulabo errores etiam *Hippolyti;* quantum patietur tamen inſtituti breuitas. *Scioppius* nondum

BIBLIOTECA NAZ. ROM. VITTORIO EM.

ſub prælo eſt: dum illud totum aliis chartis caleat. Tabulæ inſeruiunt ſoli memoriæ; verum ſcientiam rerum non adiuuant. Laudo earum vſum iis præſertim, qui iudicio aut omnino, aut per ætatem, non valent. Præter eas, quas recenſes, haud perinde noui quæ laudem mereantur. Et, niſi fallor, videntur hæ filiis tuis ſufficere. De auctoribus apologiæ Valerianæ et Sarpianæ vix tibi audeo accedere. Sed et ſcio, alios Papiſticarum partium multis Ieſuitis eſſe ſuſpectos hoc nomine. Quicquid ſit, vterque auctor non profecto vnus eſt e vulgo. Doleo, vtrumque ſcriptum vſque adeo mendis typographicis laborare, vt commodum ſenſum difficulter interdum expreſſeris. De *Hugonis* noſtri libellis recte iudicas. Dignus eſt loco, in quo poſſit ſtudiis docendis vitam impendere: iam plane alia cogitur agere, contendentibus inter ſeſe Fratribus Principibus *Meklenburgicis*, quorum vni ſuam operam addixit. *Lambecio* ſi locus fortunatior Viennæ dabitur, mirabor equidem. Bibliothecario munere fungi poterit tamen. Poſſet et *Blumius*, ſi poſſet animum ad chartacea illa deflectere. Vale!

CCCXXXV.

CCCXXXV.

Idem, poſt ciuilem prudentiam longam librorum et tabularum recenſionem ſuperfluam iudicans, *Feldium* ridet, *Puſendorfii* elementa, *Ludolfum Hugonem*, *Lambeciumque* ex parte, laudat, Electori Palatino Anti-Walenburchica ſua inſcripturus.

Helmſtad. d. 26. Nov. 1662.

Quamuis occupatiſſimus ſim; ſaltem tamen paucis ad tuas binas pridie Kalend. Decembres Francofurto miſſas, pleniſſimas ſane humanitatis, et tui erga me affectus, reſpondebo. De tabulis cur addam aliquid iis, quae ſcripſi prioribus literis, nihil puto cauſſae eſſe. Politicae diſputationes variae quidem, me praeſide, ſunt habitae; ſed pleraeque conſcriptae a diſcipulis, quas proinde abſit vt annumerem meis. Sunt porro pleraeque exigui momenti, et deſunt mihi etiam exempla. Per otium tamen, quae inuenero non omnino indigna lectu, in tuos vſus ſeligam. De rudimentis politicis recte iudicas, Cellariana et Boxhorniana praeualere. De reliquis libris politicis cum habeas ſententiam meam in libro de ciuili prudentia, neſcio cur denuo eam tibi cupias perſcribi. Ad iuuen-

tutis vſum *Horneii* diſputationes *ethicæ* perquam ſunt commodæ. Opus eius alterum egregium quidem eſt; ſed quoniam de ipſis virtutibus earumque officiis parum docet, minus prodeſt. Taceo, nihil ibi haberi de amicitia, nihil de continentia; qualia Ariſtoteles docet *libro* 7. 8. *et* 9. plane ſine exemplo optima, et ſumme vtilia ad omnem vitam. Compendia vniuerſalis hiſtoriæ hodie complura exſtant. *Heidmanni* elegantiſſimum eſt. Sed male conſuluit lectoribus editor, quoniam non addidit, quod *Heidmannus* addiderat ſingulis locis, indiculos ſcilicet, vnde vnumquodque fuerit depromptum. *Bœclerus* ſi pergeret, vt incepit, de hiſtoria ſequioris æui optime mereretur ad poſteritatem. *Gryphiandri œconomica* illa non legi; omnia tamen eius viſa mihi ſunt ſapere haud parum vltra vulgus leguleiorum. Ab eius calumniis me vindicabo. A *Feldio* exſpecto multa acuta; an vera omnia, docebit tempus. Ex Matheſi demonſtrationes rerum ad iuris naturam pertinentium peti poſſe, ne credas. Neſcio, vtrum ipſe hoc iactitet. Si facit (non crediderim autem, illum vſque adeo inſanire); par fuerit iſta oſtentatio vanitati Carteſianorum, qui ridicule iactitant, ſeſe docere *mechanice* naturalem philoſophiam, dum adſerunt

ſua

ſua ſomnia. *Puſendorſium* meo quoque nomine velim ſalutes: valde ille ſeſe mihi probauit *elementis ſuis.* Vtinam pergat, vel potius animum applicet ad legum ciuilium politicam interpretationem! Nam elementa illa potius faciunt ad ethicam philoſophiam: cuius eſt tota iuris naturalis prudentia. *Ludolphum Hugonem* aliquot annos habui diligentiſſimum auditorem. Vtinam locum inueniat in aliqua Academia! Multum ſane præſtiterit longe ſupra vulgus. Hactenus tamen edidit nihil, præter libellos, quos habes. Et vero adhuc iuuenis eſt. *Lambecio* bibliothecæ Cæſareæ curam eſſe commiſſam, gaudeo: eſt enim huic rei aptiſſimus. Vereor autem, vt contentum eſſe illo loco patiatur ingens ambitio, qua laborat; cetera profecto pereximius. Ingenium homini, quale eſt *Floro.* Hinc ſuſpendit hactenus etiam ipſam religionem ad nutum fortunæ, iam ſecunda vice a noſtris partibus aperte deſciſcens: quod tamen ego iamdudum prædixi illum facturum, animum hominis ex editis ſcriptis ſatis edoctus. In *Lampadianis* habiturum me nonnihil rationem etiam eorum, quæ habet *Hippolytus*, iam tum promiſi. Propolitica mea cum ſuis appendiculis prodibunt, ſpero, ante ferias Natalitias. Simul lucem viderint, mit-

tam Eminentiſſimo Principi et illa, et librum de ciuili prudentia. Vtinam poſſent eſſe vſui tanti Principis *nepotibus!* *Lehmanni* Chronicon nihil eſt cauſſæ quare in compendium velis contrahi. Optarim eſſe plenius. *Hopperiana* illa, quibus ius publicum Iuſtinianeum comprehendit, ſunt longe doctiſſima, vt et quibus complexus eſt ius priuatum. Pars prior partitionibus ſuis nonnihil obſcurior eſt. Si tamen curaueris in tabulas referri, quod fieri poteſt facillime; obſeruabis inſignem methodum, et accurationem tractandi. Meam in *Euſtratium* præfationem placere, gaudeo. *Vigelli* libellus prodit auctoris prudentiam et peritiam rerum humanarum. Indubie itaque ille tibi hoc nomine præplacet. Epigramma meum ſi memoriam conſeruauerit inſolentis illius felicitatis mei Optimi Neſtoris, gaudebo equidem. Deus et illum, et Eminentiſſimum Dominum Electorem bono publico longum ſoſpitet! Sunt enim Principes vere incomparabiles. Heidelbergæ, rogo, commendes me data occaſione Sereniſſimo D. Electori. Animus eſt, illius nomini inſcribere *Anti-Walenburchiana* mea, quoniam præfabor pluribus de omnium religionum huius mundi fundamentis, eorumque recta diiudicatione. Quod argumentum Sereniſſimo

niſſimo illi Principi ſcio haud diſplicere. Velim etiam procures mihi exemplar libri a me conſcripti *de Vicariatu Palatino*, cum nullum mihi ſuperſit. Inquiras etiam, quaeſo, num D. *Friderico Spanhemio* reddita ſint, quae ipſi tranſmittenda dudum Hanoueram curaui; quidque de reditu ex Italia *Ezechielis Spanhemii*, fratris, certo ille acceperit.

CCCXXXVI.

Boineburgius Archiducis LEOPOLDI GVILIELMI obitum, et, quos libros ab *Conringio* exſpectet, ſignificat.

Moguntiae d. 4. Dec. 1662.

Iam redeo Francofurto. De Conuentu Imperii, herilibus auſibus nocituro, recte cenſes. Archidux deceſſit d. 21. Nouembris. Tua in *Grotium* nuncunde impetrari poſſint, obſecro quaeſoque, perquire. *Eicheliana* vt meo impendio deſcribi cures, pari cura precor. Mittam optimo *Baeclero*, cuius plagulas quaſdam proxime ſubmittam. Propolitica tua vtinam breui veniant ad me! Eminentiſſimo ſane per erunt grata. Epiſtolica diſſertatio de varia veraque iuriſprudentia ſui maximam exci-

tat mihi appetitionem. De *Lambecio* aſſentior. De *Blumio* nihil dudum accepimus; etſi homini plus ſemel ſcripſerim. Vſque adeo et ſui, et aliorum obliuioſa incuriaque eſt ingratitudo. Hiſtoriæ eruditionum tuæ Scriptorumque auidiſſime aduentum opperior. Plura propediem. Vale!

CCCXXXVII.

Conringius, quid mittere ſcriptorum poſſit, quid non, ſignificat, denuo a Suecis vocatus ad munus Conſiliarii Status.

Helmſtad. d. 2. Dec. 1662.

Specimen Bœclerianarum ad Grotium annotationum auide profecto deſidero. De meis diſſertationibus alicunde recipiendis hactenus fui fruſtra: itaque animum iam deſpondi. Eicheliana nondum legi. Si tamen poſſim nanciſci exemplum recte conſcriptum, curabo deſcribi. Propolitica mea ſpero ſaltem ante Kalendas Ianuarias in lucem proditura. Tum ſtatim mittam. Vale! Holmia Suecorum accepi literas a Senatoribus Regni, quibus offertur mihi munus *Conſiliarii Status*, ſi in *Suecia* viuere velim, annuo ſalario 1500; ſi *Stadæ*, mille Imperialium. Iam reſpondi, mihi propoſitum

tum eſſe, manere in obſequio Sereniſſimorum Ducum, præſertim cum me gratia ſua dignetur Optimus Princeps, et ſeculi noſtri Neſtor; adeoque certum eſſe, non relinquere ſtationem Academicam, in qua me Deus collocauit, et cui me aptum fecit, impium ſcilicet ratus, lucri ſpe illum locum deſerere, vbi optime omnium Deo in hac vita poſſum inſeruire. Scio, nec *Lambecium*, nec *Blumium* tale quid facturum. Non dubito autem, etiam abs te haud improbatum iri hoc meum conſilium. Vale!

CCCXXXVIII.

Boineburgius de MSS. *Chriſtinæ* Reginæ, præſertim Chemicis, et ex ore Boecleri de *Iſ. Voſſio* diſſerit, librum Batauicum et *Lambecium* diiudicat, et *Chriſtophori Forſtneri* epiſtolam de ſcribenda *Receſſuum Imperii* hiſtoria addit.

Moguntiæ d. 8. Dec. 1662.

Frequens quod ſim et creber in epiſtolari tecum commercio, tribuas velim irrequieto meo ac candido erga te amori, et diſcendi ardori quotidiano, laudatiori incertum, an inordinatiori? Debellare autem eum et exſatiare felicius non ſufficio, niſi

 con-

continente tui allocutione, cum e tuis ad me reſcriptionibus ſemper videar mihi locupletior diſcedere. Epiſtolam D. *Mauritii* lectu dignam et tibi viſam, gaudeo. *Voſſio* non fuit difficile, ex CHRISTINAE bibliotheca prædam agere: illam vero pœnitet, et redimere ab eo poſtulat. *Bœclerus* nuntiat, *Libanii* epiſtolas ineditas e ſua manu primum accepiſſe Reginam, Noriberga a *Ditherro* ſubmiſſas; eſſe ſupra 300. et addi *Saturnalia Iuliani.* De libris *Chemicis* MSS. ridiculum quod de pretio dicitur. Eos *Bœclerus* ſuis tractauit manibus: nam ſub aduentum eius in Suediam libri Pragenſes aduenerunt, et ab ipſo, *Freinſhemio*, et *Voſſio*, e doliis exemti et in ordinem digeſti fuerunt. Sed quid nobis rei cum illis libris? Ambigua enim et inſcrutabilia oſtentant, atque lectorem plerumque ſpecie myſteriorum allectum et hiantem deludunt. Spero, has nugas te digne excepturum porro, iterata tui libri de Hermetica editione. Vnde nec parum illuſtramenti omnis Antiquitatis eruditioni accedere poteſt. Hæc autem molimina, et de Chemicis et de doctrinæ cultu ſuperſtitibuſque cunctis retro Scriptoribus, etſi poſterius cumprimis auidiſſime exſpectem, non ſuſcipientur, niſi vbi ante politica ac Germanicæ Rei iu-

iuriſque generi toti humano communis prudentiam abſolueris. *Boeclerus* ait, in MSS. illis vnum fuiſſe venerandæ vetuſtatis codicem, librum Euangeliorum *Gulfilæ* ſeu *Vlphilæ*, in membrana violacei coloris, literis inauratis et iam pene fugientibus, Gothicis, primum exaratum: *Iſaaco Voſſio* eruditionis græcæ ac geographicæ ſatis eſſe ſupra vulgus; ſed non omnia vſquequaque ita habere, quæ iactat; optimas emendationes græcis in Scriptoribus pro ſuis venditaſſe, quas vel pater eius, quem ſpernat, pridem repererit, vel Italicarum bibliothecarum codices ſubminiſtrauerint. Ne ipſi quidem *Gronouio* admodum placet *Iſaacus* iſte; etſi cetera eius amantiſſimo, quoad dotes quaſdam alias. Nuper *Deuſingius* oſtendit, quicquid boni in Opticis eius ſit, id e MSS. *Willebrordi Snellii*, apud filium adſeruatis, tranſcriptum eſſe, diſſimulato autoris nomine. Auctor libri *Het Intereſt van Holland* cenſetur Leidenſis quidam Walo, *Pierre le Court* ſeu *Pieter van Hord* *. Multum valet intelligentia rerum ſuæ patriæ, ſingulari omni imperio ac regimini vnius infeſtiſſimus; *Barne-*

* Libellus ille paullo poſt germanice quoque prodiit, inſcriptus: *Wahres Intereſſe von Holland.* Lubecæ 1666. 12mo.

nfeldii quoque et noſtri *Grotii* manes quadantenus tuitus. De commerciis pulcra habet. Vix de ſtatu Batanico vſquam reperias meliora, ſi Grotianos libellos de *antiquitate Batauorum* et *Apologeticon* eius exceperis; quanquam *Boxhornii* et *Schookii* non ſint aſpernandi labores. De *Lambecio* nihildum porro accepi Vienna. De *Blumio* minus nihilo. Neſcio, quem in angulum is ſe abdiderit. Altum ſilet, neque ſine quaſi inſultatione. Ad tot enim meas ipſi oblatas literas ne gry quidem. *Lambecii* inſtitutum de hiſtoria literaria ſi continuaretur, multa inde vniuerſæ ſtudiorum oiconomiæ ac ſufficientiæ rerum librariarum obtingere leuatio poſſet. Fateor equidem, *Lambecium* promiſſis prædiuitem fuiſſe. Pollicebatur enim, quæ 50 homines ſumme et docti et laborioſi per longæuam vitam nunquam conficerent. Hiſtorica eius magis arrident. Ceterum memineris, *Forſtnero* me nuper ſcripſiſſe de *hiſtoria Receſſuum Imperii* condenda. Is reſpondit, vt ex iſtoc apographo ** cernere eſt. Quid dehinc

** Quod, quia necdum editum eſt, et publica luce dignum, ſubiungimus vnacum *Bæcleri*, de eadem re conſulti, iudicio. Rhenenſis pro-

hinc ei exiſtimes reſpondendum, vt opus aggrediatur, quæſo, doceto. Vale, et propolitica tua mittere feſtina, ſodes. *Io.* veſtri *Caſelii* ſcriptorum indiculum videre deſidero.

CCCXXXIX.

Chriſtophorus Forſtnerus ſignificat *Boineburgio*, quare hiſtoria et enucleatio Receſſuum Imperii nulla facile ſperari poſſit.

Mombeligardi Idibus Octobris 1662.

Literæ tuæ octauo Octobris datæ nudius tertius mihi redditæ fuerunt, prolixi amoris Tui et erga me beneuolentiæ teſtes. Quid reponam, non habeo, niſi animum beneficii guarum et cogno-

ſcen-

---

prouinciæ Principes et Proceres, Legum Imperii ceteris et indigentiores et obſeruantiores, diu eſt quod hunc lapidem voluunt. Memini ante hos viginti et plures annos ad conſimilem laborem excitari quemdam magni nominis virum, nunc viuis exemtum. Multa ille quidem in ſcriptis ſuis mentiebatur; ſed tam ſcite, tam docte, tamque eleganter mentiebatur, vt vel ex mendaciis eius quamplurimum vtilitatis et voluptatis haurirent intelligentes. Opus tum vrſerat Aulæ Darmſtadienſis Cancellarius, MASCOWSKIVS, venerandum etiam in cineribus nomen.

ſcentem, et, ſicubi occaſio erit, redhoſtiturum.
Qnod autem mea, tua commendatione, Eminentiſſimo Electori placent, quod is mei meminit, quod de ſtatu meo ſtudiiſque ſæpe percunctatur; id vero tale eſt æs alienum, quod a me nulla ratione expungi poteſt. Illum enim ego Principem cum paucis ac prope ſolum Germaniæ noſtræ Atlantem, et libertatis ſimul ac pacis vigilantiſſimum cuſtodem, noui, cui non reſpublica modo, ſed ſinguli quoque ſalutem et incolumitatem, ideoque viciſſim vota ſua preceſque ad Deum pro vita, ſalute et incolumitate eius debent.

Venio ad præcipuum epiſtolæ tuæ caput, quo me ad ſcribendam legum noſtratium ſeu *Imperii Receſſuum* hiſtoriam inuitas. Quæ profecto Sparta eſſet, quam ipſe nullo hortante arriperem, et ad quam genius meus nemine impellente ſponte ferretur. Sed cum, vti par eſt, omnia mecum reputo, quæ tantum opus aggredienti in promptu eſſe debent, a quibus me plane deſtitutum video; nimium temeritatis conatus ille mihi habere videtur, a quo niſi cum famæ iactura regredi non liceret. Noſcenda Reipublicæ, quæ quoque tempore fuerit, natura, forma, facies, libertas; an vnius potentia præualuerit; quis ad Co-

Comitia accedentium animorum habitus; qui fines; quæ ſpes, metuſue; quæ cauſſa Cæſarem ad vocandos Imperii ordines permouerit; (plerumque enim aliam in publico ediſſerere; aliam in ſecreto recluſam tenere, mos eſt) boni publici cura, an regnatricis Domus commoda; neceſſitas, an ambitio. Tenenda ad vnguem illorum temporum hiſtoria: quæ *Friderico III.* (ab hoc enim exordienda tela eſſet) cum Gallis et *Carolo* Burgundo; *Maximiliano I.* cum Pontifice Romano, cum Galliæ et Angliæ Regibus, cum Venetis, cum Heluetiis; quæ *Carolo V.* præter iam enumeratos cum Germaniæ Proteſtantibus; quæ *Ferdinando I. Maximiliano II.* et *Rodolpho II.* cum iiſdem et Turcis res interceſſerint, ſane multæ et magnæ. Et ſuperioribus quidem, *Friderico*, *Maximiliano*, *Carolo* cum fratre *Ferdinando*, qui geſta ipſorum, quamquam impari ſucceſſu laudeque perſcripſerunt, non defuere decora ingenia, non ex Germanis tantum, ſed et externis, *Gerardus Rous*, *Bilibaldus Pirckheimerus*, *Iohannes Sleidanus*, *Bellaii* fratres, *Guicciardinus*, *Iohannes Baptiſta Hadrianus*, *Tarcagnota*, *Vlloa*, alii. *Maximilianus II.* et *Rodolphus II.* quanquam multa geſtorum fama, tamquam

quam nihil egiſſent, pene ſilentio tranſmiſſi ſunt. Etſi enim bella Hungarica ab vtroque geſta pluribus ſcriptoribus memorata fuerint, celebribus, obſcuris, claris putidiſque; Aulæ tamen facies, vtriuſque Principis inclinationes, *Maximiliani* egregium erga Rempublicam et Eccleſiam concordiæ ſtudium et moderatio; *Rodolphi* ingenium a Reipublicæ curis ad ignaua pictoriæ, ſculptoriæ, aurifontoriæ, mathematices ſtudia traductum, ſimul omnis potentia in *Poplios*, *Rumpſios*, *Hanibaldos* ceteraque publici odii nomina tranſſcripta; præterea arcanus erga gentiles Græcenſes fauor; in *Matthiam* fratrem odium, tum huius cum Auſtriacis et Hungaris conſpiratio, extortaque *Rodolpho* regna, poſtremo Aquiſgranenſis Donauerdenſisque controuerſia, et Iuliacenſis hæreditas, atque inde nata infauſta *Ligæ Vnioniſ*que nomina, haud perinde poſteritati innotuerunt. Poteramus earum rerum notitiam a *Nicolao Iſtuanſio*, *Rodolpho* Cæſari a Secretis, minime abſurdo rerum Hungaricarum ſcriptore, ſperare, ni præpropera mors hominem e medio curſu nobis eripuiſſet. Fama eſt, Comitem *Keuenhullerum*, qui multos annos Cæſareum in Hiſpania Oratorem egerat, illorum temporum hiſtoriam condidiſſe. Sed illius, quantum

mihi

mihi conſtat, nihil in publico comparuit. Vna tantum in bibliotheca mea exſtat *Contareni*, Veneti apud *Rodolphum* Legati, relatio, manu exarata, ex qua aulæ illius, Cæſariſque et præpotentium Miniſtrorum ingenium perdiſcere licet. *Matthiam* Imperatorem breue regnum, et morbis inualida ſenectus, et opportunus exceſſus turbis et bellis, ſimulque hominum memoriæ, ſubduxerunt. *Ferdinando II.* Imperatori conſilio, factis, fortuna vere maximo, vnum ad felicitatem ſummam defuit, dignus parque rebus geſtis præco. Non me latet, a Tillio *Erycium Puteanum*; a Fridlandio *Forteguerram* quendam Florentinum, magnis ſtipendiis ad ſcribendam hiſtoriam inuitatos. Ipſe *Ferdinandus* cucullato cuidam Auguſtiniano id muneris detulerat, et cum is exſpectationi minime reſponderet, plures nominati, omnes reiecti fuerunt. Ego ſemper *Nicolaum Burgundium*, tunc Ingolſtadii agentem, præ ceteris tantæ prouinciæ idoneum credebam. Attamen præter Auguſtiniani, quem modo dixi, exiguum ſpecimen, nihil in lucem prodiit. Succeſſere alii, nullis neque publicis neque priuatis ſuffragiis, non principum mandatis, non auſpiciis, non ſtipendiis, ſua tantum ambitione et fœda a-

dulandi libidine auctorati. Æquum tamen eſt, ex proletariorum iſtorum numero eximere *Leonardum Papum*, Canonicum Conſtantienſem, et *Galeatium Gualdum*, Vicentinum, cum duobus aut tribus aliis Italis, qui hiſtoriæ decus cum laude tutati ſunt. Si qui ſunt alii mihi ignorati, ii meam potius inſcitiam excuſabunt, quam accuſabunt malignitatem. Porro, etſi hiſtoria nihil nos ignorare ſineret earum rerum, quæ negotiorum hominumque intima cognitione nos inſtruerent; tamen quæ poſtea in ipſis Comitiis proponuntur, tractantur, diſputantur, quotuſquiſque ita, vt oportet, nouit, niſi qui rebus ipſe interfuit, aut qui Actorum omnium copiam habuit? Ea vero omnia Eminentiſſimi Electoris Moguntini ſecreta ſanctaque cuſtodia aſſeruantur; apud ceteros Principes per partes tantum et membra, in Principis mei chartophylacio prope nulla exſtant. Quod ſi et iſta omnia ſuppeterent; quando tamen plerumque aliud ore promtum, aliud pectore clauſum habent homines, ad intima conſiliorum, veroſque fines penetrandos, acerrimo iudicio et exactiſſima ingenii ſolertia opus eſt. Omiſi, quod minime prætereundum fuerat, Germanicis rebus plerumque Pontificis Romani, Gallorum, Hiſpanorum,

norum, Principum Italorum negotia miſceri, quæ non minus, quam noſtra, exacte noſſe neceſſum eſt. Poſtremo, vt nihil omnium iſtorum ſcriptori deſit, quis tam demens, tamque ſuæ ſalutis contemptor erit, vt intractabilia, medentiſque manum refugientia Reipublicæ vulnera, dominantium ambitionem, immodicam procerum et contumaciæ propiorem libertatem, horum illorumque conſilia arteſque, exterorum quoque vulpinas, ſuiſque tantum vtilitatibus tendentes fraudes, noſtram ex diuerſo ſtupiditatem, bonas ſed vanas et ſine auxilio leges, malos mores, lites ac controuerſias, quæ iudiciis debebant, armis vindicatas, eluſam denique potentia rerum iudicatarum vim et auctoritatem, tangere audeat? Sunt iſta, Illuſtriſſime Baro, quæ non me tantum iſta ætate tamque affecta valetudine hominem, ſed alios quoque corpore animoque me valentiores a tanti non minus periculi quam momenti incepto deterrere poſſunt. Quanquam fortaſſe non deerunt, qui vana virium præſidentia, et neceſſarii ad tantum conatum inſtrumenti ignoratione, de poſteritatis, quæ ſuum cuique decus rependere ſo-

let, indicio ſecuri, rem aggredientur *, quæ, niſi ipſis, nulli placebit. Mihi illud *Plinii* probatur, *magis in ſtudiis homines timorem, quam fiduciam decere.* Vale, Illuſtriſſime Domine, et me amare perge!

CCCXL.

I. H. Bœcleri ſententia de eodem argumento ad *Boineburgium* perſcripta.

Argentorati d. 1. Dec. 1662.

Valde ſuſpexi et conſilium tuum et pro patria ſtudium, poſtquam, quid *Forſtnero* detuleris, et ab eo reſponſi loco acceperis, cognoui: cum præſertim in eo, quod caput eſt, congruere illum meæ ſententiæ videam. Propoſui apud te id conſilii **; non autem expoſui: niſi quod ſatis meminiſſe te ſpero, me ad ſpem ſubſidiorum ex archiuis omnia retuliſſe. Licet nobis aliquid proponere; vobis Diis, et qui Diis proximi eſtis, in manu eſt, promouere, an deſerere velitis eas curas,

* Hæc in ſe dicta, cum vidit, exiſtimauit *Bœclerus*, quippe auctor primus huius conſilii; vti patebit ex ſubiecta eius epiſtola.

** Ad aquas Mattiacas ſeu Swalbacenſes *p. 880. 884.*

ras, quæ patronis maximis indigent. Sicut et in illo de Electoribus opere, niſi animum mutas, forte ſum effecturus nonnihil; ſed ſi archiuum veſtrum habeo propitium. *Tria* autem, puto, ſunt ſubſidiorum genera, quibus ad hiſtoriam pragmaticam *Receſſuum* opus eſt; ſi quidem ea conditio adſit, quæ vnice vnica eſt, et primo loco, ſiue ante omnia dici debebat, a me autem poſt cetera dicetur. *Primum* genus ſubſidiorum petitur ab iis, qui condendis legibus et Comitiis interfuerunt. Vt, ſi quis hodie ab *Olhaſio* aliquo repetat, quæ de ſingulis negotiorum partibus et generibus in negotiatione Pacis Monaſterienſi, circa deliberantium ſtudia, propoſita, non minus arcana quam aperta, fecerint momentum aliquod aut intertrimentum, donec res in formulam iuerit; et poſt in diæta Executionis Noribergenſi eodem modo; tum in nouiſſimis Comitiis Ratiſbonenſibus anni 1654. Nam de Comitiis Imperii ſiue eligendi Imperatoris Francofurtenſibus non dicam. De quibus omnibus vel ſolus eſt Illuſtriſſimus *Boineburgius*, qui formam rerum et conſiliorum habitum memoriter ediſſerere poſſit. Hoc tempus, dum adhuc ſunt, qui tractatu ipſo edocti poſſent ſuccurrere tali operi, negligimus, do-

nec denique deficiat hoc ſubſidii genus ſane nobiliſſimum, ſicut nunc in rebus patrum et auorum eo deficimur. Huic ſubſidio debemus epiſtolas illas *Forſtneri* de paucis quibuſdam Pacis Oſnabrugenſis capitibus: quantum ſupereſt ad omnia? cum præſertim totum Imperii noſtri corpus in ſingulis partibus et partium partibus reproduxerit ſua deſideria, iura, ſpes metuſque, atque vniuerſi Iuris publici, quod vocant, argumentum in ſummam et legem denuo tum iuerit, quid vtilius integro opere hiſtorico Formulæ Oſnabrugenſis? At ſunt quædam arcana et ſilenda? Non deeſſet forte media ratio et artes ſine offenſione attingendi, quod ſine detrimento negotii ignorari nequit. Quædam autem omnino tacerentur. Non opus, quis e Legatis Suedicis; quantum pecuniæ; a quo; cur? acceperit, enuntiare. Et ſi quæ ſunt huius generis alia. *Olhaſius* nunc agit priuatam vitam. Forte ab eo aliquid impetrari poteſt. Nam a *Forſtnero*, ſi, quæ ad Inſtrumentum Pacis pertinent, abſoluerentur, magnum ſic quoque ſeneċtuti eius penſum attributum poſſit videri. Certe vt ab vno omnia ſperem, non poſſum a me impetrare. Accedendum eſt ad *alterum* ſubſidium operis, quod monumenta hiſtorica continet, vel

per

per modum Actorum, vel alio quocunque ſchemate emiſſa tamen in publicum et producta. Ea apud te enumerare, Illuſtriſſime Domine, eſſet noctuas Athenas ferre. Nam ceteris quidem pleriſque plurima in hoc genere ignorari certus ſum, nec de vero vſu tractatuque talium monumentorum proletaria notitia eſt. Quantum etiam exteris, quorum res cum noſtris permiſtæ fuerunt, hic debeamus, ſi eorum monumenta perite verſentur, non eſt opus diſſerere. In rebus *Maximiliani II*, incipiunt hiſtorica monumenta deficere: quod deliquium per longum *Rudolphi II.* regnum, et *Matthiæ* tempora tenet. Nam *Ferdinandi II.* licet contextam non habeamus, quæ æſtimari mereatur, hiſtoriam; minima tamen, maxima, in publicis ita innotuerunt, vt nec conſilia regnatricis domus, ipſa quamuis nouam periodum ingreſſa, nec quicquam ſecretorum propoſitorum, in occulto manſerint, vel amicis prodentibus. Certe ab eo tempore tantum de his rebus etiam ad mediocriter ſolertes homines euulgatum eſt, quantum olim vix interiores aulici penetraſſent. Denique eſt aliqua notitia Reipublicæ noſtri ſeculi, quod tu amplius iudicabis, Illuſtriſſime Domine! Eam ego minime ex *Papi* Con-

ſtantienſis exiguiſſimo libello, bono equidem, nec ex *Gualdi* ſcriptis peterem, aut aliis petendam iudicarem. Qui enim hic præferri poſſint, non ſunt in obſcuro. Sed hæc totam diſſertationem exigerent. Veniam ad ſubſidia *Archiui*, id eſt, ad præcipuum huius totius negotii auſpicium. Abſque hoc nihil tentari in publicis, nihil perfici poteſt. Sed Archiui, ea copia, prouiſu, collectione, inſtructu, vt res poſtulat, quam rara ſunt exempla, imo quam noua? Quo enim defectu laborarint ſuperiore ſeculo Archiua, vel ex iis Principum et Electorum literis intelligi poteſt, quibus *Sleidano* ſubſidia hiſtoriæ petenti reſponſum eſt. Nona, inquam, diligentia eſt, qua Ordines ſinguli in comitiis non ſua tantum, ſed aliena curant, et quid ad vllum in negotiatione pertinuit, ad ſe quoque pertinere putant, aſſeruant, deſcribunt. Imo, comperta dico et vera, noui res Oſnabrugæ tractatas, nec ex voto confectas, quarum acta fruſtra requiras in Archiuo Principis, cuius cauſſa agebatur. Moguntinenſe igitur Archiuum omnes reſpiciunt: ad hoc tanquam ad oraculum ora obuertunt ſua, qui publica ſapiunt, aut amant. Non enim credo, verum eſſe, quod fama, vt horribile ſecretum, in aulis tamen nonnullis

nullis diſtulit, Suecos magnam partem Archiui Moguntini abſtuliſſe ***, et inter ſpolia Germanica, quæ *Axel Oxenſtiern* naui impoſuerat; naufragio amiſiſſe. Atque hic noua quæſtio ſe emergit: an ex inſtructiſſimo Archiuo ſatis inſtrui poſſit, qui abſens eſt, et propiorem rebus inſpiciendis oculum commodare nequit? Quis enim eius cauſſa tot labores ſumet? Quis ex voto eius ſingularia quædam obſeruabit? Non eſt nullum in mundo conſilium, ſed res cogitatu digna eſt. Ad Archiui opes referemus etiam illas Relationes Legatorum variorum de Imperatoria et aliis aulis, ad quas miſſi erant. Quales collegiſſe olim peregrinatores Principes iuuit. Vidi vnum et alterum volumen; quædam etiam deſcripſi. Ea autem non ſunt vnius generis; ſicut facile intelligat, qui cogitet. Verum age, ſint ea parata inſtructaque omnia; quis, niſi vocatus conductuſque, manum admouebit? Vides ergo, Illuſtriſſime Domine, veſtri, id eſt, Heroici operis eſſe, aliquid tale moliri. Scio, quam ſollicitum et curioſum ac faſtidioſum iudicium ſit in eligendis Scriptoribus,

*** Vide, ſi placet, quæ notauimus ad *p. 959.*

qui conducantur, nec leue operi id impedimentum; ſed otio certe opus eſt ei, qui conducendus ſit, idque vnicum iſtud eſſe ſupra dixi, ſine quo nihil ſperari poteſt. Non potuit *Sleidanus* manum operi admouere, antequam rei familiari in tantum proſpexiſſet, vt inpoſterum vacare huic vni præcipue negotio poſſet. Nam *Thuanus*, magnarum vir opum, multis oculis, multis auribus vſus eſt. Sed moror tua tempora. Hoc voluî dicere, niſi tuo auxilio aliquid rerum in hoc genere geratur, deſperandum eſt, vt hactenus deſperatum fuit negotium. Id tantum rogo, ne familiaris ſermonis audacia, olim coram cœpta, mihi fraudi ſit, neque vnquam fiat, vt clauſula epiſtolæ *Forſtnerianæ* in me torqueatur. Nam ignorationem quidem omnium rerum, et meî ipſius, facile patior mihi attribui; a præfidentia autem et vanitate, vt hactenus, ita deinde me immunem Deus præſtabit maxime.

CCCXLI.

Conringius de *Iſaaco Voſſio* et *Lambecio* nonnulla præfatus, *Forſtneri* laudat epiſtolam.

Helmſtad. d. 4. Dec. 1662.

Mihi vero nunquam non literæ tuæ ſunt acceptiſſimæ, cum quoniam teſtantur perpetuum in me fauorem; tum quia et me multa interdum docent

cent. Vtrumque certe præſtant, quas d. 8. Decembris Moguntiæ exaratas hoc ipſo momento vna cum *Forſtnerianis* accipio. De *Iſaaco Voſſio Bæclerus* et recte iudicauit, et ſimul narrauit ea, quæ ſunt veriſſima. Male ille homo meritus eſt de CHRISTINA, idque multis modis: flexo ſcilicet incautæ fœminæ animo ad Atheiſmum et malos mores; ſurreptis et libris, et aliis nonnullis haud leuis pretii; vt quidem conſtans eſt in Suecia fama, et denique nunc etiam improbis voculis carpta pudicitia. Ego illum deprehendere mihi viſus ſum et impium, et improbum: doctum quidem Græce et valentem ingenio; ſed plura iactitantem, quam præſtare poſſit ſuis quidem viribus, diſſimulantemque quidquam ſibi a Patre relictum, quo poſſit innari. De *Chemicis* libris optime indicas. Ego nemini ſim auctor, vt illos vel centum thaleris emat; etſi bonus Cæſar RVDOLPHVS illos theſauri loco æſtimauerit, et ne nunc quidem nonnulli, etiam Principum, toties decepti, deſinant ineptias illas amare. Niſi fallor, de omni iſthac re, vt et de illius vaniſſimæ artis prima origine pariter ac progreſſu aliunde multa iam dixi opere de *Hermeticis*, vt nihil opus ſit quidquam addere editione ſe-

ſecunda, quam tamen propediem curare eſt animus. Librum illum de rebus Hollandicis ab aliis quoque commendatum audiui hactenus; ille tamen mihi viſus non eſt. Dabo operam, vt conſequar. De *Lambecio* ita eſt omnino, vti ſcribis. Vtinam ſaltem nunc inuenerit locum, vbi poſſit conquieſcere. Niſi tamen adorauerit Ieſuitas, quod illum ab animo ſuo poſſe impetrare haud equidem crediderim, mirum, ſi ex voto illi noua hæc fortuna ſucceſſerit. Vere enim in humaniore omni literatura longe eſt Sociis illius loci doctior, eoque illos præ ſe ſpernit non immerito quidem; ſed non ſatis caute atque ad genium illius loci. *Forſtneri* epiſtola, dicere nequeo, quantum me exhilarauerit. Nec elegantius, nec doctius, nec plenius illa quidquam fingi poteſt. Indicat profecto optime de *hiſtoriæ Receſſuum* ſcribendæ difficultate, et ſuis viribus pariter. Nunquam hoc onus ſuſcipiet vir vtique ſummus, et quem ego vnum noui illi argumento idoneum. Itaque non etiam eſt, quod porro illum hoc quidem roges. Vtinam poſſis ſaltem impetrare ab illo, quas iam tum de rebus noſtri æui ſcripſit, epiſtolas; aut vero etiam hiſtoriam noſtri temporis! Epiſtolæ ſane illius ſunt plenæ et prudentia

pa-

pariter et eloquentia, et peritia intima omnium reipublicæ rerum, interque *politicas*, me quidem indice, palmam merentur. Proximo vere, ſi Deus velit, ope nundinarum Francofurtenſium mittam illi nonnulla mea cum reſponſo ad literas, quas ad me dedit, ſumma humanitate plane refertas. Quod, rogo, data occaſione ipſi nunciare ne graueris. Vale!

CCCXLII.

Boineburgius ſigillatim reſpondet Conringianæ d. 26. Nov. ſcriptæ.

Moguntiæ d. 12. Dec. 1662.

Ratiſbonæ propoſitionem in vigeſimum Ianuarii præfinitam eſſe, acceperis. Ita Doctores illi, qui Comitia nondum viderunt, et coram inſpicere illa ſcilicet myſteria diſcupiunt, admodum lætabuntur, dum exiſtimandi copiam inde nacturi ſunt, fore, vt et ipſi Francofurto Ratiſbonam properare breui ſinantur. Infida hæc initia erunt, imo nulla, ſi vel puſillum ſpei de pace Turcica ſuperauerit. Electorem Palatinum eis pauculos dies adibo, legatione functurus non quidem valde hilari, aut iucunda, nec ipſi, neque mihi; at vnde forſan terminari expeditius queant, quæ illi

cum

cum Haſſis et reliqua vicinia, quam omnem ſibi infenſam vtique habet, intercedunt. Reſponſum tuum aduerſus *Walenburchium* ſub incude eſſe, oppido lætor. Quod Palatino Electori inſcribere paras, gaudeo, et ipſi præſignificabo. Scio, per ipſi acceptam fore hanc operam. Nec indigne id feret *Walenburchius*. Ego autem impenſe gaudeo, vel ſic forte occaſiouem nobis accreſcere, medio velut inter partes hoc Principe, diſputationem iſtam ſacram efficacius inuicem proſequendi. Exemplum operis de prudentia ciuili et Elector meus, et ego, proxime exſpectabimus; multo autem cupientiores ſumus *propoliticorum*, quæ vnice opto, et expeto. Nunquam enim tuorum ſcriptorum me ſaties capit; nedum faſtidium vel tantillum, vt etiam ne expleri quidem poſſe arbitrer, quoniam incredibilis eſt votorum meorum, quibus illa deſidero, auaritia: quam certe non inhoneſtam reor. *Lampadiana* paullatim ſubſequentur. Optime mereberis more tuo de republica, et de omni ſtatu noſtrate, et de hominum Germanicæ Rei cupidiſſimorum profectu, vbi Hippolytanos errores ſub Lampadianæ commentationis decurſu emendaueris. Vna ſic fidelia non vnos parietes dealbabis; idque ſine omni inuidia.

Male

Male ſit chartis illis, quæ vetant, quo minus Scioppianæ aureolæ pædiæ prælum commodetur. Sicunde adhuc, priuſquam publicetur, dedicationem *Ludouiſio* Cardinali inſcriptam conſequi ſuſtinuero, continuo ſubmittam. In mentem venit *Bodinianorum* arcanorum. Ea optime habebitis parario Electore Palatino, quem apud, qui illa poſſidet, inprimis gratia valet. Nomen huic *Habbeo* *. Credo, non is vobis adeo eſt ignotus. Caue autem reſciſcat homo, ſe me indice proditum eſſe. De tabulis aſſentior tibi. In ethicis pulcras nuper concinnauit *Thomaſius*, Lipſienſis Profeſſor. Si *Eſcluſchii* gallicas nanciſci quiuero, non male conſultum putabo pubis noſtræ ſtudiis. De Apologiæ Valerianeæ auctore recte nuper cenſui. *Kortholto* adſcribitur ab iis quoque, qui exploratam

---

* *Ioannes Habbeus*, Oſtfriſius, coronæ Suecicæ miniſter *reſidens* apud Principes Rhenenſes fuit, vir callidus, nec indoctus; ſed quod negotiis variis ſe ingereret, poſtremo varie inter flatores iactatus. Scripſit anno 1658. cauſſas, quibus Rex Sueciæ motus Curlandiæ Ducem captiuum Rigam abduxit: quod ſcriptum relatum eſt in *Londorpii tomum octauum*, vbi legitur *p.* 482. *ſeq.* vnacum ſubiecta reſponſione. Vid. *ep.* 347. et 344.

tam totam rem habent. Ienæ olim docuit; nunc Roſtochii, ni fallor. *Ludolfi Hugonis* nomen mihi per eſt charum. Felix ille, te magiſtro; tali profecto tu diſcipulo gloriofus. Valet iudicio et intelligentia pluſquam quotidiana. *Lambecio* precor quietam vitam, quo perficere bella cœpta valeat. *Florus* Viennæ hæret, loco quamlibet nullo, tum et aulæ inuiſus; imo, ſicut contingere talibus ſolet, ridiculus. Doleo, eius ingenii mores immite hoc fatum in ſe prouocare. Vtinam ſuo ſe pede metiri didiciſſet. Politicas diſputationes, quales tua in ſchola enatæ ſunt, quin ſumma cum vtilitate iunctim quis habeat, næ! quiſquis dubitet, gnauiter oportet inſanus ſit. Si meos in vſus pleraque hæc tua ſeligere voles, apprime tibi multum debiturus ſum. Nemo enim in Germania vniuerſa tui eſt amantior, tuæque diſplicinæ appetens magis, maiorique cum animi voluptate inde ſentit ſe profeciſſe. Alii, vt comperi, dedocenda didicere; tuis qui libris et lineis adſueuerunt, abundant rebus, quas et alios, ſæpe maiores ſe, doceant: quod tamen præfiſcine dixerim. In politicis elementis *Cellarium* et *Boxbornium* præſtare ceteræ turbæ, ecquis ambigat?

Sed

Sed quid arbitraris de Beſoldiana ſynopſi? Peſſime et de lectoribus et de ipſo meruit *Heidmanno*, qui edidit hiſtoricum eius compendium, quod omiſit apponere fontes. Fecere id alii, *Turſellinus*, *Petauius*, *Io. Cluuerus*, et quotquot Sleidani IV. Imperia notis illuſtrarunt. Iraſcor editori illi non parum. Aſt quidni ſecundum edit libellum venuſtiſſimum, reliquumque æuum attexit? *Bœclero* ſubinde calcar apprimo, vt perſequatur, quod eſt orſus. Grotiana, et paucula, quæ affecta habet, alia ſimul abſoluerit, non erit difficilis exoratu. Et in me id ſuſcipio. A *Gryphiandri* concuſſu vt te vindices, obſecro. Tanto magis matura alteram, ſeu tertiam editionem libri de *origine iuris Germanici*. *Feldii*, vt *Carteſii* ſectatorum, philoſophemata audiri poſſunt; non debent velut oracula ſuſcipi. Naſuta ſunt magis, quam acuta. Vix enim acumen agnoſco, vbi a vero immane quantum abluditur. *Pufendorſio* dicam, quæ ſcribis. Vere ais, *Lambecio* ingenium, quale *Floro*. Non ouum ouo ſimilius. *Lehmanni* Chronicon non ita dixi in epitomen eſſe contrahendum, ceu nimis prolixum crederem; ſed quod, quæ ad Germaniæ Imperium ſpectant, ſeorſum tradi mallem, ſemotis nonnihil aliis. Vtinam et iſtis tua quædam præ-

ſatio aliquando obtingeret, puta, vtinam ſeorſim ederentur, perinde ac *Hoppero* contigit! *Vigellum* certe poëtaſtrum lubens legi, longeque præplacet *Philelpho*. Epigramma tuum aulici viri elegantiem inſignem prodit. De reditu *Ezechielis Spanhemii*, vbi Heidelberga huc reuertero. Tum et de aliis, quæ percontaris. Vale!

CCCXLIII.

Reſpondet *Boineburgius* Conringianæ ex d. 2. Dec. addens, quæ Viennæ fata ſint cum *Lambecii*, tum *Blumii*.

Francofurti d. 20. Dec. 1662.

Redduntur mihi iam tuæ literæ, cum eſſem ad iter Heidelbergenſe in procinctu. Specimina Boecleriana proxime mittam. Supra X plagulas iam tum accepi. Tua vt mihi colligi cures, ſummopere oro. *Eichelliana* ſi deſcribi curaueris, multum tibi debebo, vti ſemper. *Propolitica* tua vt quamprimum ad nos deferantur, perpetuum et quotidianum noſtrum votum eſt. Quod *Suedicam* vocationem declinas, probe, et pro cetero tuo erga patriam et ſeueriores literas amore facis, quas quippe loco, quo es, longe felicius adiuuare et orna

re

re potes. Paucis ea animi æquitas, et tam prona in rem eruditionis voluntas eſt. *Lambecius* ſacramentum bibliothecarium Cæſari dixit. *Florus* Viennæ ad aulam *equitare* ſolet, magno paratu maioreque ſui fiducia, quam forte oporteat. Apud *Locowizium* perhibetur gratia permulta florere. Quanti cum alii faciant, neſcio. Doleo ego plurimum, hominem ab iis ſtudiis alienatum eſſe, quæ non parum decorare potuiſſet. Vale!

CCCXLIV.

Conringii ſententia de primordiis Comitiorum, de *Io. Habbeo*, de auctore defenſionis Valerianæ et hiſtoriæ ſcriptorum trium de Concilio Tridentino, de Blumii *nobilitatione*, et de ſtilo *Bæcleri* ſubliміori, quam res decet, quæ ſcribuntur.

Helmſtad. d. 13. Dec. 1662.

Quas duodecimo Decembris Maguntiaci exaraſti, traduntur mihi iam iam examen inſtituturo candidati artis Medicæ. Reſpondebo tamen; idque ſaltem paucis. Cum dies propoſitioni in conuentu Imperii Ordinum ſit tandem aliquando dictus, non dubito, res Hungaricas non omnino bono et ſecuro eſſe loco. Et vero qui poſſint eſſe in illa ciuili diſcordia Hungarorum, quam commouit ſa-

era tyrannis veſtrorum aliquot zelotarum? Vereor equidem, ne deſperatio meliorum homines, et bonam Hungariæ partem reliquam, adigat tandem ad deditionem et conceſſionem ſpontaneam ſub iugum Turcicum, nata opinione, tolerabilius eſſe tyrannide ſacra Auſtriaca. Omnino autem tecum facio: ſimulac illuxerit ſpes pacis cum Turcis ineundæ, Aulicos turbaturos omnia, operamque daturos, vt Comitia rurſum diſſoluantur. Quod ſi tamen acceſſerint prudentia et auctoritate pollentes Legati, concordibus Ordinum ſententiis poterunt facile illæ quidem artes eludi, atque adeo melior ſperato ex Comitiis fructus naſci. Vtinam interea tu poſſis ita diſponere Electoris Palatini animum, quo inter Sereniſſimas familias Principum ſaltem odioſa illa diſſidia componantur! Precor ſane tibi in id auxilium diuinum. *Anti-Walenburchicorum* meorum iam nona plagula calet ſub prælo, et propoliticorum viceſima. Lampadianorum partem primam, quæ tota eſt politica, et ſecundam, quæ agit de Republica Romana veteri, publicis diſſertationibus iam abſolui: nunc et typographo reddentur illa annotata diſſertataque. A feſto pergam, Deo volente, ad ipſiuſmet Germanici Imperii tractationem. Incepi interim priuatim de ſingulis prin-

principatibus et aliis Rebuſpublicis Imperii noſtri, vt et de fœderatis Heluetiorum Belgarumque, eo filo, quo perſecutus ſum res rerumpublicarum aliarum vniuerſi mundi. *Habbeum* noui familiariter; natum ſcilicet patre, ciue meo. Illum vero eſſe in ſeruitio Palatini, nondum acceperam. Neſcio an ſit conſultum, vt meis literis arcana illa *Bodiniana* ab ipſo petam: nec enim velim te proditum. Quod ſi per Electorem poſſit res confici, non opus foret illa mea opera. Tempus docebit. Tabulas *Thomaſii* non vidi. Scio, virum eſſe eximie doctum. *Kortholtum* eſſe auctorem Defenſionis Valerianeæ, nondum patior mihi perſuaderi. Inquiram tamen diligenter. Manifeſto apparet, hominem fauere nouis dogmatibus Ieſuitarum, et *Caramuelis* de probabili conſcientia, ſimulque eſſe conſcium multorum Ieſuiticæ ſectæ arcanorum. Et vero cui bono noſtrum aliquis ſimulet ſeſe Papiſtam in cauſſa illa Valeriana *? Qui de tribus Tridentini

Ttt 3 Con-

* Pontificium ſe ſimulauit *Kortholtus*, vt eo liberius perſtringere poſſet Societatis Ieſu Theologos; quemadmodum *Pufendorfius* Italum ſe finxit, vt eo tutius tangeret vulnera reipublicæ patriæ. Libellus *Kortholti* primum

Concilii hiſtoricis ſcripſit *Aquilinius*, ſatis prodit, Ianſeniſtam eſſe ſe, et ſtilus arguit hominem Italicum. Ego libellum a centenis mendis liberaui, quo poſſit cum fructu recudi; ſi opus fuerit. De *Lambecio* et *Floro* ita eſt, vt ſcribis. Ab hoc ſcripti aliquid non eſt fortaſſe quod exſpectemus. Cauendum ſcilicet illi homini eſt, ne *nouam Nobilitatem* atramento maculet et dehoneſtet. Sed et *Lambecius* vix perget in ſuis Hamburgenſibus. Fortaſſis

---

mum prodiit anno 1661. ſine mentione loci, inſcriptus *Valeriani Magni chriſtiana et catholica defenſio aduerſus ſocietatem Ieſu, hereſi vel atheiſmo infectam.* In alloquio ad lectorem auctor *Theophilum* ſemet adpellat. Hanc editionem, quam præ manibus habeo, dum hæc ſcribo, ignoraſſe videtur accuratiſſimus *Cimbriæ literatæ* conditor *Io. Mollerus*, laudans *t. 3. p. 368.* tantummodo alteram, anno 1662. Roſtochii excuſam et inſcriptam *Valerianus Confeſſor ſeu ſolida demonſtratio etc.* Vbi ſimul refert, exempla omnia primi libri contra hunc ſcripti iuſſu Electoris Moguntini ſuppreſſa fuiſſe: id quod ego non in gratiam *Kortholti*, ſed propterea factum putem, quod ſcriptum illud aduerſarium, in diœceſi Moguntina typis excuſum, ſine cenſura Ordinarii in lucem protruderetur.

teſſis tamen laborabit porro in ſua hiſtoria literaria; quanquam oneri impar. A *Bœclero* nihil niſi doctum exſpecto. Vtinam ſtili ſublimitatem poſſit temperare, et reducere ad illam tenuitatem, quam exigit ratio docendi! qua in re plane artifex eſt *Grotius*. Nunc illa ſcribendi ratio, cui aſſuevit, doctrinam efficit obſcuritate laborare. *Eicheliana* in Grotium videbo num poſſim nanciſci probe deſcripta. Vale!

CCCXLV.

Conringius forte contentus ſua *Lambecii* et *Blumii* ambitiones ridet.

Wolſembutteli d. 18. Dec. 1662.

Prolixiores dabo, vbi Heidelberga rediiſſe te intellexero. Nec enim dubito, ſimul tum nonnulla me accepturum, quæ vt ſcire deſidero, ita reſponſionem mereantur, præſertim ſi addideris aliquod ſpecimen *Bœcleriani* operis in *Grotium*, quod exſpectare me tuæ iubent, quæ iam redduntur, 20 Decembris exaratæ. Interim forte et *propolitica* abſoluentur. Properant ſane ad finem. Gaudeo, probari tibi conſilium meum de Suedico munere recuſato. Mihi animus, Deo et Sereniſſimis Prin-

cipibus, quod ſupereſt ætatis, impendere, ſpreto lucro, quod alicunde affulget. Contentus ſcilicet ſum ſtatione et ſorte, quæ hactenus mihi conceſſa eſt. *Lambecii* animo non par erit, ſcio, Cæſarea bibliotheca; quamuis ſatis inſtructa, et apta ſtudiis promouendis. *Florum* quoque equidem vereor ne *peditem* tandem faciat deficiens crumena. Doleo vtriuſque viri non ſatis ad rem literariam et Muſas compoſitum ingenium. Te vero tuaque, Illuſtris Domine, etiam atque etiam Dei tutelæ commendo. Vale!

CCCXLVI.

Idem optat, vt *Ludolfus Hugo* politicæ Legum Imperii interpretationi admoueri, et *Forſtnero* plus epiſtolarum extorqueri poſſit, adiecto ſuſpirio ſacris vigiliis accommodo.

Helmſtad. d. 24. Dec. 1662.

Quas Heidelberga redux, rebus, quantum ſpero, feliciter confectis, exaraſti *, quoniam redduntur mihi ſero paraſceue feſti magni Natalitii; tan-

* Deficiunt hæ nobis, æque ac nonnullæ aliæ inſecutæ, quibus *Bæcleri* epiſtolam adiecerat, exhibitam *p. 1012.* de qua iudicat *Conringius p. 1037.*

tantum paucis reſpoudeo. *Puſendorſium* in iuris naturalis prudentia excolenda pergere, gaudeo. Vtinam ſit, qui politicam ſimul Legum ſaltem Imperii noſtri publicarum moliatur interpretationem! Ea qualis ſit, et docui, et ſpecimine oſtendi in commentario ad *l. 1. Cod. Theodoſiani de ſtudiis liberalibus V. R. et C.* imo iam ante me docuit *Hopperus:* cuius illam partem iam addo meis propoliticis in colophonem, vt meæ operæ nihil ſuperſit præter præfationem. Si *Ludolpho Hugoni* otium et facultas ſuppeterent, auderem in illo genere multum mihi de ipſo polliceri. Sed iam diſtinetur illis negotiis, ad quæ non perinde eſt aptus ** atque ad illa theoretica. Si a *Forſtnero* extorſeris ſaltem plures eius notæ epiſtolas, quales iam ſunt editæ, plus ſatis effeceris. Indubie autem plurimas tales ſcripſit promptiſſimi vir calami, et iudicii in ciuilibus perſpicaciſſimi, ſimul et linguæ liberrimæ; eoque aptior forte arbitrandis aliorum rebus, quam agendis proprio ductu, vt quæ requirant artifices ſimulandi diſſimulandique, quales neutiquam ſunt

 illi,

** Tempus alia omnia docuit, et huius iudicii vanitatem oſtendit.

illi, quibus cor in lingua natat. Niſi vehementer fallor, *Forſtneri* etiam eſt epiſtola, quæ de rebus Germanicis reperitur inter opuſcula poſthuma Grotiana, a *Grutero* edita. Quæſo, lege illam, et iudica: imo, ſi opus fuerit, in auctorem inquire: *Grotii* enim non eſſe, certus ſum. De Bœcleriana epiſtola agam proxime cum reddidero: nunc vetat Paraſceue hiſce animum intendere. Inter rerum Ferdinandearum Scriptores placet *Caraffa*, et auctor epitomes rerum Germanicarum, modo a periodorum nimia longitudine non induxiſſet obſcuritatem ſermoni, non diſplicet *Brachelius*. Neruoſius autem ſimul et explicatius nihil vidi *Forſtneri* epiſtola de conuentu Electorali Ratiſbonenſi. Verum quantula eſt illa pars Ferdinandearum rerum! Opto, Illuſtris Domine, vt nos excipiat aliquando in regnum ſuum Dominus Ieſus, cuius Natales cras celebrabunt Eccleſiæ noſtræ! Num immemor fuiſti tractatuum de *Vicariatu Imperii*, aut operis *Anti-Walenburchiani?*

CCCXLVII.

Idem de cauſſis Palatini, de Comitiis et rurſus de *Io. Habbeo* agit.

Helmſtad. d. 28. Dec. 1662.

Plu-

Plurimum doleo, Principum odia creſcere potius, quam ſopiri. Quid enim firmæ tranquillitatis exſpectemus illo rerum ſtatu? Ante triduum iuſſu Electoris Palatini miſit Vicecancellarius libellos duos; alterum in cauſſa *Vicariatus*; alterum de negotio *Vmſtadienſi*. Neuter potuit diſplicere hactenus; et tamen de Vmſtadienſi cauſſa ſaltem exiſtimo et alteram mihi partem audiendam eſſe, priuſquam feram ſententiam. De Vicariatu ipſum meum librum exſpecto; nec enim eius vllum exemplum mihi iamdudum ſuperſuit. De Ratiſbonenſium conuentuum fortuna iuxta tecum auguror. Quin tamen artes Viennenſes poſſint eludi prouida Ordinum cura, non equidem dubito. Spero etiam ita futurum. Vtinam adfuerint multi *Schwartzkopſii!* De propoliticis meis aliiſque, non eſt, quod noui quidquam dicam. Craſtini die redibunt operæ typographicæ ad ſuam telam. Simul prodierit in lucem liber, mittam illico. Non eſt tanti, vt illum adeo deſideres, cum habeas librum de ciuili prudentia. *Habbei* pater, cum eſſet tenuiſſima ſorte natus, vt nonnihil corrigeret fortunam, ducta vxore Colonienſe, ad Pontificias partes tranſiit. Filius ad noſtras rediit, vxore ducta Lutherana. Ita mariti ſequuntur ſacra mulierum. In filio puto me

de-

deprehendiſſe variarum linguarum peritiam, et ingenium ad res gerendas non ineptum. *Bodiniana* non ſperauerim ab ipſo probari; quanquam id genus hominum hodie ſit paſſim frequentiſſimum, quorum ſapientiæ Epicureæ omnis pietas eſt deridiculo. Vale, Illuſtris Domine, et viue feliciter annos plurimos, cumprimis illum, qui iam imminet, nouum!

CCCXLVIII.

Idem a *Boineburgio* in variis literariis erudiri cupit.

Wolffenbutteli d. 22. Ian. 1663.

Ad binas tuas, quas nimirum d. 8. et 12. Iannar. exaraſti, reſponſum debeo, præter ſolitum. Id factum, quoniam vtræque tuæ cum traderentur, adeo fuerim negotiis Academicis occupatus, vt nihil ſupra, et tamen tuæ illæ flagitarent reſponſum, quale ſine aliqua mora temporis dari non poteſt. Nunc feriæ ſolennes nuptiales nonnihil indulgent otii: itaque faciam quod eſt officii. *Lambecii* pariter et *Hottingeri* epiſtola lectu fuit acceptiſſima, vt et huius de bibliothecis plagula, non minus atque antehac *Bœcleriana*: quæ omnia reddo, gratiis

tiis habitis tibi maximis. *Baclerus* perinde atque *Forſtnerus* recte cenſet, plenam Comitialium Legum Imperii hiſtoriam ſcribi non poſſe, niſi ope Archiui, quod Acta omnia Comitiorum comprehendit. Ceterum illa quidem cognitio plurimum iuuat ad ſolidum intellectum iſtarum legum; attamen politica cenſura earundem adhuc eſt alia, vt quæ tota ſit occupata in expendenda legum vtilitate aut noxa, facta cum noſtris temporibus reipublicæ comparatione. De diuerſa hac Legum peritia diſſerui plenius cum in libro de ciuili prudentia, tum in præfatione ad *Hopperum.* Vbi acceperis propolitica, quæ iam lucem vident, obſeruabis a me hoc de argumento diſſertatum ibi etiam *pag. 16. 119. et 121.* *Baclerum* in ſe dicta quædam a *Forſtnero* exiſtimare, non ſperauerim equidem; quanquam facillimus ſit irritatu, et perquam ſuſpicax: vt nemo noſtrum ſuis caret næuis. *Lambecio* vtinam diu placeat bibliothecæ curatio! Eſt ſane huic rei longe aptiſſimus. An perſuadet vero tibi ille, octingenta millia *voluminum* ibi reperiri? Equidem arbitror, illum aut ſignificatione antiquis vſitata *voluminis* vocabulo vti, quo de nonnihil in libello de Auguſta biblio-

theca

theca monui; non ea, quæ hodie eſt recepta: aut vero nimium quantum et falli, et alios velle fallere *. Quicquid huius ſit, gratulabimur nobis,

---

* Fortaſſis et non *octingenta* ſed *octoginta* millia ſcripſerit *Lambecius*, vti *ep. 359.* Quod mirum non videbitur ei, qui relatum legerit, iam anno 1687. in bibliotheca Berolinenſi *nonaginta* millia voluminum latuiſſe; quamuis anno 1715. numerata fuerint non niſi *fere quinquaginta* millia. Vid. *hiſtor. biblioth. Reg. Berol.* Ex quibus traditis manifeſtum fit, quod *Conringius* hic ſuſpicatur, diuerſo ſenſu a diuerſis *voluminum* vocabulum ſumi. Nam et is, qui *nonaginta* millia voluminum in Berolinenſi deprehendere ſibi viſus erat, addit: *Summa omnium* librorum *viginti millia et ſexcenti circiter.* Sane ſi *volumen* eo ſenſu accipias, quo *Cornelius Nepos* Ciceronem ſexdecim volumina epiſtolarum ad Atticum miſiſſe ſcribit; nulla tam anguſta bibliotheca erit, quæ non aliquot millia capiat voluminum. Interim *Lambecius bibl. Vindob. l. 1. p. 71.* ſuſpiciones has Conringianas ita eliſit: *Vel ex ſolo* mille loculamentorum *numero, ſi ſingulis loculamentis* octogena *tantum* volumina *aſſignentur, euidentiſſime apparet, eam nunc continere minimum* octoginta millia voluminum. Voluminis *autem appellatione intelligo*

bis, ſi ex illo Cæſareo theſauro prompſerit in publicum, quæ promittit, ſacra pariter et profana, *Hottingeri* inſtitutum perplacet. Videris recte ſuſpicari, non eſſe ipſi ad manum, quæ illo de argumento edidit *Ludouicus Iacobus.* Nuperrime vero etiam mihi innotuit primum eius de Bibliothecis volumen, eoque etiamnum dubito, prodieritne etiam ſecundum? Doce me, quæſo, et hoc, et quiſnam ſit ille, cuius tu nomen annotaſti, *Claudius Clemens* **. Optime vero mereris de republica

ligo integrum codicem manuſcriptum vel impreſſum, peculiari compactura comprehenſum vel comprehendendum, ſiue vnum librum et vnum autorem, ſiue plures libros et plures autores, vnius argumenti vel diuerſorum argumentorum, vnius linguæ vel diuerſarum linguarum, vnius editionis reſpectu temporis et loci, vel diuerſarum editionum complectatur. Germani noſtri huiuſmodi volumen nuncupant ein Stück *vel* einen Band. *Quod quidem propterea in primis tam clare et perſpicue exprimo et declaro, ne quis forte, dum bibliothecam Cæſaream minimum* octoginta voluminum millia *continere refero, amphiboliam ſiue æquiuocationem ſub appellatione* voluminis *latitare exiſtimet.* Hæc ille.

** Ediderat ille *Muſei ſeu Bibliotheca libros IV.* Lugduni 1635. in 4.

blica literaria, excitatis præclaris, quos memoras, viris ad huius argumenti illuſtrationem. *Barthium* aut *Reineſium* in hoc genere aliquid elaboraſſe, non equidem dixerim. Hic vero etiam vix adduci poterit, vt, ſepoſito immani illo opere Inſcriptionum antiquarum, hoc agat: adeo totus illis inſcriptionibus quaſi eſt immerſus. A *Grotio* aliquid ad *Photii* exemplum ſcriptum eſſe, hactenus non audiui; neque fit veriſimile. Quæ de *Bocharto* narras, deſidero quam maxime. Fuit enim vtique inuſitatæ peritiæ multarum rerum: quod oſtendit ipſius *Phaleg*. *Forſtneri* eſſe epiſtolam, quæ inſerta eſt opuſculis a *Grutero* editis, non *Grotii*, videtur indicare et character ſcribendi, et rerum Germanicarum cum plenior illa peritia, tum ſedula cura: quæ omnia in *Grotio* plane fuerunt diſſimilia. Si quas vero *Forſtneri* epiſtolas alias poteris exſculpere, quæſo, earum lectionem ne mihi inuideas. Reddam bona fide. *Grotii* ad *Camerarium* voluit publicare etiam *Biörnclauius*. Modo poſſis deſcriptas nanciſci: poſſit forte tibi ſatisfieri. Ego ſane vltra nihil eius expeterem. *Papi* nomen nunquam mihi hactenus eſt auditum. Memini, ſuſpicatum *Oxenſtiernam*, magnum illum Regni Sueciæ Cancellarium, epitomen iſtam

con-

conſcriptam eſſe a quodam Sueco, ſed qui in Polonia degerit in aula *Sigiſmundi* Regis. Quæſo, doce plenius aliquid de illo *Papo* ***. Dudum enim

*** Cuius mentio in *Forſtneri* et *Bœcleri* epiſtolis ſupra exhibitis eſt *p. 1010. 1015.* Libellus perexiguus eſt, qui primum typis Batauicis prodiit anno 1643. inſcriptus: *Epitome rerum Germanicarum ab anno 1627. ad annum 1643. geſtarum*, ſine nomine auctoris; etiam poſt iteratam editionem anni 1669. raro obuius. *Langletus* et *Menckenius Io. Papo* tribuunt, Decano Conſtantienſi, ſcriptis theologicis claro. Sed *Forſtnerus* ſupra *Leonardum* appellauit, *Ioanne* poſteriorem: qui cuias ſit vel fuerit, nondum liquet. Neque ex præfatione quidquam colligi poteſt, his admodum paucis verbis concepta: *Rerum Germanicarum immenſa moles breui compendio incluſa ſi quem lectorem nanciſcatur, breuitate ſe commendabit: obſcuritatis excuſatione non neceſſaria, quando adhuc res ipſæ in luce verſantur, quas notare, non explicare, neceſſe ſit.* Stilus eſt Forſtneriano ſimillimus, et Tacitum olet. *Papo* iungi poteſt *Euerhardi Waſſenbergii* commentariorum de bellis Imperatorum Ferdinandi II. et III. liber ſingularis ex anno 1640. itidem exiguæ molis; ſed Papiano tamen multo diffuſior.

enim illius libelli auctorem ſcire deſideraui. Pro tranſmiſſa illa Homilia Coptica ago gratias, et tamen improbo, quæ iſti linguæ hodie a nonnullis impenditur, operam. *Waltonum* obiiſſe, itidem et nos accepimus; idque iam pridem. Comparauit profecto ſibi gloriam immortalem, auſus ipſorummet Regum conatus ſuperare. Lexicon, quod narras in Anglia parari, multum poterit aliquando prodeſſe Orientalium linguarum cultoribus. Eſt ſane Anglia illi conficiendo aptior, quam vlla terra alia, vt quæ plurimos alat linguarum iſtarum peritia valentes. *Hobbeſii* librum reddo. Deprehendi vero ingenium viri, quale alibi, nempe nouitatum ſtudioſum maxime, temerarium, præfidens et ineptum. Nihil ſane non eius libri mihi inſanum videtur, ſi vnam excipias ingenuam illam confeſſionem, qua fatetur, *ſua nullis niti demonſtrationibus.* Nam ne quidem illud admiſero, quod addit, *veriſimilia tamen eſſe.* Idem, ſcio, mecum iudicabis, ſaltem ſi expenderis, quæ de grauitate diſſerit, nempe ob vacui metum grauia deſcendere, quoniam aër cum impetu a terra neſcio quo ſingulari motu concuſſa moueatur ſurſum. In præfatione veniam precatur libro ſuo Anglice edito titulo *Leuiathan.* Eſtne

is,

is, quem *Sorberius* vertit Gallice? video illum ſuſpectum eſſe Atheiſmi. Nulli certe parti eſſe addictum, ſed religionem illam cenſere optimam, quæ placet potentioribus, nullus equidem dubito. *Anti-Walenburchica* aliquot hebdomadibus quieuerunt præ multitudine aliarum occupationum. Breui tamen pergam, iam expertus, nihil eſſe facilius. Exemplar propoliticorum mittam, ſimulac commoda dabitur occaſio. Iam et Scioppiana prælo ſubieci, quibus addetur bibliographia politica *Naudæi*. Iis abſolutis, credo, nihil ſuperfore, quod ad propædiam politicam faciens debeat abs me exſpectari. Literas, quas ad *Lambecium*, *Bæclerum* et *Hottingerum* ſcripſi, indubie curabis.

CCCXLIX.

Eiuſdem iudicium de conatibus *Samuelis Pufendorfii* *.

Wolfenbutteli d. 25. Ian. 1663.

Ad omnes tuas reſponderam iam nudius tertius, cum adferuntur cum *Pufendorfianis*, quas d. 29. Ian.

* Legitur equidem hæc epiſtola *Oper. Conring. T. VI. p. 502. et 503.* ſed tot maculis conſperſa, vt vix intelligi poſſit.

Ian. Moguntiaci exaraſti. *Puſendorſianas* ** plenas eſſe multæ elegantiæ, ſi dictionem ſpectes, nemo non facile iudicauerit. Sed indubie quæris, quid de rebus ipſis ſentiam, quas tractat. Primum itaque iuſtas arbitror eius querelas de iis, qui vulgo *ius morale* docendum ſuſceperunt, et tamen omnem illi doctrinæ demonſtrandi vim detrahunt. Haud immerito idem de *Ariſtotelis* ea parte defectu aliquo conqueritur. Vellem autem eius morbi cauſſam quoque attuliſſet. Recte quoque cenſet, gentium variarum circa morum inſtituta conſenſum non eſſe firmum eius, quod vere iuſtum eſt, cognoſcendi ſtatuendique principium. Denique etiam id bene docet, dictamen rectæ rationis non itidem eſſe idoneum moralis philoſophiæ principium. Quas tamen poſtremæ illius theſeos adfert rationes, non perinde placent; quoniam nonnihil ſapiunt ſcholam ſcepticam. Rectius, me iudice, dixiſſet, principium illud eſſe nimis

** Scripſerat *Puſendorfius* ad *Boineburgium* longam epiſtolam de conatibus ſuis, quæ exſtat *l. c.* poſt præfationem. Hanc *Boineburgius* paſſim Viris doctis examinandam diſtribuit. Quid *Bœclerus* de ea ſenſerit, habes itidem ibidem.

nimis vniuerſale, conuenire ſcilicet omni omnino certæ ſcientiæ; idonea autem demonſtrationum principia debere eſſe propria. Optarim etiam, addidiſſet tandem *Puſendorſius*, quænam, ipſo iudice, ſint denique vera philoſophiæ huius principia, præſertim cum Hobbeſiana nolit videri probare. De nullo non horum iamdudum ego ſententiam meam in publico dixi; fortaſſe tamen præ occupationum multitudine non eam ſatis hactenus aduertiſti. Et vero demonſtrationes perinde in practica atque in ſpeculatiua philoſophia habere locum, breuiter in epiſtola præfixa cum *Viotti* libro de demonſtratione, tum altera præmiſſa Hoppeniano operi monui; prolixe autem perſecutus ſum ſingulari capite et in propoliticis pariter, et in libro de ciuili prudentia. Qua parte Ariſtotelis moralia minus firmo ſtent talo, et quare, indicaui aperte epiſtola ad *Rachelium*. Conſenſionem gentium, ſiue omnium, ſiue multarum, ſiue moratiorum, opinionem duntaxat, non ſcientiam parere, notiſſimum eſt ex Logicis, et paſſim a me itidem inculcatum. Non obſcure quoque cum libro de ciuili prudentia, tum in propoliticis, alibique, oſtendi, vt *iuſti ciuilis* vnicum principium eſt vtilitas ciuitatis, ita *moralis iuſti* eſſe

vtilitatem humanæ cuiuſque naturæ; hanc vero non poſſe recte conſtitui, niſi probe cognita humana natura, eoque humanæ mentis immortalitate, et præmiis pœniſque, a Deo ipſi decretis: quæ cum *Ariſtoteles* non agnouerit, non potuiſſe itaque in omnibus firmas ſatis demonſtrationes ab ipſo in moralibus adferri. Vides igitur, Illuſtris Domine, quam illud ſit exiguum, quod equidem in *Puſendorſianis* deſiderem. Meo adminiculo non illum egere arbitror. Valet enim ingenio et iudicio; meis tamen illis lectis fortaſſe poterit maior nonnihil fiducia ipſi naſci. Tu vrgere illum, quo pergat, ſpretis vulgi voculis, in tam præclaro inſtituto, ne, quæſo, deſinas. Neque enim dubito, ab illo nihil non eximium exſpectare, non in morali tantum, quam nunc excolendam ſumpſit, ſed in politica etiam mea philoſophia, vbi ad illam aliquando animum appulerit. Vale!

CCCL.

Idem admonet *Boineburgium* periculi ex Aula imminentis.

Helmſtad. d. 31. Ian. 1663.

Quas *d. 3. Febr.* exaraſti, iam accipio: plenas qui-

quidem querelarum et ſollicitudinis; reſponſi tamen haud indigentes, vtpote qui indubie prius, quam hæ fuerint redditæ, iam habebis binas meas, Wolffenbutteli exaratas, cum iis, quæ repetis, et nonnullis, quæ ne quidem deſideraſti. His ſpero, abunde tibi ſatisfactum iri, nec inpoſterum in me inuenies, quod crimineris, cum vnice delecter tuis legendis, iiſque reſpondendis. *Propolitica* compingenda iam commiſi bibliopego. Itaque habebis proxime. Miror vero, illum libellum auide exſpectari, cum argumentum libri non ſit illud, quod Principem Electorem poſſit afficere. Si Lampadiana eſſent abſoluta, iis plus fauoris auderem polliceri. De Comitiis tecum omnino conſentio. Vtinam ipſemet adeſſe poſſis! Nec tamen, vt adeſſe velis, auſim ſuadere, priuatim rebus tuis optime atque ex animo cupiens. Nimis enim iam tum oſtendit Aula, quo te erga ſit animo, quod omnibus illius conſiliis non aſſentiaris. Neque vero iam tum audet tibi non minari: fruſtra quidem, protegente ſalutem tuam ſapientiſſimo pariter et optimo Principe; periculo tamen non ſecure ſpernendo. Deus tibi porro adſit, Illuſtris Domine! Tu vero perge ſauere!

 CCCLI.

CCCLI.

Idem de literariis nonnullis ſententiam dicit.

Helmſtad. d. 9. Febr. 1663.

Quas *d. 9. Febr.* exaraſti, hoc momento accipio. Propolitica nondum reddidit bibliopegus. Id ſimulac fecerit, captabo mittendi commodiſſimam quamque occaſionem, tam vt tuo, quam vt Eminentiſſimi Principis deſiderio, quamuis nimio, ſatis fiat. *Ludouici Iacobi* libro, quo me nuper amicus donauit, titulus hic eſt: *Traité des plus belles Bibliotheques publiques et particulieres, qui ont eſté, et qui ſont à preſent dans le Monde, diviſé en deux parties. Compoſé par le P. Louys Iacob. Premiere partie. A Paris 1644.* Huius operis partem alteram non vidi. Prima arguit magnam hominis in hoc argumento diligentiam; non eamdem tamen vim iudicii. Videtur hoc volumen aliud eſſe a tuo *. *Claudii Clementis* Ieſuitæ librum curabo, vt aliunde nanciſcar. Si quid *Barthius* de Scriptoribus dubiis tradidit, forte re-

pe-

* Recte: nam idem auctor edidit poſtea *Bibliographiam Pariſinam et Gallicam librorum ab an. 1643 ad 1653. excuſorum.* Pariſiis 1654. in 4.

perietur in altero variarum lectionum immenſo illo opere, quod manuſcriptum ſuperat, et forte prodibit in lucem, doctis quibuſdam obſtreticantibus. De *Reineſiano* inſtituto, quod tu narras, non eſt quod ſperes. Retulit mihi illius ex fratre nepos, qui ſuperiore menſe inauguralem Medicam diſputationem, me præſide, habuit, iuuenis plane eximius, et futurus bibliothecæ patrui hæres, ſchedas ſibi viſas plane formatas ad folia Sibyllæ eius argumenti; ſed quæ nec ipſi auctori poſſint niſi admodum difficulter vſui eſſe. Adeo porro Inſcriptionibus illuſtrandis patruum Senem eſſe intentum, vt reliquum nihil vel attingat, quamuis Lipſiam Altenburgo commigrauerit, vt ſtudiis eo rectius poſſit inuigilare. In *Samuelis Bocharti* librum *de Animantibus* inquiram. Non dubito, doctum eſſe: ita ille eruditionem ſuam mihi ſuo *Phalego* probauit. Vtinam patiatur ſe exorari *Forſtnerus* de edendis epiſtolis; ſed cum iam tum in diſcrimen ingens ſua libertate ſcribendi inciderit, vereor, vt poſſit perſuaderi. Ego certe non facerem. Quod Grotianarum ad *Camerarium* epiſtolarum legendarum ſpem feceris, gaudeo. Sequar conſilium tuum. Spero etiam, ſapientiſſimum Principem, et rei literariæ plane

ſine exemplo ſtudioſum, vectorem equitem in id expediturum. De *Papo* epitomes auctore, quæ narras, gratiſſima fuerunt ſcitu. Nec enim hactenus tale quid inaudieram. Quæ *Bœclerus* ſcripſerit de Puſendorfiano inſtituto, quoniam per incuriam mittere neglexiſti, proximis exſpecto. Miror vero, illum moliri aliquid de Romano Imperio, nondum abſolutis iis, quæ ad Grotium commentari occœpit: quorum ſpecimen dudum, ſed hactenus fruſtra, mihi promiſiſti. Nec ſatis intelligo, cur *Blondellum* velit vexare, qui, niſi fallor, plane idem mecum ſentit, niſi quod Romani Imperii nihil hodie noſtris Regibus ſupereſſe affirmet. Quam ſubito procedant omnia Regionoburgi circa auxilia in bellum Turcicum, ex iis, quæ addidiſti, intelligo. Fateor, præ foribus eſſe periculum, nec illud quidam pati longam procraſtinationem. Non dubito autem, iſto confecto, Comitia diſſolutum iri, nec Cæſare ſcilicet, nec Principe veſtro, aliiſque, fœderatis cumprimis, aliorum perſectionem multum vrgentibus. Simul tamen haud dubito, et Cæſarem Principibus, et Principes Cæſari diſſolutorum Comitiorum culpam imputaturos, quo obtrectationibus poſſit occurri. Vale!

CCCLII.

CCCLII.

Eiuſdem ſententia de *Bœcleri* cenſura conatuum *Samuelis Pufendorfii* *.

Helmſtad. d. 20. Febr. 1663.

Cum *Bœcleriana* ac *Lambeciana* traderentur, hærebam in villa inter armenta: eoque reſpondere illo ipſo momento non vacauit. Cum adueni-at nunc Pufendorfianarum literarum nouum apographum Muſis mihi reddito, paucis ſaltem ad omnia reſponſi aliquid accipe. *Lambecii* inſtitutum perplacet, quod ſcilicet velit ille promere theſauros *Viennenſium manuſcriptorum.* Velim autem plenius inſtrui de illo theſauro: ne forte hiantes corui deludamur. Igitur quæſo, cures indicem tibi mitti manuſcriptorum, ſaltem qualis iam tum reperitur: nam exſpectare *Lambecii* nouas curas, fortaſſis in diem fuerit. *Bœcleriana*, quas reddo itidem bona fide, et ſemper reddam, multum habent bonæ frugis. Sed non ſatis perſpi-

* Exſtat et hæc *Oper. Conring. T. VI. p. 501. 502.* ſed ab initio ſtatim mutila, incipiens: *Cum B et L traderentur*; quaſi opus plenum aleæ foret, nomina ponere *Bœcleri*, *Lambecii*, *Pufendorfii.*

ſpicio, num petant duntaxat literas illas; an vero et ipſa elementa Puſendorfiana. Hæc non niſi currente hactenus oculo inſpexi, nec hactenus in bibliothecam meam recepi: eoque nihil aliud de iis pronuntiare poſſum, quam placere, quæ lecta mihi ſunt, et hactenus exſpectare, ſimilia de reliquis fore: quale quid olim de *Heracliti* libro fertur *Socrates* dixiſſe. In veterum lectione non perinde verſatus *Puſendorfius* et mihi ſemper viſus eſt. Imo viſus eſt illorum contemptor, fretus ſui ingenii fiducia. Et tamen non dubito, poſſe illum multa præſtare, ſi ingenii vires intenderit: plura autem longe præſtiturum, ſi veterum et recentiorum magis ſollicita cura libros voluens, igneos animi impetus temperauerit in circumſpectam aliquam moderationem. In poſtremis video, mihi ab illo verti vitio nimium *Ariſtotelis* cultum, quod ſim ſollicitus *Ariſtotelem* teſtem ad omnia pronuntiata excitare, vt ab ipſo diſſentire prope piaculo ducam. Quæſo, inquire, quid ille tandem meorum legerit; et vbi tale quid obſeruauerit. Quid in ipſa morali philoſophia Ariſtotelica ego deſiderem, multis locis aperte indicaui; ſimulque haud diſſimulaui, quid cenſeam de fato operis analytici Ariſtotelici; ne quid de aliis dicam.

cam. Maioris autem a me fieri *Ariſtotelem*, ne miretur. Lectus enim mihi ille eſt cum cura; non ſupine contemptus, aut more vulgari, quem ipſe eſt ſectatus, mihi tritus. Fateor tamen, ſi abs me alicubi id ſit commiſſum, quod ille criminatur, culpam abs me commiſſam eſſe. Idem enim in aliis iam dudum improbaui: ſtudui vero ſemper ita ab ea alienus eſſe, ne tamen ex aduerſo poſſim merito argui ſpretæ *Ariſtotelicæ ſapientiæ*. Quam ego meditor Legiſlatoriam prudentiam, diuerſam eſſe ab illa iuris vniuerſali prudentia ſua, recte aduertit *Puſendorfius*. Ipſius enim Ethica eſt; mea Politica. De Legiſlatoria in ſcientiæ formam redigenda vix ante *Hopperum* quis cogitauit: itaque non miror, Hopperiana paucos aſſequi. Fortaſſe dabo illis maiorem lucem. Principium primum eorum, quæ ad iuſtitiam particularem attinent, eſſe naturam hominis ſocialem, recte itidem dicit *Puſendorfius*. Reliquarum autem virtutum itidem ſua ſunt principia, itidem quidem pertinentia ad naturam humanam; ſed non in quantum illa ſocialis eſt. Fac, amabo, vti tentet, num poſſit demonſtrare, fortitudinem virtutem eſſe, non poſita animæ immortalitate. Quin imo iube, demonſtret naturam hu-

humanam ita exigere ſocietatem, vt illi vtilitati ſemper præferenda ſit, quæ nonnihil ſocialia iura violat, niſi ſimul ponas pœnas et præmia defunctis exſpectanda. Vtrumque ſi præſtiterit, mutabo ſententiam. Ne dubites autem, illum id non poſſe, cum ipſe Sanctus Paulus diſerte agnoſcat, miſerrimos fore pios quoſque, ſi nulla ſit reſurrectio: adeoque ponat, pietatem non eſſe viam impetrandæ felicitatis, niſi anima fuerit immortalis, et defunctis ſit beatitudo exſpectanda. Nolim tamen hoc illi ſtatim indicari, ſed demum, vbi operam ſe perdidiſſe ipſemet ſenſerit. Facile autem ſentiet, qua valet acrimonia ingenii. Quis vero eſt ille *Puſendorſii* collega, de cuius ille indicio conqueritur? Vindicat vero ſeſe non male. Veriſſimum enim eſt, demonſtrari et moralia poſſe; quantumuis apud populum id fruſtra tentaueris, et ibi ſufficiat imperantium auctoritas, pœnis et præmiis munita. In quam ſententiam diſſerui etiam ipſemet præfatione ad *Viottum.* Similiter non ad Politicum ſpectat iudicare, quid male, quid recte de moralibus ſit demonſtratum; num tamen quæ doctrina publice in ciuitate admitti debeat, Politicæ cura eſt. Quæ in ſuis elementis docuit *Puſendorſius* de naturali obligatione liberorum erga

pa-

parentes, vt et de iuribus matrimonii, non ſunt mihi lecta. Video autem eadem et a *Bœclero* damnata eſſe. Itaque vereor, vt ne quid habeant improbitatis. Legam, et iudicabo, vbi otium nactus fuero. In vniuerſum vero id habendum, pulcram eſſe philoſophiam illam; neceſſariam tamen ſcitu non eſſe, cum habeamus magiſtros morum longe certiores et diuiniores, fallere ſcilicet et falli neſcios. Nihilominus ſi perrexerit in inſtituto *Puſendorſius*, rem egregiam præſtabit. Id quod meo nomine poteris ipſi affirmare. Mitto libros meos in vſum Sereniſſimi Electoris vno volumine compactos. Quos vti velis offerre cum obſequii mei humillimi promiſſo, etiam atque etiam rogo. Alia occaſione habebis et tu propolitica. Nunc ſuffecerit tibi, inſpexiſſe iſthæc. Vale, Illuſtris Domine, et plurimum ſalue!

CCCLIII.

Boineburgius mittit *Bœcleri* diſſ. de Sacro Rom. Imperio, et ſcriptum in cauſſa Lothariugica, de tabulis rurſum ſollicitus.

Moguntiæ d. 26. Febr. 1663.

Huc redux Francofurto corraſi plagulas Bœcleriani libelli affecti de Romano Imperio. Si quas de-

dehinc accepero, perinde ſubmittam. Simulac primus modo *Grotii* liber ab illo fuerit abſolutus; mittam tum pariter, quotquot præſto erunt, folia vniuerſa. Interim aliud mihi exemplum ſuffici poterit. Expoſtulaui et ipſemet cum Cl. *Bœclero*, quod opus Grotianum, et alia, eius ſtudio commiſſa, nouo ac muſteo labori de Romano Imperio poſtponeret. Ait vero, ſibi a ſuo Reſpondente extorqueri operam iſtanc minus neceſſariam, et multæ vulgi væſaniæ obnoxiam, ac neſcio an non quoque non modo *Blondelli*, ſed et veritatis amicis parum placituram. Mitto vna iudicium viri amici et docti de Lotharingica cauſſa. In ea quid probes, quid reprobes, ex te noſcam. Gallus iam cantat, ſe Lotharingiam redditurum *Karoli* Ducis ſucceſſoribus legitimis; ſed iſtoc viuente retenturum vi pactionis perſonalis. Sed quantum tricarum interueniet interea, quo minus redeat ad dominum, quod fuit ante ſuum? Folia de Romano Imperio non opus, vt remittas. At alterum ſcriptum reſtitui optem, idque cito. Tabulas iam confici ſtudeo hiſtoricas et iuris publici. Quæſo, doce, vnde quam commodiſſime deſumi materiem et principia oporteat. In pra-

ctica

ſtica philoſophia ſequimur *Cellarium* et *Thomaſium*, nec non *Eſclachium*. In cetera philoſophia duces, quæſo, ſigna, et aſtra, ad quæ nos regamus. Vale!

CCCLIV.

Conringius de duobus ſcriptis *Bœcleri* iudicat, et non amplius de tabulis ſcientiarum, ſed de rebus publice geſtis erudiri deſiderat.

Helmſtad. d. 20. Febr. 1663.

Non diſplicet *Bœcleri* labor, quandoquidem Gallicis ſcriptoribus nimium quantum familiare eſt, inſultare collapſis rebus noſtris. At *Blondellum*, virum adeo doctum, pene verniliter inſectari, indignum profecto facinus eſt. Vt certe tale quid meruerit *Blondellus*; indignum tamen eſt *Bœclero*. Quæ de *ſacri* titulo diſputat, non auſim probare. Peruenit ille ad noſtrum Imperium æmulatione aut imitatione Conſtantinopolitanorum, vt multa alia, idque demum ſeculo decimo tertio. Deſidero, quid dicturus ſit de Romani Imperii titulo, etiam Germaniæ communicato. In eiuſmodi diſputationibus paruum eſt momentum ſitum, præſertim poſtquam Vrbs Roma ipſa, vetereſque Imperii illius reliquiæ, poſſeſſione noſtra exciderunt. Pro

Xxx pla-

plagulis illis miſſis habeo gratias. Velim tamen apud *Bœclerum* hoc diſſimulatum *. Alterum illud de Lotharingico negotio ſcriptum placet. Nec video, quid vel in ſpeciem poſſit pro Galli cauſſa adſerri. Niſi ſane fallor, abunde abs me ſatisfactum eſt omnibus prætextibus. De tabulis memini iam tum ſententiam meam perſcriptam. Ego nunquam illis ſum vſus. In Metaphyſicis tamen non diſplicent Stahlianæ. Exſtant, niſi fallor, eiuſdem et Logicæ. Inquiram porro. Mihi enim talia hactenus non fuerunt curæ. Narra vero mihi in poſterum aliquid de iis, quæ ad rempublicam faciunt. Hodie mane ſententiam dixi de alteris *Puſendorfianis*. Vale!

CCCLV.

Idem de *Baconis* ſcientia, de defenſione Valeriana, de Ieſuitis, de *Godauio*, *Bœclero*, *Rebhahnio*, *Tabore* et ſtudio Oligarchico diſſerit.

Helmſtad. d. 1. Mart. 1663.

Ad

* In caſſum hæc deſiderata, quia *Boineburgius Bœclero* æque familiariter vtebatur ac *Conringio*. Hinc factum, vt inter hos Duumuiros, licet mutuis ſe literis colerent, perpetuum friguſculum regnaret.

Ad literas, quas *d. 28. Febr.* et *Kl. Martii* exaraſti *, mihi vero hoc momento adſeruntur, paucis et ſimul reſponſum accipe. De *Verulamii* libro, quem *de augmentis ſcientiarum* inſcripſit, necdum aliter ſentio, quam antehac. Veterum et veræ propædeuticæ doctrinæ plane imperitus fuit. Imo ſupinus et ſuperbus veterum omnium contemptor. Laudaueris illum librum, ob ſtudium promouendi boni eruditionis publici; ob commendatam experientiam rerum, quæ vulgo negligi ſolet; denique ob pauca quædam non vana monita alia. Cetera ſolet ludere vocabulis, noua ſcilicet fingere, aut vetera flectere in nouum ſenſum, et ſub illo ſchemate meras ineptias producere, tanquam nouiter a ſeſe obſeruata, et inuenta doctrinæ oracula. Iam dudum in diſputatione, quam de optimis naturalis philoſophiæ Scriptoribus, vt et quam de ipſa naturalis philoſophiæ conſtitutione edidi, in hanc ſententiam memini me pronuntiaſſe; ſaltem de iis, quæ ad iſtam philoſophiam attinent. Progreſſum eruditionis ex æuo vſque vetere *Verulami-*

* Eæ nos deficiunt ambæ; ſumma tamen argumenti ex hac reſponſione diſpaleſcet.

us plane ignorauit; etſi paſſim multa de ea iactitet. Fuit enim in lectione veterum, qua ſine illud quidem nemo apte docuerit, perquam tenuiter verſatus. Ingenio tamen valuit, nec a iudicio fuit deſtitutus. Obſuit ipſi duntaxat ſuperbum faſtidium veteris omnis doctrinæ, et ſui ingenii admiratio nimia. *Sermones fideles* ipſius plurimum tamen habent bonæ frugis. Nec diſplicet *Sapientia Veterum*, ſaltem ob veriſimiles coniecturas diuitis ingenii: nec enim ſub fabularum inuolucro multum adeo ſapientiæ latitare, mihi perſuadet. Scio ſane, iam olim Stoicos theologiam Gentilium auſos ita interpretari; ſed irrito, et noſtris quoque aurei æui Chriſtianis irriſo conatu. Inter omnia *Verulamii* perplacet Henrici VII. Angliæ Regis hiſtoria; quamuis et ibi obſeruaueris hominis nouitatis ſtudium, et vocabulariam oſtentationem atque inſolentiam. *Meibomius*, Henrici filius, perſecutus eſt propagationem artis Medicæ, et hiſtoriam eius artis Scriptorum optimorum: quæ forte videbit lucem. Defenſio *Valeriani* omnino habet auctorem Pontificium, nec indoctum. *Clementis Scoti* contra Ieſuitas nihil vel audiui, vel vidi: itaque num quid ex illo promptum ſit, neſcio. Ex *Scioppio* nihil animaduerto acceptum, præterquam illud

illud primum *factum Oenipontanum.* Miror vero, cum *Valerianus* actionem ſuum fundauerit ſuper quatuordecim ſceleribus, a Ieſuitis in Cæſaris hæreditariis ditionibus patratis, et ſuper damnata Theologia eorum morali a Clero Gallico pariter et Belgico; hunc auctorem nihil horum tangere, et contra auſum ſuam actionem inſtituere partim ſuper conatibus Ieſuiticis de immaculata conceptione Deiparæ aduerſus Dominicanos callide ſtatuminandis: quod dogma Capucini non minus ſolent acriter in vulgus velle perſuadere, quam Ieſuitæ; quanquam hi illo prætextu ſuas potius res agant. Quod Ieſuitæ vapulent ſuper ſua doctrina *de probabili conſcientia*, id fit merito iure ſummo. Vere enim pernicioſiſſima eſt. Quod nolint quidquam adeo accuſati reſpondere, nihil etiam emendare; hoc ipſo produnt animi malitiam Sodalitatis illius Rectores. Non minus ſcilicet atque Papa volunt *infallibiles* æſtimari. Itaque erraſſe nolunt videri vtrique. Quæ impietas omnem correctionem excludit. Tanto in Sociorum numero inuenias viros doctos; pauciores tamen, quam vel ille numerus, vel illa ſtudiorum et vitæ contemplatiuæ adminicula exigant. *Directores* ſaltem pleroſque et ſummos quoſque ſecularibus curis totos

intentos eſſe, qui non aduertit, illum nihil videre eorum, quæ geruntur, cenſeo. Quin præter hos et boni et pii ſuperſint, equidem non dubito. Quem tu mihi *Godauium* et *Brioſium*, Gallos, laudas, mihi ſunt ignoti. Cum placeat tamen tibi illius *eccleſiaſtica hiſtoria*, non poteſt non mihi ejus ſaliua moueri. Doce vero, num ille eccleſiaſticam hiſtoriam a primordiis vſque contexuerit, et num ad hæc tempora perduxerit. Gallice autem ſcriptam eſſe indignum eſt viro docto, nato ſcilicet bono communis reipublicæ literariæ; non vnius gentis, cuius pars potior eſt imperita et rudis, non idonea, quæ diſcat aut iudicet, quod ſolidam ſapit doctrinam. De *Bœcleri* inſtituta diſputatione de S. Romano Imperio iam tum ſententiam dixi. Haud improbo inſtitutum; deſidero modeſtiam et æquanimitatem. Nondum obſeruo, quod abeat ab iis, quæ iuxta mecum olim ſuſcepiſti defendenda **. Ad epiſtolam ipſius breui aliquid reponam. *Rebhanii* ineptiæ, barbaræ et inſulſæ, ſunt infra iram: ſuffecerit riſu exſibilaſſe. Vbi propolitica mea viderit, indubie in rabiem agetur inſanus cum ſuo *Tabore;* facile tamen et ipſe compingendus intra ſilentii

** Diſſertatione *de Germanorum Romano Imperio.*

ſilentii cancellos, idque non ſine aliqua ignominia. Studium de Electorali re omni aliquid doctum et plenum edendi, vehementer probo. Ita vero apparebit, quantum mutauerit ſenſim Reſpublica a ſeculo vſque decimo tertio (tum enim demum inuenio aliquid, quod iſthuc faciat); quamue iniqui ſint quorundam hodierni Oligarchici conatus, et quam nuperi demum. Nec vero dubito, te etiam operam dare, vti aliorum prærogatiuæ non derogent reliquorum priſcis iuribus, atque vti concordia maneat inter vnius corporis, quamuis nonnihil diſſimilia, membra. Imo Deum oro, vti ea in re ſtrenue pergas. Propolitica mea ſpero iam oblata eſſe Eminentiſſimo et Sapientiſſimo Principi tuo. Quamuis vero non poſſint reſpondere exſpectationi; veniam tamen ipſis tua commendatio impetrabit. Vale! Vt placet liber a Suecis editus de negata nuper inueſtitura? Viſum enim iam et lectum, haud dubito. Innue etiam, num acceperis, quas pridie Kal. Febr. exaraui.

CCCLVI.

Boineburgius, quid Francofurti actum ſit, nuntiat.

Francofurti d. 8. Mart. 1663.

Infinitas tibi grates ago de miſſo libro, quem Eminentiſſimo proxime deſtinaturus ſum, vbi primum vectores noſtri domeſtici Herbipolin excurrerint. Scioppianæ pædiæ exſpectatione nos enecas. De publicis coram mallem tecum philoſophari, et tua iudicia audire. Heri fœdus altera vice prorogauimus *, omneſque denuo ſuffragationes ſuas commodarunt negotio ſaluberrimo, præterquam quod Treuir abſens hactenus nec ſubſcribere potuit. D. *Alexander* ſperat mandata. Iam Moguntiam reuerti conſilium eſt. Iſtac tranſibit Epiſcopus Argentoratenſis, quicum mihi explicanda quædam erunt. Meas interea cum incluſis interim quoque acceperis. *Baclerus* primum *Grotii* librum mox edet. Tum mittam. Quod *Blondello* inequitat, et ego doleo. Sed quid facias? Comitia ſunt mirifica; Ordines longe mirificentiores. Niſi fœdus ſeruetur in recente ſemper ac viridi ſtatu; niſi item idem, *Deputationis* huc reuecto conuentu, Comitiis vtcunque demum exituris, animetur; in ſummo ſane diſcrimine Res Ger-

* Vſque ad d. 15. Aug. 1667. vi inſtrumenti publici apud *Londorp. t. 8. p. 910.*

Germanica mihi videtur obhæreſcere. *Deputationis* auſpicium, viribus et laboribus fœderati cœtus iunctum hic et quaſi adunatum, ad omnia recta conſilia efficaci robore fœcundanda, vnico erit auctoramento. Intelligenti ſatis. Vale, et tuis nos cultiſſimis ſcriptis diu erudi. Deus omnia tua ſtudia clementer fœcundet atque fortunet! Vale!

CCCLVII.

Idem ſolutionem conuentus Francofurtenſis deplorat.

Moguntiæ d. 14. Mart. 1663.

Bœcleri rurſus folium quintum, ni quid me fallo, ſuccedit. Addo literas nouas *Lambecii*. *Scioppii* pædiam appetenter exſpectamus. De publicis veſter vos Legatus docebit interiora rerum. Ratiſbonæ pancratice pergunt, nil morati veterem morem; nihilo plus penſi et inſtrumentum pacis forſan habituri. Fœdus produximus de integro in nouum aliud triennium. Neſcio an gratiam vel ab iis etiam ſimus ituri, qui fructus ex illo *perceptos* atque *percipiendos* debebant ipſo medio vſu perdidiciſſe. Sed de his propediem fuſius, ſi otium ſuppetierit. Vale, et mecum mirare præcipi-

 tem

tem Francfurtenſis concilii diſſolutionem; quod certe nunquam hunc in modum reconcinnabitur. Verum ſic voluiſtis. Valete!

CCCLVIII.

Idem de *Bacone*, *Meibomio*, *Godauio*, *Brioſo* et de viris doctis, lingua vernacula in ſcriptis vtentibus, paria fere iudicat.

Moguntiae d. 20. Mart. 1663.

Gaudeo multum, mei te tandem recordatum eſſe, et ad ſcribendum reuertiſſe. De *Verulamianis* omnino iudicium tuum probo et ſequor, ſicut in omnibus. Quod autem *Baconem* in veterum lectione parum fuiſſe exercitatum, eamque diſpretui habuiſſe ais, hæſito pene, an ita credere debeam penitus. Quænam putes ab ipſo non vane monita, quæſo, doce. Vocabula illum nouare, iiſue nouos ſignificatus indere, ipſemet quoque non ſemel ſum indignatus. In libellis de naturali philoſophia tuis reperi, vt in cunctis tuis, plurima eximiæ frugis, quæ ſcire merito in illo genere oportet. Baconiana vti perinde cenſeas, ecquem fructum habeant in morali et ciuili diſciplina, ſummopere oro. Eruditionis per omnia retro ſecula ortum, progreſſionem, incrementa, inclinationes,

nes, decrementa, inſtaurationes, auctores, exornatores et ſimilia non indagamus in Verulamianis opuſculis. Inde enim depromi talia non poſſe, nemo vel mediocris captus neſcit temere. Vndenam vero peti debeant, quæſo, proxima in epiſtola indicato, ſi vacat. Qui namque copioſiorem bonorum Scriptorum notitiem in promptu habeat, alium vnum, præter te, noui equidem neminem. Non quippe ſolum veteres, ſed et medii æui, qui non vſque adeo cogniti in vulgus ſunt, libros pene omnes in numerato tenes. Quorum certe conſcientia non eſt modicum viri cum eruditi, tum pragmatici decus atque compendium. *Meibomii* filii hiſtoria ſtudiorum et ſcriptorum medicinalium per erit et grata, et in publicum vtilis. Obſecro te, allabora, vt breui prodeat, et ſymbolam tuam de vniuerſæ doctrinæ liberalis oiconomia, ordine, nexu et autoribus, communi orbis doctioris egregio, neu diutius inuide. Erit vtpote hæc velut manuductio felix omnis ætatis, adoleſcentioris ac prouectioris, ad notitiem ſane fructuoſiſſimam, cuiuſmodi eſt ſcriptorum ſaniorum ac cultiorum prænotio; a qua enimuero multa omnibus lux atque inſtructio affulgere ſolet. Non ſolis Ieſuitis deliratio illa *infallibilitatis* propria eſt. Veſtrates perinde

inde velint credi *infallibiles*, dummodo ſtultorum multorum credulitas tanquam tales admittere ac reuereri dignetur. *Godauius*, eruditiſſimus in Gallia Epiſcopus, multa ſcripſit, omnia pene vernaculo ſermone. Eccleſiaſticam hiſtoriam, orſus a Chriſto, produxit, ni fallor, ad proxima tempora. Duos enim poſteriores tomos necdum vidi. Scio, placiturum. *Brioſius* edidit Gallica et latina carmina. Parat varia eruditione farctum epiſtolarum et diſſertationum politicarum et criticarum volumen; Antiquitatum item et originum Gallicarum tomos duos, et moralium atque Chriſtianarum meditationum opus, quo *Barthii* noſtratis *ſoliloquia* facile æquare, ſi non ſuperare, poterit. Ipſe quoque ſtomachum mihi commoueri ſentio, quoties cogito, Gallos ſua vernacula pene omnes ſuos libros conſcribere; etſi eius ſat ſciens eſſe mihi videor. Britanni, Itali, Hiſpani, Belgæ quoque, tanquam vel neſciant latine, vel dedidicerint, patria lingua ſua quam elegantiſſimos condunt. Imo in Hiſpania res eouſque prouergit, vt ne quidem inter diſputandum in Academicis exercitamentis alia, quam ſua, vtantur. Neceſſe foret, reſurgerent e tumulis ſuis *Folieta*, *Corradi*, *Manutii*,

Gen-

Germonius aliique, qui pro latina retinenda ſcripſere, atque huius dignitatem ac vſum a promiſcua in omni negotio vſurpatione vindicarent. De Bœcleriano Romano Imperio en! ſextum heic folium aduenit. Propolitica Eminentiſſimus prolixe accepit. Erit gratus. Scioppiana pariter opperiemur, idque quam primum: Suedorum de veſtitura recuſata nihil dum vidimus. Vale!

CCCLIX.

Conringius de rebus Imperii, et de conuerſione *Lambecii* argute diſputat.

Helmſtad. d. 13. Mart. 1663.

Plena et ſolida eorum, quæ Reginoburgi aguntur, cognitione inſtructus non ſum. Quantum eminus tamen omnia perſpicio, feſtinatur (non dicam ſolito citius: nam et nimiis procraſtinationibus hactenus ſæpe eſt multum peccatum:) iuſto nonnihil, ſi non multo velociore curſu. Exigit ſane aliquam celeritatem præ foribus cubans bellum Turcicum, poſtquam eo res venerunt, Waradino ab hoſte occupato, vt, niſi Tranſſyluaniam ſeruauerimus, etiam Hungariam ſimus amiſſuri, eoque arma ſint corripienda quantocius a Ger-

Germania vniuerſa, præſertim ex Italia nullis ſuppetentibus auxiliis. Vereor tamen, vt, iis expeditis, quidquam eorum, quæ ad rempublicam faciunt, ex præſcripto inſtrumenti pacis efficiatur. Fortaſſis etiam intereſt, ne quid aggrediamur, cuius felicem ſucceſſum ſperare non liceat. *Ariſtidem*, magnum in republica Attica virum, ferunt dixiſſe, *Athenienſium Reipublicæ opus eſſe multa iniuſtitia.* Forte et Imperii intereſt, plurima manere incompoſita. Certe bona pars eiuſmodi eſt, vt ſatius ſit illam non tangere; prout hodie ſunt noſtri mores *. Non dubito, qua vales prudentia, hactenus ſaltem te mecum ſentire. Fœdus productum eſſe gaudeo. Omnino enim

---

* Hoc ſibi dictum putent, qui in rebus Imperii ad ſummos apices exigendis inutilem operam ponunt, cuncta ad viuum reſecantes. Perfectior equidem mente ac cogitatione fingi reſpublica noſtra; formari autem, quoad circa ſacra et profana diſſentimus, haud facile poterit. Hinc licet inter gentes, quæ regnantur, et vbi cuncta manu geruntur, rerum adminiſtris exigua ſufficiat ſapientia, vel nulla; in Germania tamen, velut inter Scyllam et Charybdim nauigantibus, maxima ſollertia et haud proletaria prudentia opus eſt.

enim mihi perſuaſum eſt, illi ſuam ſalutem aliquamdiu Germaniam debere. Quin imo arbitror, niſi Galliæ et Sueciæ cupiditates tali freno aliquo coërceantur etiam impoſterum, breui Germanicam Rempublicam perituram, cum domi adeo parum nobis ſit, in tanto et diſſidio et luxu Ordinum, ad noſtra tuenda præſidii reliquum. Eoque nullus dubito, Concilium Francofurtenſe breui eſſe redintegrandum, ipſa cogente nos vndique neceſſitate; quantumuis nunc nonnihil tempori dandum eſſe iudicatum fuerit. Faxit modo Deus, vt feliciter omnia in Hungaria contra Turcam procedant; reliqua minus erunt effectu difficilia. Tuam tamen de omnibus ſententiam plenius nonnihil expoſitam vnice deſidero. *Bæcleri* epiſtolam curabo deſcribi, et mox reddam. Acrior ille eſt in *Puſendorſium;* non tamen ſine cauſſa, prouocatus. Pugnat idem et contra *Blondellum* hactenus non male pro Imperatorio iure et titulo in Romam. Nimis enim nobis iniurioſa ſunt Gallicana illa ſuorum Regum mancipia **. *Lambecium* laudabo, vbi dignum quid tanto hiatu

**Quorum tamen in contubernium concedentem videbimus mox ipſum magnum *Conringium.*

tu præſtiterit. Nondum enim mihi perſuadet vel illum *octoginta* millium Bibliothecæ Cæſareæ numerum, niſi voce *voluminis* flexa in alienum ſenſum ***. Quæſo, cures tibi communicari apographum ſaltem veteris indicis. In cauſſas defectionis ad Pontificias partes, non inquiro. Notiſſimæ ſunt vel ex iis literis, quas ad te dedit. Cum malit errare cum illa Eccleſia, ceu ſcribit, quæ omnium ſeculorum conſenſu in poſſeſſione eſt catholici nominis; mirum eſt, ni ille maluiſſet etiam errare cum cœtu idololatrarum, qui omnium ſeculorum conſenſu fuerat in poſſeſſione nominis cultus non dæmoniorum, ſed Deorum, ſi ille Apoſtolica ætate vixiſſet. Vale!

CCCLX.

Boineburgius, diſſimulato ex D. *Alexandri* diſceſſu concepto dolore, per domeſtica ad *Caſparis Barthii* poſthuma delabitur.

Moguntiæ d. 27. Mart. 1663.

Ex quo veſter *Alexander* Francofurto diſceſſit, fere neſcio, quei ac per quem tuto commeare literæ

*** Videſis quæ notauimus ad *p. 1038. et 1039.*

teræ noſtræ poſthac queant. Si harum commeatus porro inſtituendi, quæſo, doce viam. *Boecleri* folium de ſacro Romano Imperio nouum, vna cum epiſtolio eius ad me, tibi ſubmitto. Reliquum deinceps. *Scioppiana* auide deſidero. Ea vt mittas, ſpero, tibi non excidiſſe. De publicis neſcio, quid ſcribam. Priuata enim adeo me diuexant, liberis partim ægrotantibus; pars in periculo variolarum conſtitutis. Deus eos ſeruet, ſanet, ſoſpitet! Comitia ſpem ſui paruam præbere videntur; neque pro ſpecioſis initiis. *Alexander* veſtras ſi nodos Gordios enſe diſſecare et expedire poteſt, bella eum fortuna iſtuc exciuit. De literis tecum malo. *Barthium* inedita reliquiſſe pluſcula, nuntiauit iam pridem *Pruſchenkius*, *Hortlederi* gener, cui cum illo aliqua interceſſit vel affinitas, vel propinquitas ſanguinis. Totidem, et plures, quot edidit, *Aduerſariorum* libros; tum et in Sanctum Auguſtinum *de Ciuitate Dei*, atque in *Iuſtiniani Inſtitutiones* ampla dedit commentaria. Hæccine apud vos exprimi typis poſſint, ſciſcitantur amici. Quæſo, ſignifica, quid iis reſponderi oporteat. Ego optem, legi in publico eius omnia. Fuit enim vir fuſæ ac permultæ lectionis, et inter potiora Germaniæ nomina,

mina. Eius *Soliloquia* per me delectant, et ſubinde erigunt. Inde videre eſt, aſt illis qui experti, antiquæ et variæ lectionis, qua ille homo per omnem retro ætatem excelluit, vbertatem et præſentaneum fructum vſumque. Vale, mi optime, et me nihilo impoſterum remiſſius tuarum literarum affatu erudi et recrea. Valete!

CCCLXI.

Idem, multa metuens, plura ſperans, *Florum* carpit, ſuum animum pingit, Barthiana inedita ſumtu AVGVSTI Ducis vt edantur, optat, Freinſhemiana quædam et literas Londinenſes adfert, et de *Bæcleri* Grotianis argutatur.

Moguntiæ d. 8. April. 1663.

Tuæ ſine die et Conſule, ſed tamen, *Alexandro* iam Francofurto degreſſo, datæ, et Eminentiſſimo viſæ, cum ipſi, tum, ſi id opus dici, valde mihi probatæ ſunt. Præclaras quippe de publicæ noſtratis rei tam inclinatione, quam, quæ ſubſternendæ, fulturis notitias atque indicationes complectuntur. Cubat pro foribus neceſſitas; imo præſentanea incubat nobis vtique ineluctabilis cum Turca bellandi. Eam ſemouere Viennenſes contendunt atque differre, neſcio quo metu noſtri

ſtri in Imperio, ceu ſcilicet a fœdere noſtro ipſis magna mala crux impendeat, cum potius inde vnica iis leuatio ſperanda ſit, vbi propediem Hannibal ad portas ſubito apparuerit: profecto non emanſurus, poſtquam Waradino capto tantum ceruicibus noſtris imminendi compendium lucratus eſt, vt pene hinc ſuæ ſpontis ſit, bellum, an pacem? hodie ne, an cras? mauelit. Cæſari opem ſummitti, aut in caſum emergentis fati appromitti, idque *conſcripto milite*; non *nummis*, in priuatorum quæſtum prædæ futuris, e re et fas foret. Prout vero nunc habitus animorum Ratiſbonæ aduertitur, vix intra eum modum conſilia continebunt ſe, vnde ad Imperii Ordinumque in belli paciſque regimine præcipue ſitam auctoritatem multa credi poſſit acceſſio ſperanda. Omnes nempe audentes et præſente pectore conſpicimur, quamdiu extra arenam ſtatur. Cum primum eo vſque deſcenſum eſt, vt loqui, et ſuffragiis ſuis efficax pondus addi neceſſe ſit; tum vero mirum, quanta continuo trepidatio, aſſenſio, blandimonia, ſecundaque admurmuratio. Inde rectiſſime arbitraris, ne quidem adeo magnos pro reipublicæ reconcinnatione profectus a Comitiis exſpectandos eſſe. *Ariſtidas* vtinam pluſculos iuxta

tecum haberemus, qui haut inſcientes noſtrarum ægritudinum, corpus Germanicæ rei reuerenter et placide tractent! quod de integro velle recomponere, et nimis attente ad obruſſam legis ſcriptæ exigere, videtur ſaltem nunc non profuturum. Neque vel *Ariſtoteli* intactum eſt, heic caute inambulandum, et ita incedendum eſſe, neu diſquiſitio perfectæ emendationis ſtatum magis obturbet, impræſentia quietum. In hoc immani qua luxu ac faſtu, qua diſſenſu atque diſpectu Ordinum, ardua negotia explicatus nullos reperient; quin et inuoluentur terribilius, exteriſque, et domi quoque noſtræ nonnullis, anſa obtinget inde materiem ſpiſſiorem identidem aggerendi, quo incendium euadat luculentius. Hi contra in officio iam retinentur, virium fœdere aliquatenus conuinctarum ſolito metuentiores, quoniam experiundo plus ſemel animaduertunt, illud prouiuere, et non modo productiora durabilioraque, ſed etiam compactiora eundo, ac fortiora robora, et ad cohibendos quam ciues, tam et vicinos, quanquam debito potentiores comparatiora, ſubinde acquirere. Brandenburgicus ſi adiunxerit ſe nobis, vt *Lioneus* ampliſſimam ſpem facit mihi; confido, *deputationis* concilia in Franco-

fur-

ſurtanam vrbem breui relatum iri, dum modo et vos, et reliqua Statuum multitudo, rem eandem exurgere ſerio, et procul aſſentatione pertendant. Francofurti vt conuentus perſiſtant, quanti refe-rat, nemo neſcire poteſt, niſi qui omnia probro-ſiſſime ignorat, adeoque indignus eſt loco in pu-blicorum momentorum tractatu. Huc vt enita-mini, faciundum vobis erit, ſi pacem, ſi rem Imperii publicam, ſi conſiliorum ordinem præ-ſentem, quo hactenus freti ſumus cum gloria, cuſtodiri et ſeruari vultis. Sin captare aliorum, (qui, modo ſibi concedatur, Turcico ſubſidio impetrato Comitia non nihil ſeponere, conſtantia noſtra flecti ſe lubenter ſinent) fauores nemini profuturos præoptaueritis; habemus tunc. Actum eſt. Vnuſquiſque tum ſibi viam quæret, cui ve-ſtigia ſua firmius imprimere queat. Hac non am-plius res ſuccedet. Ex alia tamen patriæ nulla commoditas, ſed iis vnice obuia erit, qui ſuam ſolummodo rem factitare intendunt. Charitas tum patriæ nulla ſupererit, vtpote cuius impen-dio illi quæſtum facturi ſint, queis vniuerſi velut certatim, ſemel diſſuti, ſeſe aſſociare et ſubblan-diri palam occipient, ac volupe ducent. Neſcio, an me ſatis expediam. Electorum et Principum,

 quæ

quæ procudi paullatim videntur, ſimultates vberem nouatoribus et turbonibus eiuſcemodi materiem ſufficient turbas commouendi, animos ad rabiem vſque exſtimulandi, et omnia ſubruendi. Ceterum de *Lambecio* non ero immeminens. Per eſt diu, ex quo me indonatum reſponſis ſuis linquit. Indicem veterem requiro iam bis. Necdum reſponſi quicquam vel tantillum. *Florus* Viennæ multa ſcilicet gratia perhibetur inualeſcere apud Miniſtros, eouſque, vt quidam mandet, nil ad ſummam erga eum voluntatem deeſſe, niſi quod non eodem in lectulo dormiant. Totus eſt imbutus ſententiis aulæ, quæ ſunt rei noſtræ aduerſiſſimæ. Hoc applauſu et aſſenſu præſumit ad *Dynaſtarum* amplitudines effloreſcere, quales hic in mediocritate noſtra ſibi comminiſci non ſuſtinuit. Hoc pacto homines conſilia regunt et comprobant; non quia recta et in publicum conducibilia, ſed quod priuatim fructuoſa, et ad dignitates facilius molliuſque apparandas proficua ſint. Ego ſane, vtut cetera falſus multum meis ſim ſenſibus, erroreſque infini-

finitos, qua ſum iudicii * labilitate, commiſerim; gloriari tamen læta conſcientia poſſum, religioſiſſime me hactenus accuraſſe ea, quæ patriis rebus ſalutaria, et ad dignitatem nominis Germanici amplificandam, et ab omnibus inſidioſis impreſſionibus ſarctam tectam conſeruandam reapſe proficientia et conducentia prouiderim. Magno conſtat iſta mihi firmitas cordis et candida ſtabilitas.

De literis noſtris paucula ſubiungam. *Scioppiana* tua pædia ecquando tandem optatam ſui nobis copiam indulgebit, miſſu atque conceſſu tuo, quem toties exorare contendimus? De *Reineſii* et *Barthii* ineditis accipe, quæ hactenus compertiora et fando, et ex epiſtolis, Lipſia Ienaque perſcriptis ad alios, inaudiuimus. *Barthiana* et *Reineſiana* quo minus prodeant, nullius præterquam bibliopolarum culpa conſit, quorum quippe nemo hucuſque ſumtus eam in rem dependere perſuaſus eſt; imo nemo, ne quidem

 ro-

* Vel hoc ipſum iudicii fuit, iudicii in ſe labilitatem deprehendere, agnoſcere et fateri. Non enim dicis cauſſa hæc ſcripta exiſtimo; ſed ex ſenſu veri.

rogatus, vel gratis in ſe recipere vult. *Barthiana* per ſane multa non ſine inſigni damno rei literariæ, neque ſine Germanici honoris pudore, forulis coërceri deprehenduntur. In iis, præter commentarios in Auguſtinum *de C. D.* vaſtum opus viſitur *de Superſtitionibus Veterum*, et aliud eiuſdem, vt aiunt, molis de *Scriptoribus dubiis*. Quod argumentum, vti tu me melius longe noſti, hucuſque non niſi in parte cultum eſt. Nam de profanis præter paucula, quæ apud *Voſſium* in *de Hiſtoricis*, et apud *Ionſium* habentur, nemo anquiſiuit; niſi ſeorſim ac ſeparatim. Et tamen vix pauciora profanis Scriptoribus, quam ſacris et eccleſiaſticis, affićta ſunt et ſuppoſita. Opus de *veterum ſuperſtitione* videtur elaboratum eſſe æmulatu *Voſſii* parentis, qui de idololatria gentilium. *Reineſius*, quod certo comperi, iamdudum quæſiuit, qui ſua ad *Voſſium* ſupplementa formis exprimeret; ſed et is fruſtra. Vult namque Voſſianos de hiſtoricorum hiſtoria libros vna recudi. Quod abnuunt et recuſant bibliopolæ, veriti offenſas Batauorum. Idem nunc totus deſudat in adornando Gruterianarum Inſcriptionum opere, et, quod addere conſtituit, *Onomaſtico Romano barbaro*, imitamine et id Voſſii, qui de

gloſſe-

gloſſematis latino-mixtis. Multa inde lux Scriptoribus mediæ ætatis, et candoris latini cum florentis, tum cadentis. Quid? ſi Auguſtiſſimus noſter AVGVSTVS excudendis tam præclaris libris vſum ſui et nominis et æris impenderet? Eſſet opus et molimen ac tentamentum vere Regale et Principale. Quo pauciores nempe habet Germania, quorum laboribus ornari poſſit; eo liberalius illi et lautius haberi merentur. *Abrahamus Freinſhemius*, qui Wormatiæ degit, neque deſidet, vir bene doctus, miſit mihi *Phædri Fabulas*, emendationibus, poſt Pithœanas, Ritterſhuſianas, Rigaltianas, Scioppianas, Meurſianas, Arnaldinas, patrui quoque ſui, *Ioannis Freinſhemii*, planiores et venuſtiores effectas, hiſtoriis inſuper cuique fabulæ congruenter ſubiectis mirifice adornatas, nec non indice diligentiſſimo inſtructas, MSS. Opuſculum per eſt dignum, quod in publico legatur. Impertio quoque tibi literas, quas Londino accepi **, cum in iis res contineantur tibi omnino placituræ. Quæſo, admone, quid librorum inde afferri debeam curare? Noti ſunt

 hi

** Earum quoque lectores noſtros participes facere, operæ pretium videtur.

hi recens: *Marmora Arundeliana. Scriptores rerum Britannicarum a Seldeno vno volumine primum editi. Matthaus Pariſius cum Gloſſario. Seldenus de titulis Honorum. Clemens ad Corinthios Patricii Iunii.* Societas Regia poterit quoque diſquirere de *Kircheri mundo ſubterraneo: hydrographia Fournerii: de opinione Haruæi de conceptione animalium:* de *Hobbeſianis; Burrhianis.* Num vidiſti *Freinſhemii* libellum de dignitate Electorum Imperii et Cardinalium Pontificatus Romani? Studebo, ſecunde enim impetrare poſſim. *Baclerus* his nundinis tibi ſummittet primam partem Grotianæ commentationis. Inde multa *nox* et *lux*. *Nox* iis, qui media meridie pergent caligare et fatuari in vulgaribus vernilitatibus, quæ nihil veri ſolidius ad veræ catholicæque iurisprudentiæ colluſtrationem vltra tradi poſſe delirant. *Lux* et plenum Solis iubar, ipſaque pelluciditas Olympi limpidiſſimi viciſſim iis affulgebit indidem, qui philoſophiam humani generis iudicem iſtanc, et communem hancce ſocialemque æquiprudentiam aliquanto intimius exquirere atque penetrare nituntur profundius, et facultate inſimul ad vſum pragmaticum comparatiore ciuiliuſque efformata. Vale!

CCCLXII.

CCCLXII.

Lettre de Mr. *Theodore Haack* à Mr. le Baron de *Boinebourg* ſur la Societé Royale de Londres.

A Londres ce $\frac{20.\ Fevr}{1.\ Mars}$ *1663.*

L'honneur, que Vous me faites ſur le peu de connoiſſance, que Vous avez de ma perſonne, m'acquiert entierement à Vous ſervir, ſi non à meſure des merites de Voſtre genie incomparable, au moins de tout mon pauvre pouvoir. Les voſtres du XIII. du Jauvier ne me furent rendues qu'avanthier ſous l'enveloppe de ....; et, ne ſachant de luy, ſ'il peut eſtre de retour deja, ou d'avanture encore plus eloignê de nos et de Vos Quartiers, le Bonheur pour moy inopinement m'a encore offert la belle occaſion de vous reſpondre un mot, ſur la rencontre et par le moyen de mon vieux et grand Patron, Monſieur le Chevalier Curtius, *qui vous preſente ici ſes treshumbles baiſemains et recommendations; de ſorte qui je n'ay pas voulu negliger, ni differer de Vous rendre ce compte, pour ne ſembler pas tout à fait indigne d'une ſi illuſtre faveur que la Voſtre, et des offertes ſi grandes et obligeantes, dont il vous a pleu combler ma petiteſſe: pleuſt à Dieu, qu'elle fuſt auſſi habile que preſte à les re-*

conoi-

cognoiſtre. Or, Monſieur, ſouffrez, ſ'il vous plaiſt, pour me rendre un peu plus capable à Vous ſervir utilement, que je vous prie de m'informer au prealable, quel apparatus *ou proviſion Vous avez deſja en poſſeſſion, et quels autheurs d'ici vous ſont peuteſtre mieux cogneus qu'à moy meſme,* ne actum agamus. *Car à ce que j'apprens de tres-bonne main, rien ne vous ſçauroit eſchapper de curieux par tout le monde lettré et ingenieux. De plus, Monſieur, puisque le genie de cette Nation, meſme entre les plus doctes et tresexcellents Eſprits en toute ſorte de ſçavoir, ſe plaiſt et delecte la pluspart en ſa langue maternelle, non moins que d'autresfois il ſe pratiqua en Grece et en Italie; je deſirerois un mot d'avis, ſi les livres ou traittez en cette langue vous ſeroient autant agreables, qu'ils ſont autrement excellents, et de quelle ſorte de Matieres Vous deſiriez d'eſtre informé, ou pourveu plus particulierement. D'ailleurs, ce dont j'eſpere de Vous pouvoir quelquefois entretenir agreablement, Monſieur, nous ſera principalement fourni d'une Societé ici de tres habiles et genereux Eſprits; qui depuis quelques temps ença, ſoubs les auſpices et l'auguſte protection de noſtre Roy, comme Chef et Fondateur d'icelle, ſans aucun biais*

ais d'emolument particulier, ou autre but, que l'honneur de ſervir et faire du bien à tout le genre humain, ſ'adonnent et ſ'eſvertuent, chacun à part ſoy et conjointement, à la reèlle, ſevere et aſſidue perquiſition de la nature, par le ſeul chemin aſſeuré des vifs et propres experiments ſi long et ſupinement negligés dans les Eſcoles; Au regard duquel honorable deſſein Sadite Majeſté auſſi qualifie cette Compagnie dans les Lettres Patentes, qu'il leur ottroye, du tiltre de Societé Royale. *Il y a grande apparence, que dans peu de temps l'affermiſſement et reglement de cet Illuſtre Corps s'étant achevé, on en publiera quelque choſe, pour tant mieux eſveiller tant icy qu'ailleurs de ſemblables Eſprits par toute l'Etendue de la Generoſité humaine, afin qu'unanimement ils concertent, contribuent et cooperent deſormais à une fin ſi digne, du meilleur de tout leur pouvoir et ſçavoir, pour enfin, par la plus aſſurée cognoiſſance des creatures, et de l'admirable nature, ſymetrie, harmonie et uſage de l'univers, nous faire avancer de plus en plus en la vraye cognoiſſance et deuë recognoiſſance de l'Autheur Toutpuiſſant, et de ſes immenſes faveurs envers ſon chef d'œuvre, l'homme,*

me, et nous induire efficacement de ſonger et vacquer tant plus à ce que nous devons à Luy et l'un à l'autre. J'attendrai, Monſieur, vos ordres pour le maniement de la Communication entamée, n'ayant rien à adjouter à la preſente, que pour la Proſperité de Voſtre Illuſtre Perſonne et Merite, les Vœux de

Monſieur

Votre treshumble et tres acquis ſerviteur
Theodore Haack.

Marcus Marci promiſit in libello de proportione motus, ſe editurum tractatum, qui demonſtret rationem omnium motuum corporis humani. Aueremus reſcire, num hoc præſtitum ſit, aut quid exſpectandum?

CCCLXIII.

Boineburgius Taborem et *Rebhanium* taxat, nec non et *Feldium;* Moguntina quædam poſtulans a *Conringio.*

Moguntiæ d. 21. April. 1663.

Iam redduntur mihi, quæ amicis diſtribui poſtulas. Omnia, quoad eius fieri poteſt, hic curabo, vna cum literis, et tuis, et meis ad *Forſtnerum, Hottingerum, Bœclerum.* Scioppiana pædia

dia vbi hæreat, miror. *Taboris* pluſquem cereuiſiarias in te et barbara maledicentia putentiſſimas deſtomachationes cum riſu excipies. Meretur vero is cenſuram peracrem. *Perdicio* aliquid ſimile debes. Scio, *Bœclerum* pœnitere ſuæ laudationis, qua illum ob methodi eius neſcio quam præſtantiam deprædicare nuper auſus. Memini, polliceri te de *Primatu Sedis Moguntinæ* aliqua. Si qua velles colligere, et mecum communicare; rem vtique ſumme gratam mihi præſtares. De *Archicancellariatu Moguntino* ſi quid adderes, obligatio eſſet duplo maior. De *Mallincrotii* libro de Archicancellariatu quid ſentis? *Feldii* elementa magnam ſui partem vidi. Miror mixturam politicarum præceptionum cum traditione iuris. Neque finem, methodum, vſum operis capio. Tuum iudicium exſpecto. Omnia, quæ miſit *Hottingerus*, mitto et ego. Sed plagulæ ſunt confuſæ, et forte nec integræ omnes, obliuione bibliopolæ, qui tradidit. Literæ deinceps ſine tuo impendio commeabunt. Vale!

CCCLXIV.

Idem *Lambecii* quamdam mittit epiſtolam, et pædiam *Scioppii* recuſam poſtulat.

Bonnæ d. 3. Mai. 1663.

Per

Per eſt diu, ex quo nihil inaudio, an meæ literæ ad te recte curentur, nec ne? Non poſſum tamen quin haſce Dn. *Lambecii* mittam, oremque, ne mei omnino obliuiſcare, et vt mittas *Scioppianam* tandem pædiam, cuius ſummo deſiderio teneor. De aliis pluſculis rebus propediem, vbi comperero, quid literis meis factum ſit. Si qua ob eas impendia, libenter reſtituam, vbi monueris. Vale, et haſce Dn. *Voglero* tradi iube!

CCCLXV.

Conringius Hottingeriana et *Bœcleri* Grotiana laudat, Moguntina promittit, *Taborem* increpat; ſed de *Feldio* non omnino abiecte iudicat.

Helmſtad. d. 5. Mai. 1663.

Vt permoleſtum mihi aliquamdiu fuit, carere tuo literarum commercio longe hactenus dulciſſimo; ita peracceptum profecto fuit, quod ante triduum accepi, fore, vt inpoſterum ſine impenſis queant, ceu ante, inter nos literæ commeare. Etenim nimis care conſtat hæc mittendi ratio, qua illas tuas vltimas accepi, et tamen reſtitui illud priſtinum commercium equidem peruelim. Fortaſſis et aliam aliquam ſuggeret mittendi commodam occaſionem Sereniſſimus et Optimus Princeps

meus,

meus, ad quem perendie profecturus ſum. Qui haſce tradunt, Rigæ Liuonum nati, et meo conuictu per biennium et amplius ſunt vſi, iuuenes plane eximii, et quorum in politicis progreſſus poterunt docere te theſes, quas hic diſputandas propoſuerunt. Eorum aduentum non ingratum tibi futurum arbitror, etiam illo nomine, quia haſce abs me adferunt, et mihi virtutis doctrinæque cauſſa cari fuerunt; forte etiam narrare quædam poterunt, quæ intelligere deſideras. Pro literis *Hottingerianis* tranſmiſſis habeo gratias maximas. Reddo tuas, et ſimul bibliothecarii operis plagulas. Video hoc opus excreſcere vltra id, quod titulus pollicetur, et dare, quæ non exſpectaueram; perdocta tamen omnia, et *Hottingero* digna. A *Bœclero* quoque noſtro et literas et libellos, interque eos commentarium in primum Grotii librum de iure belli ac pacis, reddidit mihi bibliopola noſter. Vbi libellos, quos bibliopego commiſi, perluſtrauero, reſpondebo viro clariſſimo, et eximio Germaniæ ornamento. In meis edendis nonnihil iuſto ſunt ſegniores operæ noſtræ typographicæ; ſpero tamen, propediem omnia viſura lucem. Quæ ad illuſtrandam dignitatem Moguntinæ Sedis poſſint facere, curabo: idque

quoniam illa mihi cordi eſt, cumprimis propter Principem, quo non temere alius Germaniæ rebus eſt, aut eſſe poteſt hodie vtilior. Quæ iure cereuiſiario aut zythoico ebrius *Tabor* in me vomuit, legi cum riſu potius, quam cum indignatione. Niſi vehementer fallor, nuſquam bellua adeo nudauit impotentem animum, ſimul et inſcitiam, quam in illa vltima plagula. Tantum doleo, talem eſſe magiſtrum conſtitutum docendæ prudentiæ iuris, et a nonnullis in pretio haberi. Mihi certum eſt, hominem, vt deſperatæ ſanitatis, furori ſuo relinquere; aut vero, non niſi obiter in ſcenam producta illa charta, omnium æquo iudicio calumnias illas ſubmittere. Nec tu forte ſuaſeris, tempus vti perdam et operam in cane abigendo; ſatis tutus ab eius morſu. Feldeniana, quæ ruſtico faſtu repoſita ſunt *Graſwinckelio*, perluſtraui quidem; at fundamentorum ſiue *elementorum*, quæ vocantur, hactenus nihil vidi. Doctus eſt *Feldenius*, et valet iudicio; ſed arrogantia facit illum omnibus intolerabilem. Non dubito vero, in illo elementario opere haberi multa eximia. Vale!

CCCLXVI.

CCCLXVI.

Boineburgius, *Tabore* rurſus taxato, quid in Belgio fiat, quiue noui libri Romæ prodierint, qui ſuppreſſi ſint, narrat, additis nonnullis de *Franciſco Mercurio Helmontio*, *Comenio*, Comitiis.

Moguntiæ d. 12. Iun. 1663.

Reuertimus heri Colonia, vbi aliqua me detinuit negotiorum neceſſitas. Reperi heic literas tuas cum *Scioppii* pædia. Eius reliqua cum tuo præfamine ſummopere et auide exſpecto. Quod de Moguntinæ Sedis iuribus ac prærogatiuis elaboraueris, non erit tibi inutile. Argumentum hoc ego contrahere ſoleo in tres claſſes: *Primatus*, ſeu primi Archiepiſcopatus aut Metropolitanatus primi, et re vnici per Imperium vniuerſum; *Archicancellariatus*, et *primi Electoratus*. Neque peccauerit, qui addat quartam, nempe *primum* in Germrnia *principatum*. Quæ hoc ſemeſtri tractaturus es, vtinam edantur, aut mecum ſaltem MSS communicentur! Lampadiana publicatum iri, non diffido. Vti perinde vulgentur, quæ peregiſti de potioribus huius æui regnis et politiis, et quæ nunc trades de Germanicis principatibus et vrbium rebus publicis, enixe voueo, opto. *Rachelii* inſtitutum Grotianum perplacet. Vtinam et *Eichelianum* proce-

dat! Inde enim *Feldio* nonnihil ſtimuli ad pergendum, et multum retinaculi obtingere poſſet ad moderatiora iudicia capeſſenda. Literas haſce, ne care conſtent, inſcripſi Cancellariæ Wolſenbuttelenſi. Exſpecto indicium abs te, quei poſthac commeatus noſtrarum epiſtolarum inſtitui oporteat, quo et tuto incedant, et celeriter, et ſine multo impendio, imo ſine vllo vel tantillo. Quæ ad me literæ expediuntur, gratis curari ſolent ob officium, quo fungor, hac in aula. Sed meis ad alios non perinde cautum comperi. Rigenſes iuuenes, quos commendas, non vidi, peregre abſens. Theſes proinde ipſorum itidem videndi nulla facultas fuit. Hanc vicem meam doleo, oroque, vt per te innoteſcant mihi. *Bœclerus* iam duas plagulas Grotiani operis in II. librum miſit. De *Tabore* quid facturus ſis, videbimus, et ipſe experiundo cognoſcet. Debetur illi homini lixiuium bene acidum. De *Mallincrotio* recte iudicas. Quid exiſtimas de eius ſupplementis, quæ ſcripſit in *Voſſii* Græcos Hiſtoricos? *Bœclerum* valde pœnitet ſui de *Tabore* iudicii. Bonus vir deceptus fuit ſermonibus aduentoris, *Giſa* iſtuc delati, qui mitiorem factam illam beluam, priorumque ineptiarum ac ferociarum immemorem

rem agere, falſo venditauerat. Quanquam in iure forenſi et priuato Romano ad vſum quempiam ſeculi non eſſe nullum *Taboris* nomen, negari nequit; niſi quod inſectando ſcientiam grauiorum ſtudiorum, et odium in ea ipſa Vatinianum virulentia deſtomachandi aperiendo, omnia, ſi qua ei inſunt, bona corrumpit fœde. Ad tantam intemperiem compeſcendam non molli calamo opus, vt duro nodo durus cuneus; quamuis connitiis certare homini graui per eſt moleſtum. In Batauis præſto eſt ſuauis rerum conuerſio. *Hugoni* noſtro *Grotio* Delphis parari perhibetur glorioſum et ingens monumentum; itidem *Oldenbarneueldio* in loco, quo plexus capite fuit: reſuſum quoque iri confiſcationis rigorem expertis bona ſua. Adduntur alia, quæ voluenda die comperire licebit. Romæ iam edita ferunt *Petri Vallenſis* Itinera Perſicum, Turcicum, Indicum. Dubitatur, an impreſſio *Informationis Georgiæ regionis et ſtatus Abbaſi*, Regis Perſarum, ſinenda ſit? Supprimuntur Arcana Congregationis de propaganda fide, quoquo modo poſſunt. *Allatius* iam reſpondet *Creightono* Anglo de ſynodo Florentina. Edidit *octauam photianam*, vel de ea, qua *Hottingero* reſpondit. Miſit mihi Epiſcopus Paderbornenſis,

 vt

vt Hottingero mittam. Quod cras faciam per *Bæclerum*, qui Argentorato Tigurum curaturus eſt. Diligens hodie in nummis conquirendis Romæ fertur *Ioannes Petrus Bellorius*, qui *Petri Vallenſis* vitam deſcripſit. *Holſtenii* regulæ de *monachis antiquis*, vt et *conciliorum Romanorum*, et aliorum fragmenta publici iuris facta ſunt. Sequentur *Acta S. Perpetuæ*, et *Palladii Architectura*, Geographici ipſius labores affecti ſunt. *Pallauicina* Concilii Tridentini hiſtoria mihi parum ſatisfacit. Abundat nugis. Imprimitur nunc forma media inter eam, quæ in fol. et quæ in 8vo dicitur. Latine reddi debuit. Sed accepi, eum laborem non ſuccedere, ſed interprimi; neſcio quare, cuiuſue iuſſu factoque *. *Kircherus* in *ſubterraneo mundo* abſoluendo occupatur. Exprimet eum Amſtelodami Ianſonius, qui omnia eius opera recudere orſus eſt. *Helmontius* Roma dimiſſus, ſed huc venire impermiſſus, alibi memorauit, ſe iſtic reperiſſe quoddam *Alphabetum Naturæ*

* Prodiit tamen, at poſt fata Boineburgii, *Sfortiæ Pallauicini vera hiſtoria concilii Tridentini contra falſam P. Suauis Polani narrationem ſcripta, ex Italico verſa a Io. Baptiſta Giattino, Antwerpiæ 1673. fol.*

turæ tali linguæ conſtituendæ, quam et agnoſcerent omnes, et intelligerent. *Comenium* maximi facit, et eius ianuam 2000. circiter vocabulis exonerari poſſe contendit. Quid, quæſo, tibi videtur de *Comenio*, cumprimis de eius, quam molitur, rerum humanarum emendatione? Eam perfici poſſe præiudicat condendo libro vno catholico ſeu vniuerſali, quo comprehendatur omne cognobile et practicon, ceu Chemici de vniuerſali medicamine delirant. Delirant magis, qui Ratiſbonæ medicinam publicis, quæ denuo imminent, malis apponendam declinant. Nummos in bellum Turcicum corrogatum eunt, quod nolunt: quod vel extrema votorum hoſtilium auaritia efflagitatis conditionibus ſatisfaciendo redimere ſtudent; quod ne quidem illatum defendere parant, in Italiam ſubmiſſis fortioribus copiis. Garantiæ vniuerſalis opus, pacis vnicum coagulum atque ſtamen, perfici vetant. Nouas lites ſerunt, neſcio qua impetigine. Plerique Status adſentantur. Eminentiſſimus ad Comitia ipſiſſimus ibit potius, quam vt ea ſinat diſſui, ſecuritate nondum conſtituta. Quid Sereniſſimo *Auguſto* mentis? Valete!

 CCCLXVII.

CCCLXVII.

Conringius de *Bœclero*, de *Mallincrotio*, de *Tabore*, de *Allatio Helmontio*que, et *Kirchero*, et *Comenio* libere iudicat.

Helmſtad. d. 15. Iun. 1663.

Ad Lambecianas literas, quas nuperrime miſiſti, en tibi reſponſum meum! Velim vero vti etiam tu pro *Ioſephi* Codice impetrando clariſſimi *Boſii* cauſſam agas. Id ſane vti te rogem, vir ille longe doctiſſimus abs me petiit. Poteris vero etiam hoc beneficio laudem æternam tibi comparare. Quas $\frac{12}{2}$ Iunii Moguntiaci exaraſti, multum me exhilarauerunt. *Rachelius* de ſuo inſtituto ipſe ſcribet: pergit vero ſic ſatis ſtrenue. *Bœcleriana* legi per occupationes. Placent omnia; magis tamen placitura, ne quid diſſimulem, ſi potuiſſet ſibi auctor, vir clariſſimus, temperare ab illa ſibi ſueta ſtili granditate, cum philoſophia non niſi tenue dicendi genus patiatur; grande omne et metaphoris pertornatum plane faſtidiat. Pergratum vero fuit, nomen tuum operi præfixum * le-

* Bœclerianæ nobile ſpecimen eloquentiæ eſt dedicatio huius libri, quam ſi legiſſet *Strunius*,

legere, et videre illas a *Mullero* confectas tabulas**. *Feldiana* elementa lente eduntur, nec mihi hactenus vacauit, quæ iam ſunt edita, inſpicere. *Mallincrotii* nihil non doctum eſt: quantum equidem iudico. Ad res Germanicas tamen potiſſimum facit illius de Archicancellariis opus pla-

nius, pleniorem forte vitam *Boineburgii* dediſſet ea, quam fugitiuo, vt apperet, calamo ſcriptam præfixit *collect. MSS.* faſciculo tertio. Didiciſſet nimirum, *Boineburgium* inter Romanorum Regis *Ferdinandi IV.* nobiles *Cubicularios* receptum, et ex mandato Principis ſui Electoris Hochſtæ et Hofheimii Satrapam fuiſſe. Immo ſi perrexiſſet ad præfationem libri ſecundi, vidiſſet, *Boineburgium* in maioribus ſuis numeraſſe tres Præſules, qui ſeculo tertio decimo Wormatienſis Eccleſiæ cathedram rexerint: quod tamen dubium ſit legentibus *Schannati* hiſtoriam huius eccleſiæ. Ipſe Bemelbergiorum in Suevia, et Boineburgiorum in Haſſia et Thuringia familiam vnam eandemque gentem fuiſſe autumauit, prouocans ad *Bucelini* genealogiam erga *Dietericum cp. 32. et 38.*

** Has *Mulleri* in opus Grotianum tabulas, quarum ipſemet *Conringius* editionem moliebatur, a *Boineburgio* forte acceptas, libro huic attexuerat præueniens *Bœclerus*.

ne eximium. Neſcio, vtrum adhuc in viuis ſit: certe virtus eius meretur vitam diuturnam et maiorem proſperitatem. Cum *Tabore* ſi agerem lege talionis, me æque proſtituerem fortaſſis, atque ille ſeſe deformauit. Quid? ſi aſinus me calce petat, an ego repetere debeam? Abſit. Si in charta vel tantillum reperiretur, quod vel ſuſpicionem malæ cauſſæ mihi mouere queat, aut nocere famæ; vindicarem nomen meum. Videas autem ibi huius generis ne iota quidem. Quod ſi tamen quidquam obſeruaueris dignum reſponſo, non deero exiſtimationi meæ ac veritati. Forenſis iuris peritiam nemo illi denegauerit. In reliquis ſapit nihil: quanquam enim et diligens ſit et multæ lectionis; accurati tamen iudicii nihil temere deprehendas. Vt in Batauis fiat illa, quam tangis, mutatio rerum, intereſt reipublicæ, ſaltem ex parte. Vereor autem, ne, dum quæuis prouinciarum libertatem plenam affectat, ex *Grotii* et *Barneueldii* ſententia vinculum fœderis breui rumpatur et pereat. Late hoc de argumento nuper diſſerui. *Petrus Vallenſis*, cuius tu itinera Romæ edita memoras, ne fando quidem mihi notus eſt. Princeps tamen meus libros illius afferri curabit. Quid controuerſiæ *Allatio* ſit cum *Hottingero*, hactenus me ſu-

fugit. Credidi eſſe de illo a *Leone* iactato perpetuo conſenſu: nunc videor accipere, eſſe de *Photiana* aliqua *ſynodo*. Vterque vir eſt doctus. Sed *Leonem* præ ſtudio partium ineptire, palam eſt. An ſorte in ſuo contra *Creightonium* Anglum reſponſo ſuum perpetuum conſenſum ſtabiliet? Vellem equidem parcat nomini ſuo, et deſinat vſque adeo ineptire. Vt eſt impatiens aduerſarii, mirum, ni et ego vapulem, ſi non in vtroque, ſaltem in alterutro libello. *Holſteniana* ſaxo, vt ex Italia AVGVSTVS meus deferri ſibi curet. Quantum video autem, ſpes de geographicis ipſius decollabit. De *Pallauicini* hiſtoria ingenue et recte iudicas. Latina verſio metuere videtur oculos hæreticorum, a quibus Italica dictio ſecurior eſt: quoniam qui hanc linguam callent, raro eius ſunt eruditionis inter Proteſtantes, vt ſint idonei talibus iudicandis. Quæ cauſſæ *Helmontium* Romæ in carcerem compegerint, hactenus nemo mihi narrare potuit. Si liceret ſcire, quæſo, paucis doce. Non obſeruaui in homine illam latini ſermonis peritiam, qua ſit aptus, ſoribus ſiue *Ianua Comeniana* eiicere bis mille vocabula. Si velit autem illam ex manibus tyronum eliminatam, habuerit me aſſentientem. Fruſtra certe fructum illum ex libello iſt-

iſthoc exſpectauerit tyro, quem auctor profitetur. Ego nihil hactenus vidi Comenianum, quod potuerit placere. Et qui vnus homo poſſit omne cognobile docere? Quanto minus id poteſt *Comenius*, qui ſane, me indice, nihil ſolidæ doctrinæ tenet? Laudandus duntaxat a conatu; ſed ridendus ſimul ob Phaëtonteos auſus et inuſitatam ſuperbiam ***. Vere ſentis, conatus ipſius ſimiles eſſe deliriis de vniuerſali Medicina. *Helmontius* ineptus eſt iudex virorum doctorum; ipſe ſcilicet indoctus et enthuſiaſticis nugis, Chemicorum more, præpeditus. Alphabetum illud Naturæ, quod vidit Romæ, forte eſt eius argumenti liber *Kircheri*, quem ſuperiore anno Sereniſſimo AVGVSTO meo tranſmiſit. Conſtat autem characteribus, qui ſunt notæ rerum, non ſonorum; vt noſtri. *Chinenſes* literas credo tibi notas eſſe, quæ itidem illius ſunt generis. Vbi ſubterraneum *Kircheri* mundum dederit Ianſonius, habebit me le-

*** Templum Sophiæ ædificaturum ſe dixit; aperturum portas, atria, ſanctuarium, adyta; poſiturum columnas, altare, candelabra; additurum ideas, ſuffitus, holocauſta, intelligentias, Cherubinos — aliaſque ridiculas metaphoras, ſincipite ſano parum dignas, iudice *Sam. Sorbierio p. 62. Sorberian.*

lectorem. Delector ſane viri ingenio curioſo, et multiplici doctrina imbuto; quanquam ſæpe excedat modum in nouando, et ab aliis plagii accuſetur. Delirare Aulæ conſilia, iuxta tecum ſentio. At vereor, ne illa deliria noceant vniuerſæ Germaniæ. Videtur ingens malum rebus noſtris imminere. Inuſitata ſane et ſocordia laboramus, et ſupinitate. Ita agimus, quaſi vel Turca contra Perſam gerat bellum, vel nôs iam ſatis inſtructi ſimus a milite; cum tamen ipſi Hungarorum animi, tyrannide ſacra irritati, videantur proniores in Turcam, quam Regem ſuum, affectu. Me et priuatæ et publicæ occupationes adeo detinent, vt aliquamdiu de libris ſcribendis ne cogitare quidem potuerim. Quæ vitæ ratio mihi ſane eſt moleſtiſſima. Vtinam inueniri poſſit ratio, qua in integrum poſſit reſtitui ſine magnis impenſis commercium noſtrum literarium! Allaborabo ego, quantum ſane potero. Vale, Domine, bono publico, et faue!

CCCLXVIII.

Boineburgius Mallincrotium laudat; deque *Taboro* et *Allatio*, et *Helmontio* et *Comenio* plura narrat.

Mo-

Moguntiæ d. 12. Iul. 1663.

Doleo, opportunitatem literas commutandi nobis ita omnem periiſſe, vt non poſſit plane hic earum commeatus ſine omni impendio conſtare. Quæ *Scioppii* pædian conſequi debebant, vbi obhærent? *Lambecio* tuas accuraui. Pro *Boſio*, clariſſimæ viro eruditionis et ſubacti iudicii, ſcripſi eidem, nil dubitans, quin Ioſephicum Codicem MSS ſimus ſic adepturi commodato. Apparat quoque *Ioſephi* editionem doctus in Gallia vir, *Emericus Bigotius*. Bene eſt, quod is honos Germanis noſtris obtingere poteſt, *Boſio* obſtetricante, quem olim et Batauia ambiuit, *Cunæo* paria conante. *Rachelius* laudem meretur, et omnino adiuuari ac adaugeri in omnem partem debet. Eoque magis, quo truculentiores exiſtunt hoſtes in *Grotii* opus. Iuraſſe videntur *Iuriſtæ*, ſuos ita modulos exſuperari dolentes, ſeſe concituros neſcio quid non in ſeuerioris huius et vtilioris prudentiæ tractationem molitos. Qui vbi iunctis operis mentibuſque incedent, facile hos in ſimpulo fluctus component. Caueant modo ſibi, ne mutuis contentionibus decoquant omnem ab ipſis ſperatam ſtudio pragmatico commoditatem, adeoque gratiam potiſſimam iſtis nugis corrumpant.

pant. *Mallincrotius* vir fuit pereruditus, decus patriæ, amœniore literatura conſpicuus, nobilitatis Germanicæ perinſigne ornamentum, ne putes ſoli *Barthio* hoc elogium deberi. Obiit non ita multo abhinc tempore. Prudentiæ laude non perinde claruit, litibus, quas enodare nequiuit, temeritate inconſideratiſſima implicitus. Vidi eum Ratiſbonæ, cum omnibus foret perinuiſus ob turbas in electione Monaſterienſi datas. *Tabori* vt aliquid reponas, neceſſe videtur. Fieri id poterit ſub finem operis propolitici, cum faſtigium impones pædiæ Scioppianæ et Naudæanæ. Ibi enim et ciuilis et iuris prudentiæ vindicandæ locus non ineptus. De reipublicæ et Imperiorum hodierno per orbem ſtatu diſſertationes, quales hactenus habuiſti, vtinam mihi præſto eſſent! *Allatius* de te nihil. *Hottingerum* et *Bæclerum* ſatis inclementer tractat, cum de conſenſu, tum de Synodo Photiana, et de aliis promiſcue. *Helmontius* Roma reuertit, et apud Electorem Palatinum reperit receptum *. Iſtic detentus fuit ob va-

* Ibi ſorori Electoris, SOPHIÆ, Heroidi noſtræ, innotuit, cuius Aulam deinceps Hanoueræ quoque frequentauit. Dabimus ea

varia, quæ ſparſit, fatua dogmata, quorum celebritas ignota eſſe non poteſt. Homo omnino literarum inſciens eſt, et ſuæ ſpontis in religione; cetera ſic ſat probus in communi vita: *Comenio* ſuppar in *Weigelianis* deliriis venditandis; at infra ipſius doctrinam; etſi nec magnam, longe ſubſidens. Vale, et me ama! Pro conſtituenda ſecuritate publica Eminentiſſimus Elector in Comitiis talem propoſitionem fieri iuſſit, vnde ſpero Statibus palam futurum, quanta teneritudine ac ſinceritate iura ipſorum proſequamur et complectamur, et quod nolimus, bellum pacemue in ſolius Aulæ manibus porro conſiſtere.

CCCLXIX.

Conringius, *Tabore* caſtigato, redit ad Walenburchica ſua, negat donum quoddam Regis Galliæ ad ſe peruenisse, et Ieſuitas taxat.

Helmſtad. d. 13. Aug. 1663.

Cum meus hic conuictor, iuuenis eximius, patria

ea de re ſuo tempore breuem literarum faſciculum, ex quo hominis ingenium notius fiet, quam ex aliorum deſcriptionibus. *Leibnitium* his ludicris interueniſſe, non iurato teſti credes.

tria Rigenſis Liuonus *, luſtratum Rheno proximam Germaniam craſtino die hinc profecturum ſeſe nuntiaſſet, iam hanc chartam ſelegeram ego in epiſtolam ad te longo poſt interuallo ſcribendam. Ecce vero commodum adferuntur tuæ, per *Laurentium Mullerum*, hactenus mihi ignotum hominem, Hanouera curatæ. Iam tum vero conſtitueram hac occaſione mittere plagulas Scioppiano-Naudæani operis, quæ poſt primas tranſmiſſas tandem acceſſerunt, cum nudius tertius vltimam manum demum typographus addiderit. Eas igitur non eſt quod amplius deſideres: modo tuæ exſpectationi ſatisfecerint. Videbis ſub finem præfationis ad lectorem quædam in *Taborem* dicta, quæ tamen vereor ne ſint iuſto acriora. Sed fortaſſe latrans canis fuſte tandem abigendus fuit. Reuerſus etiam poſt ſemeſtre integrum ad Reuerendiſſimos Dominos *Walenburchios*, illorum ſcriptum cum meis perpetuis animaduerſionibus iam reddidi iterum noſtris typographicis operis. Præter exſpectationem creſcit volumen ſub manu, dum non temere intactum aliquid relinquitur. Illam enim

Aaaa mo-

* Nomen hominis enuntiabit ſequens epiſtola.

moleſtiam ſuſcipere me iubet tum veritatis cauſſa, tum aduerſariorum dignitas. Vbi pars prima fuerit abſoluta, ſtatim tibi mittam, non dubitans ſcilicet, aliter ſentienti ſtudium tamen veri integrum tibi eſſe. Paraui vero et iam alia mea recudenda iterum; quæ dudum ſunt diuendita. Forte vero et nouum aliquid dabo, a Principe iuſſus ſcribere.

Quid vero hoc rei eſt, quod narras? Auctorne tu Regi Galliæ fuiſti, vt me munere Regio donaret? Quo meo merito? An faciendo? Facti nullius mihi ſum conſcius. Ego quidem hactenus donum Regium mullum vidi. Nec tamen etiam poſſum hariolari, quem in finem ego Regis illius munificentiam poſſim ſperare **?

Mea de Rebuſpublicis diſſertata, quamuis ſciam quam ſint tenuia, haud tamen mittere verebor, ſimul ipſemet illa deſcribi curauero, fretus tua beneuolentia, qui nempe etiam ſoles meas eſſe aliquid putare nugas. Pro conciliato mihi *Gruteriano* amore tibi gratias ago. Tibi ſane illum debeo. Non vacat nunc reſpondere: faciam tamen proxime. Excuſæ hic ſunt nuperrime Theſes quædam Ic-

---

** Mox explicabitur hoc ænigma, quod *Couringium* in alium virum mutauit.

Ieſuiticæ, Pariſiis diſputatæ, cum libello Parochorum Pariſienſium, titulo *Noua hæreſis Ieſuitarum.* Illa quin iamdudum tu videris, non equidem dubito. Ego vero non ſatis poſſum mirari, eo prolabi imprudentiam Ieſuiticam in colendo ſuo Vicedeo, quo hactenus prolapſus aperte quidem nemo temere eſt; quanquam fatear, omnino conuenienter theſi de Vicedeatu Papali Ieſuitas illos locutos eſſe. Diuina enim adminiſtratio rerum omnino exigit, vt in quæſtionibus etiam facti Magiſtratus ſit infallibilis, quandoquidem in talibus adminiſtratio omnis potiſſimum eſt occupata. Credo tamen, illa nimia imprudentia Ieſuitica effici, vt hodie *Sorbona*, ex veterno quaſi ſuſcitata, auſit priſtina ſua dogmata reuocare in vſum, et infallibilitatem Papalem *monſtri* titulo damnare. Deus aperiat et illi ſcholæ, et aliis, oculos, quo perſpiciant lucem illam fulgidam veritatis, ſaltem ſpreta Babylone! *Laurentius Mullerus* ille narrat, interdictam a Venetis publicationem *Pallauiciniani* operis in ditione Veneta. Idem iam ab aliis accepi. Quid autem ſibi velint, non ſatis capio: an nempe noua editio; an vero lectio publica a Senatu ſit vetita. Tu me facile rectiora et certiora docueris. Non falſum me coniectura de bello

Turcico nobis exſpectando, docet iam euentus. Vtinam non ſuccumbat oneri Hungaria! Multum ſane vereor. Nec enim antehac vnquam adeo inepte ſeſe geſſit in tanti momenti negotio Viennenſis aula, nec adeo ſomnolenter Germania. Sed tu vale, et ſalue plurimum!

CCCLXX.

Idem *Boineburgio* principium Anti-Walenburchicorum mittit, ſimul aurem vellicans ob donum Regium.

Helmſtad. d. 22. Aug. 1663.

Cum nuperrime hinc Francofurtum et Heidelbergam proficiſceretur commenſalis et domeſticus aliquamdiu meus, Chriſtianus Maneke, tradidi ipſi et literas, et, quod deſiderabas, complementum pædeuticæ farraginis politicæ. Illa omnia quin iam tum recte curata ſint, equidem haud dubito. Sperabam tum, poſſe me breui ſaltem primam partem integram animaduerſionum in *Walenburchios* etiam mittere. Ceterum eam ſpem operarum typographicarum lentitudo impediit. Iam enim abitum molitur ad nundinas bibliopola noſter, et tamen ſuperſunt excudendæ ſi non ſex, ſaltem quin-

quinque plagulæ. Quantumuis igitur merito nihil huius libri mitti abs me ad *Walenburchiorum* ſummum amicum debeat, niſi integro iam opere, perinde atque abs te ante eſt factum; nihilominus tamen, ne deſiderium tuum, quod vehemens eſſe haud ignoro, longiore aliqua mora cruciem, accipe, quæ hactenus prodierunt plagulæ; licet ne tertiam quidem operis partem conficiant. Quid præſtiterim, etiam tu forte iudicaueris. Poteris certe; modo animum partium ſtudio vacuum et veri vnice amantem adtuleris. Ego ſane Deum teſtor et conſcientiam, non poſſe me ſatis mirari, a Reuerendiſſimis Dominis *Walenburchiis*, eorumque aſſeclis, ſaltem illa, quæ de extraordinaria vocatione diſputarunt, probari potuiſſe. Vtinam tibi quoque iterum lux priſtina ſplendeat! Deum ſane etiam atque etiam animæ tuæ ſoſpitandæ cauſſa obſecro. Primam hanc partem ſtatim ſubſequetur altera, in qua ita ſe gerunt *Walenburchii*, vt nihil non in illos poſſit iure optimo retorqueri, et ſimul fundamento ſit innixum, nulli, quod equidem ſciam, hactenus vel ſimile vero viſo. Niſi ſane me haud fugeret, quanta ſit inolitarum opinionum et ſtudii partium in hominum animos vis, crederem

equidem, in neutra ſectione illius libri ſui illos ex animi ſententia diſputaſſe. Sed de hiſce alias. Me nunc quam maxime turbat, quod a viribus Turcarum imminet, periculum Germaniæ, niſi Deus quaſi ex machina interuenerit. Non dubito, te quoque perſpicere illud diſcrimen, in quod nos bonam partem ſocordia Viennenſis, et tyrannis ſacra Ieſuitica coniecit. Quæ nuper ex te accepi de neſcio qua Galliæ Regis in me beneuolentia, illa vt plenius me doceas, denuo te rogo, Vale!

CCCLXXI.

Boineburgius fidem facit doni, *Conringio* a Rege Galliæ ſubmiſſi, et *concapitulaturientium* Ratiſbonæ Legatorum Principum auſus ægre fert.

Crucenaci d. 10. Sept. 1663.

Dum rhedam inſcendere paro, vt Moguntiam reuertar, ecce! tuæ mihi redduntur; ad quas paucis. Liuonum nondum vidi. Vbi venerit, tua cauſſa ipſi omne officii genus paratum fore, ſpondeo. Plagulas reliquas Naudæo-Scioppianas accepi: per otium legam. Neque poſſunt niſi per bonæ eſſe, qualia tua ſunt omnia. Quæ in *Tabo-*

borem dixti, non videntur ſatis animoſa; nedum nimis acria. Fuſtem meretur ille moloſſus. *Walenburchio*, tui amantiſſimo et eruditionis tuæ ſincero æſtimatori, oppoſita vehementer exſpecto, vt et reliqua, quæ polliceris, recuſa, et recens nata ac deſcripta de Imperiis rebuſque publicis. E Gallia munuſculum 300 Imperialium tibi necdum obtigiſſe, demiror. *Lioneus* ſcripſit id, vti autographon adhuc monſtrare poſſum. Rex tantundem miſit *Bœclero*, puta tibi et iſti *, in ho-

 ne-

* Non *Bœclero* ſolum et *Conringio*, ſed etiam in Germania *Reineſio*, in Batauis *Gronouio*, in Italia *Ferrario*, alibi aliis, obtigit annua hæc liberalitas auctore *Colberto*, et *Ioanne Capellano* monitore: cuius rei teſtem habe ſubiectam epiſtolam. Errauit autem Clar. *Burmannus epiſtol. t. 13. p. 524.* ſcribens, *octingentos Imperiales* in ſingula capita fuiſſe tributos. *Nongentæ libræ* erant, quarum tres tum vnum fecerunt Imperialem. Vt adeo nongentæ libræ conficerent ſummam trecentorum Imperialium, a *Boineburgio* expreſſam. Caro autem conſtitit *Conringio* prima huius anni penſio. Cum enim a Theſaurario Regio Hamburgum miſſa fuiſſet iſta pecunia, ab argentario Francico Helmſtadi-

neſtamentum veſtræ doctrinæ et peritiæ, quam merito prædicaui. In Hungaria miſer ſtatus eſt. *Viuarinum* ſe ſtrenue adhuc tamen defendit. Deus porro aderit, ac ſua ope deploratam cetera Imperatoris noſtri rem reſtituet. In Comitiis parum, vti videtur, ſpei ad ſecuritatem Germaniæ conſtituendam. Neſcio enim quid reſiſtant Doctores iſtic quidam, ſupra modum *concapitulaturientes*. Sed hæc inter nos. Profecto nos, quod pacis tabulæ flagitant et definiunt, L M Q Principibus et Statibus omnibus tribuemus. Nulla enim hi iura habent niſi cum Electorali Collegio communia. Huic vero vt ſimul ſua dignitas conſtet inoffen-

dium curanda; homo callidus altum ſiluit, pecuniamque eſſe penes ſe diſſimulauit. Tandem indicio *Capellani* proditus, et a *Conringio* interpellatus, ciui cuidam Academico ſoluiſſe ſe cauſſatus eſt. Qui cum primo non appareret; deinde factum hoc negaret; in ius eundum fuit *Conringio*, qui vix per longum litigium et poſt plurium menſium decurſum ex hoc pumice extorquere potuit, quod ſibi debebatur: ridentibus interea Gallis, quibus vel verbulo compeſcere argentarium facile fuiſſet, ſi rem ſerio agere, quam ludere, maluiſſent.

offenſa, qua *incommunicabiliter*, vt ita loquar, præeminet, fas et par eſt. Tuum iudicium de re ipſa, et conſilium ſuper actionibus, ſecundum rationem cum ſtatus præſentis, tum iuris Germanici publici, rite ineundis, etiam atque etiam imploro et præſtolabor. Caute et cuſtodite omnia aſſeruabo, eaque velut aſtra mea et ſydera ſequar in omni iſtoc negotio ſane arduo. Vtique vnice miror, quare illud non æque poſſit explicari poſt pertractationem communis, quam vocant, ſecuritatis, atque nunc, dum Hannibal ad portas cum acinace. Rex Galliæ, re mediocriter cum Lotharingo compoſita, Lutetiam rediit, ne eſſet offendiculo. Vale!

CCCLXXII.

Lettre de Mr. *Chapelain* à Mr. *Conringius*, où il raconte les principales circonſtances de ſa Vie.

Paris le 17. Juin. 1666.

Pour l'honneur que Vous me faites en mon particulier de ſouhaiter quelque information de mon origine, du detail de ma Vie et de la profeſſion que je fais, quoiqu'on n'ait jamais bonne grace de parler de ſoy même, puiſque Vous l'ordonnez,

je ne Vous y feray point de façon, et Vous en diray ingenuement ce qui en eſt, ſans circuit et en Philoſophe. Ma naiſſance eſt honneſte et il n'y a dans ma famille rien de bas, de pauvre ni de honteux. Il n'y a auſſi rien d'eclatant, qui la tire de la mediocrité, et luy donne un Rang dans le Monde au deſſus de l'ordinaire. Ceux de qui je tiens la Vie, ont auſſi cru en m'elevant me devoir faire chercher la gloire plus par les Lettres, que par ce qui me ſeroit eſtranger. Dans une telle Vuê j'ay eſté inſtitué, et ſi je ne ſuis pas devenu ſçavant, j'ay du moins eſtimé la Science, et me ſuis rendu Amateur et Admirateur de ceux qui la poſſedent. Entre cellesla la Politique eſtant l'une de mes inclinations, il me fut aiſé de m'embarquer jeune dans la Cour, ou ayant donné la fleur de mes années je vins à eſtre connu du Cardinal de Richelieu, *qui jugea aſſez favorablement de moy pour me deſtiner au Secretariat de l'Ambaſſade de Rome, et apres luy de ſon Succeſſeur le non moins illuſtre Cardinal* Mazarin, *qui me nomma de luy même auſſi au Secretariat de celle de la Paix de Munſter. Ma violente paſſion neantmoins pour la Poëſie heroique prevalant ſur l'autre dans mon eſprit, je me defis ſans peine et ſans regret de*

ces

ces honnorables Emplois pour me donner tout entier au ſervice des Muſes, et j'y fus aſſez heureux pour rencontrer un Heros ſi connu en Allemagne ſous le nom de Duc de Longueville, *qui s'intereſſa Royalement dans le deſſein que j'avois pris de traitter ſelon leurs preceptes le Retabliſſement de la France ſous la merveilleuſe conduite de la* Guerriere Pucelle, *dont la premiere partie fut publiée il y a dix ans, et la ſeconde le ſera dans deux ou trois, ſi Dieu prolonge les miens juſqueslà. Sur l'occaſion de l'Employ de Munſter je fus fait Conſeiller d'Eſtat afin d'y pouvoir ſervir avec dignité, et la qualité m'en eſt demeurée; ſi non le merite. J'ay eu le bonheur d'eſtre honnoré de penſions conſiderables par les deux Cardinaux, que j'ay nommés; par la glorieuſe Maiſon de* Longueville; *par Monſ. le Prince de* Conti, *et depuis par le Roy, au delà de mon merite, de mon beſoin et de mon deſir, juſques à m'attirer des jaloux par la proſperité de ma fortune. Mais ce qui m'eſt plus precieux que tout, et dont je fais mon principal ornement, c'eſt le jugement avantageux, que Sa Majeſte et Monſieur* Colbert, *ſon ſage Miniſtre, ont fait de ma ſincerité et de mes petites lumieres pour s'y confier, lorſqu'ils ont pris le noble deſſein d'encourager*

ger

ger par des bienfaits les eſprits à l'amour des Lettres et à leur avancement, et pour me croire incapable de leur rendre des temoignages faux et interreſſés de perſonne, lorſqu'ils me firent l'honneur de me conſulter ſur ceux, qui eſtoient dignes des liberalités Royales. Voilà, Monſieur, ce que je Vous puis dire de moy et de mes affaires, avec Candeur et au plus juſte de l'exacte verité, qu'il ſera pourtant bon qu'on ne ſache point que vous teniez de moy, pour eviter les gloſes ſiniſtres de mes envieux, et de ceux qui ne me connoiſſent pas aſſez. Lors même que Vous crojrez en devoir parler, je Vous conjure que ce ſoit avec grande moderation et ſobrieté, et de contenir pour cela voſtre zele dans d'eſtroites bornes, Vous ſouvenant, qu'il eſt plus ſouhaitable d'eſtre digne de louange, que de l'obtenir. Par la premiere commodité ſeure je Vous feray tenir ce qu'il y a d'imprimé de la Pucelle. *J'y aurois joint la traduction latine, qui en a eſté faite par un de nos meilleures Poëtes, ſi nos avares Libraires ſe portoient auſſi facilement à imprimer les Ouvrages latins, que les François, et ſi la miſere, que nos guerres et nos troubles ont fait tomber ſur les peuples, ne les en excuſoient aucunement. Car quelque mediocre qu'il ſoit, il n'a*

n'a pas laiſſé de trouver parmi nous un Poëte latin eſtimé, qui motu proprio *et ſans me connoitre en a eſté aſſez touché pour s'appliquer à le veſtir à la Romaine, et à me faire apporter du fond du Languedoc ſon travail manuſcript.*

CCCLXXIII.

Fragment d'une Lettre du même écrite le 14. Juillet 1666.

Ce peu, que Vous en avez dit (de mon merite) dans l'Epiſtre, qui eſt à la teſte de l'Ouvrage que Vous me faites l'honneur de m'addreſſer, eſt encore au deſſus de ma portée ſur tout pour cette dignité, que Vous croiez m'attribuer un employ effectif dans l'Eſtat. Car encore que j'en ſois pourvu dans les formes, et que le Titre ne m'en ſoit ni conteſté ni envié; il eſt vray cependant, que je n'en fais point l'exercice, et qu'elle m'eſt bien plus agreable pour l'Ornement que pour l'Action. Ce n'eſt pas auſſi de quoy je me pique, et je ſuis bien plus dans mon naturel parmi les Livres de mon Cabinet, que dans le Conſeil au milieu des Sacs et des Procedures. Au reſte entre les matieres de Science celle, qui regarde la Phyſique, eſt ſi fort de mon gouſt, que ſi

l'on en excepte la Politique, il n'y en a point que je luy compare, et où mon eſprit trouve plus ſa ſatisfaction. Deſorte que puiſque Vous aviez reſolu de me faire un preſent de cette nature, Vous ne pouviez guere mieux choiſir pour me contenter pleinement, que celuy là, ou quelque autre ſemblable.

CCCLXXIV.

Boineburgius, Ratiſbonam iturus, oſtendit, *Capitulationem perpetuam* non niſi in obiecto perpetuo locum poſſe habere, et *Bodini* Arcanorum copiam facit.

Francofurti d. 20. Octobr. 1663.

Eundum mihi iam eſt Ratiſbonam: quod ſignificandum duxi, vt D. *Alexandro* ſcribatur, quo mecum confidenter agat, et æquitatem ſuam moderationemque oſtendat. In hoc miſerrimo Chriſtianæ et Germanicæ rei ſtatu coniunctis viribus animiſque per eſt opus. Adeoque articulum ſecuritatis publicæ, et communium armorum ſub auſpicio Imperii expediundorum, omnino in tuto ponendum eſſe, idque cito, procul dubio mecum iuxta exiſtimas. Amouendus igitur eſt ſcrupulus et obex horribilis, ex *Capitulationis* negotio oriundus.

undus. Circa hoc eiuſmodi ſententias ſuſtinebimus nos, quæ et Electorum et Principum rationibus ſint conformes, et Auream Bullam et Inſtrumentum Pacis pro regula habeant. Fiat Capitulatio *perpetua* in obiecto *perpetuo*, puta, vt *conſtitutionum* Imperii et iurium, quæ Statibus cum Electorali Collegio ſunt communia, *perpetua ſit obſeruatio*, Capitulationibuſque futuris nihil indatur, quod his non ſit conſentaneum, valeatque *Receſſus*, qui iam efformatur, inſtar normæ. Vt autem Principes *concapitulandi* quoddam ius acquirant, ſicque Electoribus eminentia et prærogatiua ſua dematur, ſane id fiet nunquam. Oro proinde per omnia ſacra, moderata ſuadeas, et caueas, ne ex hoc ligitio magna mala eueniant. Vale! Bodini Arcana laborabo vt pro te deſcribantur. Spero enim eorum mihi copiam fore propediem *. Scribe, ſodes, crebro.

CCCXXV.

* Nactus eſt tandem *Conringius*, ſed ſub ſigillo fidei, nefaſti libri copiam, quod violare poſt fata *Boineburgii* veritus non eſt, teſte, quam ſubiicimus, epiſtola ad *Capellanum*, qui de *Bodino* haud protrita reſpondet. *Conringii* exemplum huius libri, quod poſt obitum eius intra mœnia Helmſtadienſia permanſerat, ante

CCCLXXV.

Conringius **de** ***Bodini*** **arcanis** ***Io. Capellano*** **ſuum aperit iudicium.**

Helmſtad. d. 24. April. 1673.

Liber BODINI MSS de arcanis rerum diuinarum, quamuis inuentu rariſſimus, in meam quoque bibliothecam peruenit: eoque nonnihil de illo memorani cum in præfatione, tum in cenſura librorum politicorum *Bodini*, huius libelli editioni præmiſſis. Inter epiſtolas *Grotii* ad Gallos quinquageſima octaua poſt centeſimam, ſcripta ad *Ioannem Cordeſium* *, Canonicum Lemouicenſem, recte tecum mecumque de libro illo iudicat. Infra

re hos viginti annos non nemo Doctorum typis vulgare inſtituerat. Sed fata interceſſere propoſito neſcio quam ſancto.

* Ad hunc *Bodini* autographum peruenerat, qui cauere non potuit, quo minus amicorum vnus et alter librum ad legendum datum furtim deſcriberet. Fama ferente, in ſcriniis Præſidis *Memmii* cum latere, Regina CHRISTINA, vt eius compos fieret, omnem defuncti ſupellectilem MSS coëmi iuſſerat. Sed nuſpiam inuentus eſt. Patent hæc ex epiſtolis *Sarrauii 256. 258. 260. 264. 271.* qui ſolum operis librum primum Reginæ mittere potuit.

ſra laudem certe eſt eam, qua nonnulli Athei ſcriptum proſequuntur. Ego religionem Chriſtianam, quatenus illa ſacris libris continetur, non minus firma arbitror demonſtratione oſtendi poſſe, quam eſt vlla mathematicarum. Sententiam meam apertius propoſui *pag. 393. 394. et 395.* operis mei epiſtolici. Quin et ſingulari libello pugnare eiuſmodi demonſtrationibus pro veritate Religionis Chriſtianæ aduerſus omnes ſegreges, adeoque et Iudæos, pridem paratus fui: iamque feciſſem, niſi negotia impediuiſſent. *Bodino* cauillationes Iudaicas fuiſſe haud ignotas, recte iudicas; aſſentior autem *Grotio*, non deberi illas lectioni librorum Iudaicorum, ſed familiari cum nonnullis Rabbinis conuerſationi; quanquam in Gallia illi non niſi clam ſoleant commorari. Opus *Bodini de Republica* longo interuallo hunc *de Arcanis* librum ſuperat: ideoque *Albergati* conatus pleroſque ſecure ſpernit. Forte tamen neque tu meam, quam de illo tuli, ſententiam improbabis. *Bœcleri* obitum etiam nunc lugeo: non minus atque *Gronouii*, *Bocharti*, et *Tanaquilli Fabri* etc.

CCCLXXVI.

Reponſe de Mr. *Chapelain* touchant la perſonne et les Ecrits de Mr. *Bodin.*

A Paris ce 1. Juillet 1673.

Je n'euſſe pas cru, que hors de Paris il y eut encore un Exemplaire de l'Eptaplomeres *de* Bodin. *Mais puiſque Vous l'avez entre Vos MSS Vous le pouvez regarder comme un treſor du moins en rareté. Il fit d'abord ſa* Republique *en langue vulgaire. Depuis il l'a traduit en langue latine plus correcte, et augmentée d'un Livre, qui ne fait point tort aux autres. Pour ſa Religion il eſtoit certainement Juif en l'ame. Car en France on n'en ſouffre point la publique profeſſion, comme on fait en tant de lieux. Sa Mere luy en avoit inſpiré la creance, eſtant de ces Juifues cachées, que leurs biens retiennent dans les Provinces, et qui s'y habituent pour ſuivre leurs Maris Etrangers, principalement Marchands Portugais, qui s'y viennent eſtablir. On en connoit particulierement à Rouen pluſieurs, qui, pourvu qu'ils paroiſſent Chretiens et ſans ſcandale, ne ſont point inquietés par les Magiſtrats, dans la Veue de ne pas affoiblir le Commerce de la Ville. Le genie et la*

vaſte

vaſte erudition de Bodin l'on fait opiniatrer ſon Judaiſme juſqu'à la mort, et on trouva ſeulement apres luy ce Dialogue, qui le convaincq. J'ay vu encore de luy un Theatrum Naturæ, *qui n'eſt pas mepriſable. Nos quatre Amis, dont vous pleurez la perte avec moy, m'avertiſſent, qu'il faudra bientôt faire le même Voyage* ad plures, *et quand Dieu aura fait ſonner le Depart, je ne vivray plus ici bas que dans votre ſouvenir, et dans celuy de quelques autres Amis illuſtres, tels que Vous, à qui je ſouhaite une longue ſuite d'heureuſes années, aſſuré, que Vous ne laiſſerez pas mourir la memoire au moins en voſtre Cœur de celuy, qui a vecu et qui mourra*

Votre treshumble etc.

CCCLXXVII.

Conringii vltima ad *Capellanum* epiſtola.

Helmſtad. d. 10. Aug. 1673.

Quæ de *Bodino* narras, numquam hactenus ita plene intellexeram. A Chriſtianis illum ſacris fuiſſe alienum, pridem fui quidem ſuſpicatus; credidi autem hominem nulli religionum, quæ vulgi ſunt in pretio, fuiſſe addictum, ſed coluiſſe tan-

dem cum malis geniis familiarius aliquod commercium. Iudæorum clandeſtinas reliquias ſupereſſe in Galliis, per etiam mihi ſit veroſimile ex iis, quæ narrantur de Iudæis illis, qui pulſi Hiſpania a FERDINANDO Rege in Narbonenſem Prouinciam ſeſe receperunt: horum enim pars fertur Chriſtianis acceſſiſſe. Eius Naturæ theatrum, quod paulo ante obitum edidit, pridem mihi lectum fuit, et quantiuis pretii æſtimatum. De cetero tantorum virorum mors etiam ſortis communis nos merito commonefacit *. Quicquid vero tandem de me ſummus vitæ arbiter ſtatuerit, ego ad ſupremum vſque halitum ero tuus etc.

CCCLXXVIII.

Conringius metu Turcorum ita trepidat, vt non niſi a Gallo, cui Imperium Europæ ominatur, auxilia ſperet; *Furſtenbergii* tamen literis recreatus, coronarium opus ſuum prælo rurſum ſubiicit,

* Obiit *Ioannes Capellanus* anno mox ſequenti, die 21. Februarii: quem diem oſtendit monumentum Heinſianum apud *Burmannum epiſtol. t. 4. p. 328.* *Nicolaus* enim *Heinſius*, licet liberalitate Regia vti prohiberetur, eius parario tamen monumentum poſuit ære perennius, ſimulatque obitum accepiſſet.

cit, et filiæ natu maximæ nuptias facit, adiecto ſcommate in Papam.

Helmſtad. d. 13. Ian. 1664.

Ante omnia Deum obſecro, vti non hunc duntaxat, ſed multos etiam ſecuturos annos proſperos feliceſque tibi eſſe iubeat: idque cum in priuatos tuos vſus tuorumque, tum in Reipublicæ commoda. Et vero, ſaluo te, eoque Eminentiſſimo Principe, cui es a conſiliis, fortaſſe licebit ſperare meliora adhuc non nihil: qui ceteroquin parum abeſt quin vltima Imperio noſtro imminere augurer. Et interna ſane mala et externum diſcrimen egent cum prudentia, tum autoritate non *Porciorum**, ſed *Catonum:* quæ inter nomina nimis, proh dolor! hodie magna eſt differentia. Equidem interna diſſidia non dubito Eminentiſſimi Domini tui prudentia, æquitate et moderatione ita iri compoſitum, vt, remoto Oligarchiæ metu, Reſpublica more maiorum ſtet integra; quo ipſo æternum ſibi ille nomen comparabit, et optime de republica merebitur. Vtinam

Bbbb 3 per-

* Quid ſibi hocce ſcomma velit, latere neminem poteſt eorum, qui aulam Cæſaris *Leopoldi* nouerunt. Videſis *p. 423.* et *976.*

perinde in ipſius ſit manu, auertere a Republica ſuperbientem illum præ vitiis et ſocordia noſtrorum, atque ferociſſimum hoſtem, Turcam! Nunquam ille vſque adeo magno cum diſcrimine rerum noſtrarum eaque potentia Germaniæ illa exigua antemuralia Hungarica aggreſſus eſt, aut ipſimet Germaniæ adeo fuit in propinquo. Ex aduerſo res Auſtriacæ nunquam fuere adeo anguſtæ; non certe a temporibus *Maximiliani I.* quo imperante, Turca cœpit nobis eſſe vicinior. Nec forte et reliquorum Imperii Ordinum vires vnquam ita, vt nunc, fuerunt acciſæ, ſiue per diuturni illius belli ciuilis perpetua damna, ſiue per luxum et luxuriam dominantium. Num itaque exiſtimes, ſine externis validis auxiliis, illo ſtatu rerum noſtrarum, poſſe rempublicam eſſe ſaluam, ſaltem proxima æſtate? Ego, fateor, deſpondi iam animum. Vnde vero et illa valida auxilia, hoc eſt, Turcicæ potentiæ paria, exſpectanda ſunt? Hiſpanus vix ſibi ſufficit. Pontifex vix ſuos *Chiſios* tueri idoneus eſt. Veneti nihil poſſunt; nihil Polonus; nihil Danus; Suecus parum: Angli et Bataui claſſe valent; pedeſtri militia perparum. Vnus LVDOVICVS poſſit; ſi et ille velit, et nos haud nolimus, quod ille vult. Quam vereor, vt co-

ga-

gamur tandem idem cum illo velle! Fiet hoc cum inſigni Reipublicæ mutatione. Ita eſt. Sed quid, ſi ex duobus malis hoc ſit minimum, eoque amplectendum? Quanta omnium rerum per Germaniam, Galliam, Hiſpaniam, Pannoniam, Italiam continget mutatio, cum omnibus illis vnus imponetur cœleſti fauore MAGNVS CAROLVS! Dura, aſpera, aduerſa tam multa paſſa eſt vniuerſa Europa; magno tamen ſuo bono, vt ſequens rerum euentus docuit. Modo non infeliciora noſtra fuerint tempora; fortaſſa iure poſſimus gaudere. Sæpe opto propius tecum de hoc argumento philoſophari, idque maiore libertate, quam calamo permitti indulgerique ſolet **. Si verbo tamen etiam per literas innueris animi ſenſa; fuerit ſane hoc mihi inter arcana ſapientiæ meditamenta. Vt de me etiam aliquid addam, non poſſum non tibi prædicare, quæ mihi inſperato contigit felicitas. Illa eſt, quod cis paucas hebdomades et literis

** Quæ *Boineburgio* porro aperire non auſus eſt; ea Legato Gallico deinceps per literas tanto impetu affudit, vt hic eum per alias literas vix reprimere poſſet. At hæc poſt fata Sereniſſimi Ducis AVGVSTI demum, partimque *Boineburgii*, euenerunt.

teris humaniſſimis, et libro poëmatum miſſo, ſit dignatus me, nihil tale exſpectantem, *Eminentiſſimus Princeps Paderbornenſis.* Memineris indubie, quanti illum fecerim, literis illius inſpectis, quarum me etiam reddidiſti participem. Videram tum etiam eiuſdem vnam alteramque elegantiſſimam elegiam, a *Nibuſio* editam. Liber vero tot et tam præclara multa mihi exhibuit, vt non dubitem, illum feliciſſimis ſeculi noſtri Poëtis æquare. Principem Epiſcopum, ea melioris literaturæ, et Poëticæ cumprimis artis peritia, Germania noſtra numquam hactenus habuit. Reſpondi ego ſtatim prolixe ſatis eruditiſſimo Principi; ſed cum nondum certus ſim, vtrum adhuc degat in diœceſi ſua, an iam tum Reginoburgum ſit profectus, dubito, num meæ literæ iam tum recte curatæ ſint. Cum tibi magna ſit cum illo Principe neceſſitudo, quæſo, effice, vt tua commendatione illi ſolito ſiam acceptior. Enim vero non in leui felicitatis parte colloco, tam docto Principi placuiſſe. Typographus noſter iam recudit mea de Moguntino coronationis iure opuſcula, quoniam dudum hic deſiderata ſunt. Laudabo ad lectorem Eminentiſſimi Domini tui æquitatem et prudentiam, quod maluerit nonnihil de

iure

iure decedere, quam pati, vt illo diſſidio aliquid detrimenti caperet reſpublica. Meretur certe hoc etiam nomine ad poſteritatem laudari prudentiſſimus Princeps. Addam nonnulla: quædam et emendatiora dabo. Hiſce abſolutis, alia ordine aggredietur typographus, ſi quidem Deus otium et vires conceſſerit. Eſt enim aliquid temporis etiam nuptiis filiæ impendendum, quam deſpondi Collegæ meo, *Iohannis Sauberti*, Theologi quondam Norimbergenſis, filio, Orientalium literarum in *Hottingeri* æmulationem iam tum, quamuis iuuenis, peritiſſimo. Et domeſticæ aliæ occupationes haud parum temporis ſibi poſcunt. Sed quid te hiſce meis moror? Vtique enim non poteſt me fugere, quanta tibi incumbat negotiorum omnis generis moles. Itaque Deum duntaxat precabor, vt tibi ſuo Spiritu velit adeſſe, quo ſalutaria Eccleſiæ et Reipublicæ conſilia feliciter poſſis ſuggerere. Quid, amabo, ſpei de Codice Viennenſi Cæſareo *Ioſephi?* Saluta vero etiam, niſi graue fuerit, meo nomine optimi et vere AVGVSTI mei Principis *Alexandrum*. Scribam ipſi, ſimul Wolffenbuttelum rediero, eique precabor *Alexandrina* plurima; ſed Græci illius potius et *Magni*, quam veſtri *Septimi*, qui *Fabius* manens,

nens, rectius forte et ſibi et Italiæ conſuluiſſet; quamuis non ſuis *Chiſiis*.

CCCLXXIX.

Boineburgius, incuſata negotiorum Comitialium difficultate, ſolatur *Conringium*, ad *Furſtenbergium* mandata relaturus, et filiæ nuptias et coronarii operis iterationem gratulatur.

Ratiſbonæ d. 18. Febr. 1664.

Tuæ *d. 13. Ianuar. ſt. v.* datæ multum me recrearunt. Verum eſt, quod dicis, noſtratium luxu diſſolui et diffluere compagem Imperii tandem. Si hic eſſes, mirareris hominum incredibilem rabiem ac intemperiem. Sed hoc linquamus Nemeſi. Dolendum tamen eſt, vſque adeo inſultare nobis quoſdam, erga quos cetera bene affecti ſumus, ſub ſpecie timoris, neſcio cuius, Oligarchici, quem æquitate præſentanea et prolixa depellimus vbique.* Ipſis formulis quoque curialibus, antiquitus vſitatis, neminiſque iuri nocituris, crucem et quidem cum vilipendio figunt obſtreperi et imprudentes nouarum rerum ad ſeditionem vſque cocionatores; peſſumdare nati facti, quicquid boni factum fierique cœptum eſt.

Qui

Qui enim ſerio reconcinnare diſtorta quæritant, non perinde ſunt acres et acerbi, prout quidam pulueruleuti *Orbilii* in his Comitiis apparent. Turcicus furor vix par eſt his turbarum domi noſtræ incentoribus, cui forte non difficilius obſiſti, quam hiſce, poterit. Faciemus, quantum in nobis eſt, Deum precati, vt *peræquatores* noſtros æquis ſenſibus inſtruat, patriæ, tempori, neceſſitati accommodis magis; quo per animorum vnionem Turcæ aliquam vim obdere valeamus. Neque deſpondendus tam facile animus. Hiſpani forſan cum Luſitanis inducias; Galli cum Papa pacem habent. Venetis ſic redibit in præcordia virtus. Poloni non ita procul abſunt a noſtri defenſione; imo ſui. Dani aliquid; Suedi plus ſolito facient. Angli et Batavi præſto erunt modis, qui ſufficiant. Gallos præclaram fœderi acceſſionem, adeoque et aduerſus Turcam auxiliis, moliri, indubie acceperis. Si ita iudicandum de iis, deque noſtri æui inclinationibus et fatis eſt, prout apparet e nonnullis circumſtantiis, rem acu tangit, qui Karulinæ ætati noſtram aptare volet. Epiſcopus Paderbornenſis hic eſt. Si quid eum velis, me curante, ne dubita id futurum certo. Coronarium ſcriptum tuum cum præfamine auide exſpectabo, ſi-

ſimulque Deum oro, vt filiæ tuæ elocationem, ac omnia tua fortunet vel ſupra votum. Cum etiam non poſſim vacare vberiori ſcriptioni, adiungo epiſtolas duas *, quibus forte non indelectaberis. Eas vt remittas, oro. Vale, meque ama, et ſcribe frequenter. Tum enim et ego ero fuſior. De veſtris exercitamentis academicis opperiar, ſi qua me nanciſci volueris, tuo miſſu. AVGVSTO Auguſtiſſimo me commenda, quæſo, cuius canitiei proſperimam valetudinem, et diuturnam adhuc mortalis huius lucis vſuram precor, vt viuo patriæque amantiſſimo pietatis exemplo ſeneſcentis mundi reliquiæ iuuentur. Reliqua tua in *Wallenburchium* cupide præſtolabimur. Quæ ex Gallia, Italia, et aliunde de literis noua comperero, ea te celatum iri, neu credas velim. Indiculum librorum, quos mihi Rex Chriſtianiſſimus mittit, en! mitto.

CCCLXXX.

* Quænam illæ ſint, neſcio quidem; alteram tamen *Chriſtophori Forſtneri* eſſe puto, quam, quia de filiis eius agit, honoris cauſſa, quo Perilluſtrem familiam proſequor, adiicio.

CCCLXXX.

Boineburgio epiſtolarum ſuarum ineditarum copiam promittit, ſimulque filios commendat *Chriſtophorus Forſtnerus.*

Ex meo Dambenoyano d. 1. Aug. 1663.

Illuſtriſſime Domine.

Tametſi quocum fato conflictatæ fuerint epiſtolæ meæ, me inuito ante aliquot annos publicatæ, minime ignores; quia tamen ita te velle video, vt aut in publicum edam reliquas, aut priuatim tibi inſpiciendas committam, quamprimum otii pauxillum nactus fuero, colligam hinc inde diſiectas, et reuoluam, vt aut partem illarum, quæ ſine meo periculo lucem videre poterunt, ſtatim ad typographum mittam, aut omnes deſcribi curem, ad te, vt primum fieri poterit, perferendas.

Abiit ante octiduum a me *filiorum* meorum *minimus*, cum Comite *Erbachio* Hollandiam viſurus, quem iuſſi in tranſitu te, Illuſtriſſime Domine, accedere, meoque nomine reuerenter ſalutare. Is, poſtquam Deo Optimo Maximo ita iubente *primogenitus* nuper obiit, eundem, quem ille egoque, ſtudiorum amorem profeſſus, præcipu-

um

um ſenectutis meæ ſolatium eſt. Nam *ſecundus* apud Principem meum cubicularii Nobilis (Cammer-Iuncker) honore fruitur. *Tertius* non omnino eruditionis expers, aperto et alacri ingenio, atque probis moribus, maximam curarum mearum domeſticarum partem occupat. Summo ipſi odio otium eſt; neque tamen, quo opere ſe exerceat, habet. Si tua, Illuſtriſſime Domine, commendatione inter Nobiles Aulicos apud Eminentiſſimum Electorem locus ipſi contingeret: nam et alios Auguſtanæ Confeſſioni addictos ibi eſſe intelligo: eſſet illud mihi illique incomparabile beneficium. Vale, Illuſtriſſime Domine. E meo Dambenoyano Cal. Aug. 1663.

Tuus, Illuſtriſſime Domine, omni cultu, obſequio, reuerentia,

Forſtner.

Ruſticatio iſta mihi perlegendi libros, a Dno *Conringio* miſſos, occaſionem ſuppeditat, cui proxime ad literas eius reſpondebo.

Inſcriptio literarum:

Dem Hochwohlgebornen Herrn, *Herrn* Iohann Chriſtian *von* Boineburg, *Freyherrn*, *Chur-Mayntziſchen Geheimen-Rath vnd Obriſten Hof-Marſchalln. Meinem groſsgünſtigen Herrn, Maynz.*

CCCXXXI.

CCCLXXXI.

Conringius Legum obſeruantiam et bellum Turcicum commendat, cetera in literariis ſuis obhæreſcens.

Helmſtad. d. 23. Febr. 1664.

Animum tuum cupidum pariter publici boni, et ſtudioſum omnigenæ doctrinæ promouendæ, vt ſine exemplo fere eſt, ita non poſſum non amplecti ſemper et laudare. Ceterum nec dum componi ex voto interna diſſidia, plurimum doleo. Nec tamen deſpero; modo omnibus ſerius fuerit animus, obſequi legibus, quas omnium denique conſenſu pax dictauit poſt ferale illud et diuturnum Germaniæ bellum. Hæ ſane demum ſunt Palladium Germanicæ tranquillitatis. Nec video, qui ſalua erga Deum conſcientia ab illis poſſit quis diſcedere, aut qui ſalua pace publica illæ patiantur diuortium? Enim vero ego ita ſentio, et in Deum, et in patriam grauiſſime peccare, ſibique diuinam iuſtamque indignationem, patriæ vero ſummum detrimentum arceſſere, qui vel cuniculis Palladium illud Imperii ſubuertere moliuntur Neque vero non tibi etiam eſt cognitiſſimum, legum obſeruantiam animam eſſe omnis Reipubli-

cæ.

cæ. Quin igitur Deum obſecro, vti omnibus largiatur animum ſerio publici boni amore flagrantem! Inferioris Vngariæ res fortibus conſiliis refloreſcere, lætis ſane auribus accipimus. Vtinam vero et ſuperior Ciſdanubiana non perinde laboraret ſocordia Ducum! Germaniæ vtique noſtræ hinc maxime imminet periculum. De ſuppetiis etiam exterorum quæ audimus, metuo, ne iuſto tardius adueniant. Et vero in belli negotiis cumprimis valet monarchiæ vis, quæ forma regiminis Turcas merito formidabiles nobis reddit. Non deſpero equidem; multum me tamen rebus noſtris metuere, haud poſſum diſſimulare. Paderbornenſi Epiſcopo mea epiſtola iam tum, niſi fallor, curata eſt. Rem vero gratiſſimam feceris, ſi per occaſionem tam docto et humano Principi me de meliore nota commendaueris. Votum pro ſalute AVGVSTI noſtri arguit pietatem tuam pariter et prudentiam. In illius ſane Principis longiore hac vita multum commodi publici eſt collocatum. Mitto Neſtoris illius imaginem, nuperrime hic ære expreſſam, cum meis aliquot verſiculis *.

Ma-

---

* Verſiculos illos æternitati aſſeruant Muſæ Conringianæ *Oper. t.6. p. 646.*

Maximas vero gratias ago pro voto, quo filiæ nuptias es proſequutus. Faxit Deus, vti et tibi liceat breui componere res Liberorum tuorum: quæ cura parentes ſolet angere. Quæ legenda miſiſti, reddo. Per vero illa mihi placuerunt. *Biörneklauium* ſollicitum eſſe de fœdere ſeruando, equidem gaudeo. Abſque illo ſane fuiſſet, infinitis malis iam tum reſpublica laboraret, ſic ſatis alias ægra. Galli illius ſtudium in prænotionibus Iuris Canonici tradendis plurimum me delectauit. Ignotus mihi quidem ille eſt; vel ipſum tamen hoc breuiarium magnam viri eruditionem mihi pollicetur. Non video, quid huius argumenti poſſit deſiderari, illis omnibus probe expeditis. Nec vero eſt, quod exſpectem ab illo politicam iuris illius pontificii cenſuram, qua ſcilicet oſtendatur arcana monarchiæ ſacræ conſtituendæ per leges illas verſutia. Raro enim huc uſque exſurgunt philologica Gallorum ingenia, et, ſi nouerint, dicere non audebunt. *Boſii* noſtri circa *Ioſephum* curam, vereor, vt ſperatus ſucceſſus excipiat. Iuuandus tamen eſt et amandus, Deo commiſſo euentu. Vir eſt doctus pariter et plurimum induſtrius. *Coronarii* mei libelli nondum integre prodierunt in lucem. Pergam tamen ſtrenue, et in

his, et in aliis. Forte enim dabo aliquid etiam de republica Turcica. Lampadiana lentius vt procedant, faciunt diſſidia ciuilia. Malim enim de impeditis et vexatis illis quæſtionibus nihil dicere, quam fomentum litibus addere. Et tamen, ſi pergam mea illa edere, non licebit ſilentio illa tegere. Vale!

CCCLXXXII.

Idem *Boineburgio* commendat non neminem, et *Henrici Ernſtii* librorum catalogum mittit.

Helmſtad. d. 10. Mart. 1664.

Ne ſim occupatiſſimo reipublicæ negotiis moleſtus, tantum vnum hoc rogo, vti digneris eum, qui haſce adfert, alloquio. Eſt ille Profeſſoris Regii Haſnienſis, Viri Clariſſimi, *Simonis Pauli*, filius, ipſe iam tum Profeſſor in patria Academia Anatomes conſtitutus, vir eximia in arte medica doctrina, amator vero omnis bonæ literaturæ et eius fautorum, adeoque et tui Illuſtriſſimi nominis cultor. Petiit eius cauſſa et *Henricus Ernſtius*, ICtus ac conſiliarius Regius Danicus, per me fieri huic aliquem te ſalutandi locum. Non dubito itaque, huius aduentum haud fore tibi ingratum.

Addo

Addo vero et catalogum librorum *Henrici Ernſtii* illius, mihi hac ipſa vice tranſmiſſum, idque in id, quandoquidem intellexerit abs te illum deſiderari. Poteris exinde viri plane optimi varia ſtudia et multiplicem doctrinam exiſtimare. Vale vero, Excellentiſſime Domine, ac bonis conſiliis nutantem rempublicam perge fulcire!

CCCLXXXIII.

Idem *Boineburgio* donum librarium e Gallia gratulatur, *Lambecio* haud credulus, de deſtinatis ſuis literariis agit.

Helmſtad. d. 14. Mart. 1664.

Vix tranſmiſeram nuperas meas, cum deprehendi errorem, quo imaginem Optimi Neſtoris noſtri mittere neglexeram. Nunc itaque illam accipe, qualis fuit anno ætatis octuageſimo quinto. Hunc vero iam propediem excipiet octuageſimus ſextus, nihilo mutatis animi et corporis viribus. Indiculus librorum, ex bibliographeio regio donatorum *, ſignificat, quanti æſtimeris iſthac

* Ex hac circumſcriptione patet, Scriptores hiſtoriæ Byzantinæ potiſſimum comprehendiſſe indiculum illum, quos ſumtu Regio editos

hac in aula. Quod quoniam coniunctum eſt cum bono reipublicæ, precor, vti ſit perpetuum. *Lambecii* conatum laudo; vereor autem, vti hac tempeſtate reapſe id præſtare poſſit: nec enim Palladi cum Marte bene conuenit. Non dubito, bibliothecam illam Cæſaream dignam eſſe maieſtate ſui Domini. Mirum vero ſi manuſcriptorum illa ibi vis ſit, quam *Lambecius* laudauit. Vidi enim in

---

tos paſſim dono datos, vel aliis libris bibliothecæ Regiæ inferendis mutatos deprehendo. Vid. *hiſtoria bibliothecæ Auguſtæ p.*174. et 219. Sic procedente tempore videbimus huiuſmodi indiculum librorum, quibus cura *Leibnitii* redemtus, et Regiæ bibliothecæ illatus fuit *Abulfeda Schikardianus*. Sed quid hariolationibus opus eſt, cum ipſe *Boineburgius p.* 189. ſcribat ad *Dietericum* :, *Opus hiſtoriæ Byzantinæ viginti trium voluminum in folio vegrandi e typographeia ſua Regia Rex Chriſtianiſſimus mihi ante* biennium *dono miſit, vnacum aliis codicibus, magnifice et ibidem impreſſis et colligatis.* Epiſtolæ annum 1655. falſo adſcriptum eſſe non ſolum ex hac noſtra patet, ſed etiam ex eo, quod in illa laudentur ſcripta anno 1663 et 1664 excuſa. De illo Dietericianarum editore dicere poſſem haud protrita. Sed contineo me.

in bibliotheca Auguſta catalogum manuſcriptorum Græcorum Latinorumque, inſignem illum quidem et diuitem; infra tamen Lambecianas laudes. Sed fortaſſis exſpectare Lambecianum illud opus præſtat, quam quidquam de re incerta definire. Mitto exemplum duorum primorum opuſculorum meorum de iure coronandi Moguntino. Tertium hac ipſa hebdomade abſoluetur. Inde ad alia aggredietur typographus. Animus vero eſt ſimul edere in vnum collectos meliores quosque libellos de bello contra Turcas prudenter gerendo, initio facto a libello *Lazari Soranzii*, tanquam, me indice, omnium optimo: alio item volumine de ipſa republica Turcarum. Vtrique mea nonnulla additurus ſum. Quæſo, indica, quos in vtroque argumento tu maximi facias. *Paraenecticos* ſiue ſuaſorios libros non moror, quales ſcilicet collegit *Reuſnerus*. Principi Paderbornenſi, Epiſcoporum Germaniæ, niſi fallor, omnium doctiſſimo, finitis Comitiis domum reuerſo, mittam libros meos, qui quidem haberi poterunt. Interea rogo, pergas in tanti Principis fauore mihi conſeruando. De publicis itidem ego proxime. Nunc enim, Deum teſtor, non vacat vel animum iis intendere. *Montaltii* et *Wend-*

rockii opus, curante noſtro *Rachelio*, iam in lucem prodiit, præfixa mea quadam epiſtola, quæ forte haud diſplicebit. Vale!

CCCLXXXIV.

Boineburgius, quouſque Capitulationis perpetuæ negotium in Comitiis proceſſerit, ſignificat, et, Legato Guelpherbytano vt mollia mandata ſubmittantur, *Conringium* obteſtatur.

Ratiſbonæ d. 27. Mart. 1664.

Iam in Collegio Electorali multo labore res eo prouecta eſt, vt Capitulationis negotium cis paucos dies, ſicuti ſpero, expediri queat, poſtque tradi Principibus. Cum vero formulam totam tam conſentanee conceptam nouerim, vt vix quicquam moneri contra videatur poſſe, et in hoc puncto maximam ſui partem patriæ incolumitas, et concordia ciuium, capitiſque honos, atque Imperii vniuerſi ſtatus, conſiſtat; omnino confidimus, fore, vt breues et rectos, neque difficiles hæc res ſit habitura explicatus. Ea re tamen neceſſum duxi, te exorare, vt D. D. *Alexandro* talia mandata ſubmittantur et admaturentur, quo et ipſe, prout ſolet, moderatis rationibus et prom-

prompte elaboret in hac materie explicanda, ne diu alterari oporteat ſuper re, quam aliter obtinere nequimus, quam prout nunc ſummo labore et ægre adhuc poni quita eſt. Obſecro, naua patriæ hanc operam, et Auguſtiſſimum Principem Optimumque AVGVSTVM ora et vrge, vt ſuæ auctoritatis potentia opus iſtoc ad felicem et citum exitum perduci procuret. Valete!

CCCLXXXV.

Ratiſbona reuocato *Boineburgio* mittit *Conringius* de coronatione recuſos libellos omnes, et initium Lampadianorum, Turcica *Roberto Grauello* conſecraturus, aliaque non vulgaria editurus.

Helmſtad. d. 9. Iul. 1664.

Solito diutius ſilui, cum quod longa abſentia a rebus meis etiam amicorum iuſtam curam haud admiſerit; tum quod tuus Ratiſbona diſceſſus incertum me reddiderit de mittendis literis *, dum fallunt nos plerumque etiam nuntii ordinarii, niſi ſpes ingens quæſtus eos retineat in officio. Haſce ergo trado noſtri bibliopolæ ſocio, et quondam

 no-

* Neque has forte miſiſſet, ſi *Boineburgium*, Ratiſbona reuerſum, in cuſtodiam traditum ſciuiſſet.

noſtro ciui, cui fide facta tuto poſſum credere. Quod ſi reſponſa tua placuerit *Alexandro* noſtro mittere; ſerius quidem ſolito, tutó tamen, niſi fallor, poterit inter nos literarium commercium redintegrari. Accipe vero hac occaſione primum in tuos vſus libellum de coronatione vltimum, qui inter tres ſolus tibi adhuc deeſt, et deinde tres illius argumenti compactos, Eminentiſſimo Electori offerendos, ſi ita tibi placuerit quidem. Nec enim ego audeo definire, conſultum, nec ne, fuerit. Illa vt recuderem, impulit me multorum flagitatio pariter et ſtudium veritatis. Eoque ſpero, nec tibi improbatum iri meam hanc operam; tametſi negotium dudum ſit probe compoſitum. Accipe porro et primas decem plagulas annotatorum meorum ad *Lampadium*, ſaltem tanquam in ſpecimen. Cura illorum conſcribendorum pariter edendorumque nunc ſeria me occupat, quandocunque eſt vacuum. Tu vero, quæſo, ſignifica, pergerene ita debeam, an aliam viam ingredi. Ex tuo ſane conſilio agam omnia. Ad partem ſecundam paragraphi IX et X coactus fui prolixius nonnihil diſputare contra *Schoockium* pro *Lege Regia;* ex mea tamen magis, quam hactenus recepta, ſententia. Non potui virum aggredi ſine doctrinæ

præ-

præconio: quam laudem ipſi a *Gronouio* denegari, nimis ſapit grammaticum faſtum. Enim vero ego non dubito illum omnibus Fœderatæ Germaniæ inferioris eruditis, quorum tamen laudi abſit vt quidquam detraham, longe anteferre, variæ doctrinæ nomine, et ſic ſatis accuratæ; etſi omnia eius neutiquum approbem, nec ille meis omnibus applaudat. Paro porro nouam editionem, et quidem multo locupletiorem, libri *de origine iuris Germanici.* Iamque tum prodierunt in lucem plagulæ quindecim. Hunc librum forte dabunt proximæ nundinæ: nec enim eſt, cur per partes mittam. Adhoc edi curo ſelectiorum conſiliorum de bello prudenter contra Turcas gerendo volumen. Quin properat illud iam ad finem, excedens magnitudine duplicem alphabeti ordinem. Inſcribere illud animus eſt *Roberto Grauello*, Chriſtianiſſimi Regis Legato **; niſi tamen tu diſſuaſeris. In præfatione auctor ero Chriſtianiſſimo Regi expeditionis claſſicæ et maritimæ contra Turcas ſuſcipiendæ. Enimuero in reliquis armis noſtris parum puto præſidii eſſe collocatum Chriſtiano orbi; in

Cccc 5 nau-

** Præter dedicationem libro præfixam priuatim ad *Grauellum* ſcripſit, quam ſubiicio, epiſtolam.

nauticis vero plurimum, quoniam Turca nulla parte valet minus. Vtinam poſſim hoc perſuadere! Quæſo vero, iuues me, ſi non auxilio, ſaltem conſilio in re tanta, et ſimul titulum *Grauelli*, aut ſi cui alii malis dedicatum illud volumen, communices. Indubie doles mecum, infeliciter adeo arma noſtra in Hungaria procedere. Quid vero non adhuc vel æſtate hac nobis eſt metuendum in illa belli Ducum et multitudine et diſcordia? Me iſthæc cura nimis frequenter inſomnem reddit, ita vt ab animi ægritudine morbum corpori metuam. Faxit Deus, vt vanus ſim vates! Non audeo equidem felicia nobis polliceri. Dedi porro excudendum *Scipionis*, *Claramontii* ſubtiliſſimæ doctrinæ opus de coniectandis latentibus hominum moribus, aliquot mille locis a me emendatum: cuius dimidium prope iam eſt abſolutum. Tot libris corrigendis conſcribendiſque impendo, quicquid vacui eſt temporis a publicis priuatiſque negotiis. Quod ideo narro; ne quid in me induſtriæ deſideres. Et vero tot moleſtiæ tardiorem me nonnihil faciunt ad reliqua, *Anti-Walenburchica* præſertim, quoniam et typographi hæc malunt, quam illas theologicas lites. Nec tamen etiam hac parte deero exſpectationi, ſimul aliquid horum perductum fuerit ad fi-

nem,

nem, et intellexero, ſerio expeti a Dominis *Walenburchiis* reliqua; non autem offenſos aliqua calami mei acrimonia. Attamen eſt iam tum et aliud mihi iniunctum, quod expediam, de *cauſſis ſupernatationis eorum, qui Dæmonibus ſunt fœderati.* Iniunctum autem eſt ab AVGVSTO meo, qui ſupernatationem illam non vanum indicium cenſet latentis ſceleris: quæ et mea ſententia eſt. Erit autem hæc opera eo difficilior confectu, quo magis abit a ſententia communi. Nec vero mihi lectus quiſquam noſtri temporis ſcriptorum, qui huius defenſionem auſus fuerit ſuſcipere, præter *Scribonium*, hominem nauci. *Martinus Delrius* enim diſputat quidem et contra librum Coloniæ editum *de probatione aquæ frigidæ*, auctoris nomine diſſimulato: quod tamen alibi videtur prodere eſſe neſcio cuius *Reckii*, ICti. Sed ille ne fando quidem mihi alias innotuit. Quæſo, ſi ille liber ad manum, communices (deeſt enim et in Auguſta bibliotheca; tametſi Principi ſit aliquando diligenter lectus) et præterea iuues me hac etiam in re conſilio. Breui ſane hæc opera mihi ſubeunda erit, vt ardenti Principis deſiderio ſatisfaciam. Reginoburgi nondum componi potuiſſe illas de Capitulatione controuerſias, ægerrime fero. Vereor ſane.

ſane, dum domi diſſidemus, foris a potentiſſimo petiinur hoſte, ne nobis alii adſciſcendi fuerint, qui omnes doceant nouis legibus, imo ex ſuo arbitrio, viuere. Video noſtros maxime offendi procemio Electorali: neque credo vel tu negaueris, habere illud multa inſolentia, et neutiquam alteri parti ferenda. Illa ſi emendabuntur, lis omnis facile, niſi fallor, ſopietur. Legi nonnulla et in cauſſa *Erfurtenſi* edita. Non deſiderabis, ſcio, cenſuram meam; nec tamen diffiteor, probari mihi Moguntinam cauſſam: tantum velim minus acri calamo illam vindicatam. Vt nihil vero maligni hinc metuam, facit Eminentiſſimi Electoris perſpecta dudum moderatio et ſapientia. *Boeclerum* noſtrum tua commendatione dignitate aliqua eſſe ab illo Eminentiſſimo Principe affectum, gaudeo. Doce vero, quæ illa ſit, vt Amico poſſim digne gratulari ***. Sed quid te moror et negotia tua, Illuſtriſſime Domine, prolixa hac mea epiſtola? Faxit Deus, vt tibi tuiſque omnia ex voto, ceu hactenus, fluant!

CCCXXXVI.

*** Titulo *Conſiliarii Moguntini* ornatus fuit. Strinxerat enim in cauſſa Erfordenſi calamum contra *Seckendorfium*.

CCCLXXXVI.

Conringius ad *Robertum Grauellum*, Legatum Gallicum, priuatim ſcribens, cum ei dedicatos de bello Turcico * ſcriptores tranſmitteret, Regi Galliæ breui Orbis Vniuerſi Imperium auguratur, et ſub tantum patrocinium recipi beatum putat.

Helmſtad. d. 17. Sept. 1664.

Quam mihi et coram in aula Sereniſſimi Domini mei, et poſt per literas non ſemel exhibuiſti beneuolentiam, nunquam quidem non mihi imperauit quaſi monumentum aliquod ad poſteritatem edere in nomen tuum: hactenus tamen impeditus ſum officium agere. Coactus proinde fui huius libri publicationem inſtituere, ſaltem in vadem præſtandæ ex merito gratitudinis, ſimulac melior ſeſe occaſio obtulerit. Rogo autem etiam atque etiam, ne dedigneris hoc quicquid eſt libelli ſerena accipere fronte, hoc eſt, ea, qua me coram ſemper excepiſti, donec aliquid a me ipſo confectum tibi offeram: quod breui fortaſſis futurum eſt. Neque

* Opus illud, inſcriptum: *De bello contra Turcas prudenter gerendo libri varii ſelecti et vno volumine editi, cura Hermanni Conringii,* legitur hodie *Oper. t. 5. p. 913. ſeq.*

que vero hunc librum alio, quam ſponſoris recti- us breui præſtandæ gratitudinis nomine, tibi offero. Quo titulo ſi exceperis librum; rem ſane mihi præſtiturus es longe gratiſſimam, et voti me compotem facies. Argumentum libri nobile ſane eſt, et tua cumprimis dignum expenſione. Etſi enim fama ſpargatur de compoſito Hungarico cum Turca bello; ſpero tamen futurum id, cuius in præfatione memini, vt nimirum a Chriſtianiſſima Regia Maieſtate Imperium illud Turcicum penitus euertatur. In quam rem te etiam expediturum conſilia, equidem haud dubito. Vtinam vero poſſim ego tam præclaris conatibus Chriſtianiſſimi Regis, vt et aliis eius commodis, alia quoque ratione inſeruire! Iam præuideo ſcilicet ingentem illam tanti Regis magnitudinem, qua breui orbis pene vniuerſi Imperium comprehendet, omnibus Francorum Regibus infinito potior interuallo. Certe felicem me prædicabo, ſi et ego queam mereri ſub tantum patrocinium recipi. Vale vero tu, et porro feliciter cura, quo fungeris munere, mihique perge fauere!

CCCXXXVII.

CCCLXXXVII.

Reponſe de Mr. de *Gravel.*

Ratiſbonne le 1. Fevr. 1665.

*Je ne doute pas, que Vous ne ſoyez ſurpris de voir, que je ſois ſi long temps à faire reſponſe à la Lettre, que vous avez pris la peine de m'eſcrire, et à Vous rendre les Remerciments, que je vous dois du livre, qu'il vous a plu me dedier. Je vous diray la raiſon pour laquelle cette reſponſe n'eſt pas allée juſqu'à vous, quoy que je l'aye faite huit jours après avoir receu voſtre lettre. Le Secretaire, auquel je l'avois remiſe pour l'envoyer, l'a laiſſée par megarde dans ſa chambre, où elle eſt demeurée, juſques à ce que je l'y ay trouvée: ſur quoy je luy ay fait la reprimende, que ſa negligence meritoit *. J'eſpere, qu'après avoir eſté informé de la choſe, vous ne m'en imputerez point la faute. Je fais trop de cas de voſtre merite, et des marques d'amitié, que je reçois de vous, pour m'en vouloir priver moy meſme par ma negligence, qui*

* De hac excuſatione credat quiſque, quod volet. Ego a partibus *Nicolai Heinſii* ſtare non dubito.

qui ne ſeroit point pardonnable, ſi j'eſtois capable de me taire, et de me rendre meſme incivile, lorſque vous prenez le ſoin de m'obliger. Je vous aſſeure, que j'ay receu avec joye ce preſent, et que toutes les pieces, dont il eſt composé, ſont veritablement dignes de la peine que vous avez priſe de les joindre enſemble, et des reflexions, que vous y avez faites pour les donner au publique. Je ne croi pas, que l'on puiſſe trouver ailleurs plus de lumieres et plus de cognoiſſance de la conduite, des maximes, et des actions Ottomanes, que l'on en rencontrera dans ce livre, où veritablement il y a belle matiere de s'inſtruire, ſi l'on vouloit en profiter pour s'oppoſer tout de bon et ſerieuſement à la domination orgueilleuſe et aux conqueſtes de ces Infidelles, qui advancent touſjours ſans jamais reculer. Il faut advouer **, *que dans la diſpoſition, où*

** *Conringius*, ab interprete ſuo deceptus, hanc periodum ita latine reddidit: *Oportet confeſſionem edere, in tum turbulento ſtatu, in quo exiles et tenues Chriſtianorum res verſantur, et diſſenſione Principum, qui huic hoſti maxime ſunt expoſiti, plurimum poſſe auferri et occupari. Exſpectandum itaque uſque*

où ſont aujourdhui les affaires de la Chreſtienté, et parmy la jalouſie, dont les Princes, qui ſont les plus expoſez à cet ennemy commun, ſe laiſſent preoccuper, il faut attendre, que le Ciel leur inſpire de meilleurs ſentiments, et reuniſſe tous les cœurs en une Concorde vrayement Chreſtienne, à fin de pouvoir reprimer la fierté de ces Barbares. Je le ſouhaite de tout mon Cœur. Je vous prie cependant de croire, que je ne ſeray pas mecognoiſſant de la grace, que vous m'avez faite, et que je n'oublieray rien pour vous faire paroiſtre, que je ſuis tres ſincerement Votre etc.

CCCLXXXVIII.

Hiſtoria carceris Boineburgici ex *Puſendorſio rer. Brandenburg. l. 10. §. 79.*

De iſto viro quia mentio incidit *, non abs re fuerit heic tetigiſſe, quare is paucos ante annos munere

---

vſque dum Deus ſaniorem mentem animumque inſpiret - - - - Prorſus præter rhombum.

* Memorauerat antea, quod Elector Brandenburgicus *Boineburgium* Legationi Neoburgicæ in Poloniam adiungendum eſſe cenſuiſſet.

munere ſuo apud Moguntinum exutus, ac in cuſtodiam datus fuerit. Eius igitur rei præcipua cauſſa fuerat, quod *Boineburgius* pleraque munera ac penſiones, quas Electoris IOANNIS PHILIPPI frater ſibi deberi crediderat, præripuiſſet, ſimul hunc non obſcure contemneret, velut rebus gerendis parum idoneum. Aliquando et, vbi conſilia ſua ab Electore non admitterentur, inter animi commotionem tunc rerum ignarum, aut meticuloſum apud amicos vocitarat; qui ea dicta poſt prodiderant. Ac ipſe *Moguntinus* inuidia perſtringebatur, quod iſtius Miniſtri autoritas apud Cæſarem ** et Gallum indies gliſceret, vt is pleraque ex ſuo iudicio agere vellet, etiam Electoris ingratiis. Igitur iamdudum occaſio quærebatur virum ſubruendi: quæ inuenta eſt, poſtquam *Reiſenbergius* Baro in Galliam miſſus fuit, auxilio Regis contra Erfordiam exciendo. Ei legationi obeundæ *Boineburgius* deſtinatus fuerat, cui et ſe iam accinxerat; ſed, *Schœnbornio* Electoris fratre impediente, in eius locum *Reiſenbergius* ſuffectus eſt. Eo facto *Boineburgius* grauiſſi-

---

** Non certe apud Cæſarem, quod vel hæ teſtantur epiſtolæ.

ſiſſime offenſus ad *Lionnaeum* ſcriptis literis in *Reifenbergium* valde inuehebatur, inter alia mendaciſſimum mortalium vocans, ac qui tantum veniat, vt Gallos decipiat. Sed *Lionnaeus* cum alias ob cauſſas, tum quod *Boineburgius* aliquoties ſat contemtim ipſum habuiſſet, eas literas *Reifenbergio* oſtendebat, quas et ſibi valde diſplicere teſtabatur. Vnde in procliui erat, iſtius fauorem in Gallia exſtinguere, ne inde quid praeſidii eundem maneret. Nec minus Caeſarea aula in virum irritabatur, ſtimulante *Portia*, cuius is acta ſaepenumero acerbe perſtrinxerat; et quae a *Directorio Moguntinenſi* contra placitum Caeſaris quandoque ſuſcepta fuerant, eorum cauſſa in *Boineburgium* deuoluebatur. His duobus *** fulcris ſubtractis, Elector demum precibus fratris manus dabat, vt praegrauem Miniſtrum amoueret, et qui ipſius heri luminibus officeret. Credebatur inter ſcripta eius repertum iri, vnde criminis ſtruenda materia foret. Sed ea omnia nil niſi enixum fidi atque cordati Miniſtri ſtudium expreſſerunt. Ac ipſe quae de *Reifenbergio* ſcripſerat, ex Electore

*** Omne verum in *Democriti* puteo iacet; nullum profundius, quam hiſtoricum.

ſe audiiſſe dicebat, ac eum reuera talem eſſe. Igitur poſtquam per quinque amplius menſes detentus fuiſſet, data cautione de non vlciſcendo, dimiſſus eſt, eiuſque filia poſt iuueni *Schœnbornio*, Electoris ex fratre nepoti, velut obliterandæ iniuriæ, nupſit.

CCCLXXXIX.

Cedro digna ad dimiſſum honorifice e cuſtodia *Boineburgium* magni *Conringii* epiſtola.

Helmſtad. d. 1. Mart. 1665.

Quantopere doluerim infortunium tuum, ſcriberem, ſi grauiſſimæ triſtitiæ exprimendæ verba inuenirem. Nunc gratulaturum viciſſim recuperatam nonnihil et in integrum reſtitutam felicitatem, verba iterum me deficiunt. Adeo nullus ſermo par eſt et mœrori et lætitiæ, quam tua cauſſa mihi peperit, qui te dudum ex animo et amaui, et colui. Quando primum oppreſſit te ſequior fortuna, plurima mihi frequenter cum iis, qui ſparſis de te nequiſſimis calumniis fidem temere habebant, fuit colluctatio pro virtute tua. Eo impenſius nunc gaudeo, ab ipſiſmet aduerſariis ſceleris omnis purum te iudicatum, et poſſe me iam

iam de calumnia tecum triumphare. Feres æquo animo, qua polles fortitudine, vtramque hanc ſortem, innixus vnice diuinæ gratiæ; neutiquam vero confiſus impoſterum aulæ culmini lubrico. Nec vero dubito, euentura propediem * tibi, quæ omnium aduerſitatum te faciant obliuiſci: modo ipſe velis non eſſe nimium memor, et, ſi qua vindicta ſequi debeat, illam Deo vltori commiſeris. Quod ſi tibi etiam allibuerit, dabo et ego operam, vt literario aliquo colloquio illam, quæ nunc te coquit et verſat ſub pectore, curam animo excutiam. Deum ſane obſecro, vti huius anni proſperitas mille modis prioris malignitatem corrigat et compenſet!

CCCLXC.

Boineburgius in *Conringio* laudat officium amici, abſtinentiamque a vindicta pollicetur, noſcendi præſentem terrarum Brunſuicenſium faciem percupidus, non ſine cauſſa.

Francofurti d. 4. April. 1665.

* Vera cecinisſe *Conringium*, nuptiæ filiæ mox inſecutæ demonſtrant, de quibus nunc certe ne per ſomnium quidem cogitari poterat.

Vir optime amiciſſimeque!

Quamquam de prolixo tuo in me affectu plusquam certus ſemper fuerim; nunquam tamen luculentiore is ſe indicio prodidit, quam in ea, qua non ita pridem defunctus ſum, calamitate. Iſta quippe ceu lapis quidam Lydius veræ amicitiæ pretium mihi in candore tuo oſtendit, ac ab aliis ſucatæ et tralaticiæ humanitatis officiis euidenti ſatis diſcrimine internoſcere fecit. Neque exiguo mihi ſolatio eſt cordata illa et maſcula iudicii tui æquitas, qua res non ad vulgi, aut cuiuſuis maleuoli ſuſurros arbitrari; ſed altiore et nobiliore ſcrutinio, imo etiam patrocinio tuo, non indignas reputaſti. Et eius quidem vt te pœnitere nunquam poſſit, curæ mihi ſtudioque erit. Amplector interim ſalutarem tuam commonefactionem, diuinæque vni innixus prouidentiæ, exſpectabo, vt has calumniarum nebulas dies non multa diſſipet, eaque in apricum proferat paullatim, quæ videbuntur neceſſaria. Quod ſi tuo per literas alloquio me porro erigere et recreare volueris; facies ſane ea re mihi rem longe iucundiſſimam. Quæſo, indica, ecquas a me literas ſuperiore æſtate poſtremum acceperis? ſub quo die? Paullo enim ante ſcripſeram bene longas,

quam

quam in ærumnas illas incidi *. Vtinam liceret coram tecum! Vidi de *orig. iuris germanici* hiſque nundinis nil a te amplius. *Meibomii* Medici Scriptores ecquando tandem prodibunt? Pauca heic recens nata comperi, præter Laërtium *Menagii*, atque nouam editionem Quintiliani, *Gronouii* nomine vendibilem; etſi parum contulerit. Reliqua ex veſtratibus cognoſces. *Seldeni* opus de naturæ iure ac gentium *Bæclerus* denuo formis exſcribi curauit, præfixo procemiolo. Ceterum quo ſcias, vbinam viuere nunc ad tempus elegerim, ſignifico, hic me aliquandiu ſubſtiturum. Priſtino loco me decedere nolunt, et retinere mallent, ſi vellem. Sed talia coram explicari debebunt. Vale mei memor! Quæſo, te interprete, noſcere liceat aliquanto diſtinctius, qualis iam penes vos ſtatus, ex quo Dux CHRISTIANVS LVDOVICVS obiit nuper. Forte ad vos excurſionem dudum meditatam aliquando ingrediar.

CCCLXCI.

Conringius inuitat *Boineburgium*, Principibus ſuis Dddd 4 gra-

---

* Illæ forte interceptæ fuerint; vſque adeo nullibi comparent.

gratum futurum, et de Waleuburchiorum ac *Honorati Fabri* libris ſibi oppoſitis, nec non prælo ſubiectis et ſubiiciendis ſuis diſſerit.

Helmſtad. d. 28. Iun. 1665.

Conſpecta manu tua, dici non poteſt, quanto perfuſus fuerim gaudio. Eram eo ipſo momento in aula, eoque ſtatim miſſis illis tuis literis Neſtorem noſtrum gaudii participem feci. Et vero optimus quoque Princeps ille ſerio tibi gratulatur de ſuperato tanto periculo. Cumprimis fuit acceptum, quod ſpem feceris aduentus tui. Ego vero etiam ſuaſerim, vti, compoſito Fratrum Principum diſſidio, quod, niſi fallor, vel hac vel proxima fiet hebdomade, ſi per alia tua negotia licuerit, ad nos excurras, futurus ſcilicet non tantum Hero, ſed reliquis quoque Principibus, gratus hoſpes. Nec enim dubito, iam antehac ſaltem cum IOANNE FRIDERICO Duce, aliquid tibi amicitiæ intercedere, eſſeque tibi benigniſſimum Principis ingenium ſatis perſpectum. Simul ſane adueneris, habebis me ſalutatorem promptiſſimum. Ocyus enim aduolabo, vt tam carum mihi caput coram tanto poſt interuallo rurſum complectar. Vt de ſtudiis meis interim aliquid intelligas, non diſſimulo, oblatum ab amico librum,

a

a Reuerendiſſimis Dominis *Walenburchiis*, et alterum ab *Honorato Fabro* mihi oppoſitum *; non tamen hactenus, niſi poſtremum illum, in priuatam poſſeſſionem veniſſe, nullis apud nos exemplis libri vtriuſque proſtantibus, nec ipſimet ANTONIO VLRICO Principi, cuius in nomen Domini *Walenburchii* ſuum ediderunt **, vllo exemplo oblato. Rem ipſam ſecure audeo iam tum cuiuſlibet docti et æqui iudicis arbitrio committere. Deum enim teſtor, nihil in vtroque libro hacte-

---

* Hoc titulo: *Hermanni Conringii concuſſio excuſſa, et Romanæ Fidei firmitas inconcuſſa.* Auguſtæ Vindelicorum 1664. in 12.

** Supra *p. 1108. Conringius animaduerſionum* ſuarum partem primam Boineburgio miſerat. Hanc illico fratres *Walenburchii* ſeparatim refutarunt ſcripto, cui titulus: *De miſſione Proteſtantium, vbi et D. Conringii animaduerſiones refutatæ per Adr. et Petr. de Walenburch, Batauos, illum Epiſcopum Adrianopolitanum, Suffraganeum Colonienſem, Eccleſiæ Metropolitanæ Canonicum ſeniorem; hunc Epiſcopum Myſienſem, Suffraganeum Moguntinum et Prouicarium Generalem.* Dedicatio ſignata eſt d. 17. April. 1664. libro autem præſcriptus annus 1665.

nus mihi deprehenſum, quod vel leuiſſimum poſſit ſcrupulum mihi mouere. Vtrique tamen reſpondere certum mihi eſt, ſaltem in triumphum veritatis; ſimulatque fuerim ſolutus iugo hoc regiminis Academici, quo iam fungor, et prodierit opus epiſtolicum, et libellus de *antiquiſſimo ſtatu Helmæſtadii ac viciniæ:* quæ nunc operas typographicas occupant. Deus te ſoſpitet, et priſtina donet felicitate!

CCCXCII.

Boineburgius iter in terras Brunſuicenſes meditatur, *Forſtneri* epiſtolas laudat ineditas, et ab *Ezechiele Spanhemio* ſibi ſcriptam communicat cum *Conringio*.

Francofurti d. 7. Sept. 1665.

Tenerrime gaudeo, amiciſſime Domine, quod mei non modo bene memor, ſed identidem quoque in eo per es benigne, vt apud incomparabilem Auguſtumque ac vere inclutum Senem, omnium hodie Principum ad culmine ſuo dignas inque publicum vtiles Honeſtates Ducem, cœlitus datum, tam clementes mei recordationes ſuſcites, quibus merito quam glorioſiſſime ego poſſim exhilareſcere. Neque dum oblitus ſum nuperi inſtituti

ſtituti mei, aut deſtinati ad Vos itineris. Omnes Sereniſſimos veſtrates Principes coram plus ſemel adorare memini; præſertim Duci IOANNI FREDERICO ſpes eſt obſequium meum nondum excidiſſe, quod ſemper prono in ipſum cultu reapſe exhibui. Vni Optimo Auguſtiſſimique nominis Neſtori noſtro, Principi ſane bonorum virorum patrono, vnico pene literarum, quæ ſerio pietatis, prudentiæ ac eruditionis, tum iuxta veri rerum vſus connubio perficiuntur, ſtatori atque vindici, ſubiectiſſimam, qualem debere ſe tanto Heroi omnes ſani homines agnoſcunt prædicantque, venerationem obſeruantiamque meam hactenus coram profiteri, neſcio qua fatorum intemperie fui abſtentus. Ceterum non ambigo, quin propediem Deus fortunam meam emendaturus, meque facultate optatiſſima prægloriofiſſimi maxumique Principis venerabiles manus diſſuauiandi prolixe donaturus ſit. Interim, quod ais, ab *Honorato Fabro* libellum tibi oppoſitum eſſe, nouum mihi nuntium eſt, et antehac incompertum. Ipſemet habebo inſpicere eum; quanquam his ſacris litigiis nunc parum me affici, haut diffitear. Opus epiſtolicum et reliqua tua, auide exſpecto his nundinis. *Forſtnerus*, vir peregregius, ſuas mihi

epi-

epiſtolas ineditas mittere parat. Vtinam exorari quitus eſſet, quo publicari eaſce fineret! Enixe lætor huius viri benigno erga me affectu, tuoque pariter. Eſtis enim vos duo mihi inſtar omnium, neque mos æui noſtri Vobis placet, amici potius felicitatem, quam ipſummet, diligere ſuetus. Sane dici nequit, nedum ſatis perſcribi, quam valide ſincera iſtac veſtra beneuolentia meum præſens infortunium * leuetur; ſi hoc vocamine inſigniri debet vita pacata et priuata, qua ſub Dei nutu me nequaquam indelectari profecto verum eſt. Quia nihil iam præſto eſt mihi, quod ſcribi mereatur, mitto *Ezechielis Spanhemii* ad me epiſtolam, quam vbi Sereniſſimus AVGVSTVS Dux, tuque legeritis, remittite, quæſo. Vale, et reſcribe!

CCCXCIII.

Ezechielis Spanhemii ad *Boineburgium* epiſtola de viſis et obſeruatis in itinere Italico.

Man-

---

* Elegantiſſimis verbis conceptæ ſunt et affectu pleniſſimæ querelæ, quas ea de re in ſinum *Beckeri* effuderat *Forſtnerus*, quasque legendas exhibet de re literaria omni meritiſſimus Dn. CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS. *Pœcil. t. 3. p. 256.*

Manheimii d. 21. Iul. 1665.

Occupaſti primus officium, Vir Illuſtriſſime, quod pridem ego cupidiſſimis votis moliebar. Neque enim factum vnquam locorum aut temporum interuallo, vt animo excideret meo cum mirifica quædam tui nominis veneratio; tum iucunda affectus erga me tui recordatio. Verum ea ex Italia reducem exceperunt tempora, quæ hinc inde diſtractum a maiorum minorumque neceſſitudinum alloquio haud ſemel dimouerunt. Statue ergo, quam ſerio et intimo gaudii ſenſu me perfuderit tam blanda compellatio, quæ vota præuenit mea; non animum, tibi ſupra fidem addictum deuotumque. Redeant itaque, ſi ita pateris, vir maxime, priſtinæ inter nos conſuetudinis leges, vt ego conſtanti obſequio; tu amore mecum certes: vtrinque vero obſides literas vltro citroque commeare videamus. Erunt mihi illæ non ſolum ornamento ob Illuſtris tui Nominis decus, ac voluptati ob ſingularis affectus ſignificationem; ſed vtilitati etiam incredibili ob inexhauſtam mentis tuæ ſupellectilem. Quam curta vero illa ſit mihi, nec ignoras; minus ex ea apud te, inſtructiſſimum omni penu litteraria, commendationem quæro. Optarem libenter aliquam illi acceſſionem

fieri,

fieri ex Itinerarii mei Italici, aut librorum, in eo tractu recenter editorum, quorum notitiam petis, commemoratione. In hunc cenſum referre poſſum *Pallauicini* Cardinalis nouam editionem hiſtoriæ Tridentinæ, quæ prodiit tribus voluminibus in 4to. Recenſita illa ab auctore ſatis diligenter, ita tamen, vt de nouo potius verborum et ſententiarum delectu, quam de rerum alicuius momenti acceſſione, fuerit ſollicitus. Id ſtatim tibi ante oculos ponent nouæ præfationes ſingulis operibus præfixæ, quæ hoc vnum agunt. Mordebat carceres iam ante meum ab Vrbe diſceſſum *Allatii* cenſura in præfationem ac verſionem Concilii Florentini ſatis prolixa et operoſa. Concilii ipſius examen ad alterum opus referuauit. *Nardini* cuiuſdam *Roma antiqua* ſermone vernaculo ad finem etiam vergit, cuius editionem in ſe recepit *Octauius Falconerius*, vir nobilis, ac multarum literarum, ac mihi intima neceſſitudine coniunctus *. *Poſſinus*, ſocietatis Pater, *Pachymerium* Græce et Latine ibidem edendum parat

* Hominem non e vulgo fuiſſe, commercium eius literarium cum *Nic. Heinſio* omnium optime oſtendit, quod habes in *ſyllog. Burman. t. 5. p. 473-577.*

rat auſpiciis *Franciſci Barberini* Cardinalis. Florentiæ noua in Mathematicis et Phyſicis reperta excuduntur ſingulari typorum ſplendore et figurarum apparatu. Auctor vel collector operis *Laurentius Magalotti*, nobilis Cubicularius Etruriæ Ducis, et Academiæ illius, quæ in talibus ſe exercet, a ſecretis; totius vero inſtituti promotor *Leopoldus*, meus et literarum Mæcenas ſingularis. Feruet eiuſdem curæ ſtudium aliorum elegantium illius tractus ingeniorum in adornando nouo theſauro linguæ vernaculæ, ſeu recenſendo vocabulario *della Cruſca*. *Valerius Chimentelli*, Doctor Piſanus et Etruriæ Principi olim a ſtudiis, parat opus prolixum de *re donaria veterum*; tum commentationes ad inſcriptiones quaſdam, in quibus mentio honoris *biſſellii*. Patauii *Octauius Ferrarius* premit curas, vt mihi renunciabat, philologicas *in Plinium maiorem*; tum *hiſtoriam* rerum *hoc ſeculo* geſtarum. Haud abſimilem ſucceſſuum vltimi temporis molitur Comes *Hieronymus Gratiani*, præcipuus Miniſter Aulæ Mutinenſis. Reliqua Italorum ingenia deſudant in adornandis commentationibus ſcholaſticis, aut ad Ius Canonicum comparatis. Vix alia ſtudia florere videas in illis oris, vt mirum ſit, incolas amœniſſimi il-

lius

lius tractus ſpinis illis tantum ac vepribus delectari. Magna ibi meliorum literarum, linguarum et antiquitatis eccleſiaſticæ ignoratio; addam et quod peius eſt, contemptus eſt. Paucis mens alia, quos æquus amauit Iupiter: *Allatiis* puta, *Ferrariis* aliiſque, quos in fine diſſertationis meæ de numis antiquis laudaui ac recenſui. Prodiit hoc opus, mihi aliud ferme agenti, ex ſolo meo erga Auguſtam CHRISTINAM obſequio, quæ illud a me exegit. Feruet iterum Heidelbergæ ſub prælo Wingartiano: id enim facile indulſi typographo, qui vix appulſum in has oras ea de re compellauit. Addetur non pœnitenda acceſſio, quantum per abſentiam meam et curas alias licebit. Vbi prodierit, tuum inter prima et maxime veneranda implorabit patrocinium: id enim iam tibi ſolenne, meas eſſe aliquid putare nugas. Alias quaſdam commentationes habemus adfectas de primatu Vrbium et earum iure ac priuilegiis: de adminiſtratione ac forma Imperii Romani ad *Dionis Caſſii librum 53.* male vulgo acceptum; de Conſecratione veterum tam Gentilium, quam Chriſtianorum, et quædam alia id genus, quibus ita cupientibus amicis, aut ferente occaſione, otii mei Italici tempora diſpunxi. Magna mihi et crebra

crebra etiamnum intercedit conſuetudo cum decoris illius loci ingeniis, *Leopoldo*, Etruriæ Principe, *Moroſinis*, *Sforzzis*, Patre *Falconierio* aliiſque id genus. Nuntiabant nouiſſimæ, grauiter vtrumque decumbere Allobrogum Ducem: Venetis intercedere noua cum Pontifice diſſidia, in neruum forte eruptura, et de quibus componendis fruſtra egiſſe Oratorem Gallum apud Venetos: Romæ, procurante maxime *Albizio* Cardinale, noua fulmina in Inquiſitionis officina prodiiſſe contra Sorbonæ decreta, quæ Pontificii iuris prærogatiua ibant imminutum. Non ſine multorum metu eadem fulmina erupiſſe nuntiabant amici, auitæ religionis ſimulac pacis ſtudioſi, nihilque iiſdem obtineri, niſi vt irritentur crabrones. De rebus noſtris conſultius forte tacere, quam ſcribere. Verſantur adhuc in ſtatu ancipiti, quem breui tempus in maiorem lucem educet. Frater meus, vſus opportunitate canicularium, in Aulam Brandenburgicam profectus eſt, ob negotia a ſocru Bilderbergiana ſibi commiſſa. Sed tempus eſt tua non vlterius morari tempora. Ignoſcas vero longæ ſcriptioni, quæ amiſſi temporis tecum loquendi ſolatium, præſentis gaudium, ſpem futuri ſibi vna opera conſignabit. Bene vale, Vir Il-

Illuſtriſſime, et feliciter rem gere! Quid agit *Conringius* noſter, aut quid commentatur? Ego viri, tua opera mihi conciliati, diligentiam, doctrinam, candorem, vnice ſemper exoſculor. Viuitne adhuc *Reineſius?* Ecquando proditurae ſunt eius Inſcriptiones antiquae? Multus mihi de illo viro cum Italis ſermo, quibus praeter meritum ignotus ferme viuebat.

CCCXCIV.

Boineburgius laudat vitam priuatam.

Francofurti d. 2. Octobr. 1665.

Scripſi ante tres hebdomades, literaſque iis implicui, quas tum pariter exarabam ad *Oinhuſium*, Oſterrodam. Is quin eas continuo curarit, adeoque ſine vllo tuo impendio, nullus auſim dubitare. Addidi meis, quas nuper de Italicorum ſtudiorum hodierno ſtatu ad me dederat ſatis largas *Ezechiel Spanhemius*, quo eaſdem Sereniſſimo noſtro, ac in exemplum ſui Auguſti Ordinis nato Seni, oſtendere, ſtatimque remittere poſſes. Neſcio enim qua arcana vi mentis atque cultus afficiar erga Numen Semonis et Neſtoris illius incomparabilis. Has iam

iam Beckenſtenio trado, vt exquiram ſenſa animi tui, et de ſtudiorum ſitu et de rerum Imperii, quas mire nouis bellaturientium auſibus ac irritamentis corrumpi cernimus. Deus pacem ſeruet, mitiaque concedat tempora! Sed vah! præſagit cor peſſima quæque. Quorum obtutu meam mihi vacuam a publicis occupationibus vitam impenſe gratulor, ſalubrem vtpote tramitem ad ſolidiorem ſolito commentationem Æternitatis. Multum hoc nomine debeo liuidis ac inuidis illis animabus, quæ obſtaculo fuere, quo minus in turba negotioſus vltra forem. Cogor autem iam finire, teque oro, vt per Beckenſtenium, via quippe tutiſſima, aliquanto laxius reſcribas. Vale, vir cordi meo proxime!

CCCXCV.

Boineburgius, quibus ſtudiis iam delectetur, et quos libros recens e Gallia compararit, *Conringio* narrat.

Francofurti d. 6. Octobr. 1665.

Bunoni ad Vos redeunti has breuiculas trado, ne dimittatur ſine ſymbola mea. Bis enim ſcripſi intra pauciſſimas hebdomades. Semel meas implicui meis ad *Oinbuſium*, queis et indidi Spanhemia-

 nas

nas de omni hodie eruditionis in Italia habitu. Eas vt Sereniſſimo Auguſtoque Seni noſtro oſtenderes, curate adiunxi. *Bunonem*, Philippi Cluueri ſeruatorem, vt ad quæ diſtinat efficiunda animetis, vehementer oro. In ſacroſanctas litteras pariter, ac in iuris Iuſtinianei corpus chronologicas eum atque geographicas tabulas moliri, videor mihi e fratre eius cognoſſe: per eſſet pulcrum id operis. Amabo, cohortare illum induſtria ac doctrina validum hominem, ad tam ſalubria, qualia hæc ſunt. Vernacula Bibliorum editio noua mihi vtique per erit accepta. Corrogatum eo omnes tales, quotquot reperiri quitæ hactenus. Iam et Socinianam, nec non Arminiani *Curcellæi* in germanico idiomate noſtrate verſionem conſequutus ſum. *Heidmanni* palæſtina, *Ernſtii* curis redintegrata ac recentata, *Bunonis* opera prodiit, mihique heri, fortuitas papyros volutanti, feliciter obtigit. Certe Geographicis, Aſtronomicis, Mathematicis in vniuerſum, Phyſicis, Chymicis * item intra modum, ac

* Ob hæc etiam *Leibnitium* ei gratum conuictorem et hoſpitem fuiſſe, infra videbimus; licet hunc poſtea erroris ita puduerit vt, cum rem negare non poſſet, illudendi animo inter fla-

ac ſacris, et præcipue Aſceticis ſtudiis, mihi in hoc otio nihil iucundius; optatius nihil ſane. Gaudeo, quoties, te duce, et iuris et ciuilis ſapientiæ interiora, et Analytices quoque ac Critices ſolidamenta in ſelectis libris aſſequi quandoque ſinor. Hæ nundinæ non admodum fertiles exſtitere. Dederunt tamen Illandum ſcriptorem, *Eddam*, cum notis; tum codicem argenteum, qui *Vlphilæ* Gothicam Euangeliorum conuerſionem complectitur; vt de *Io. Crellii*, et *Slichtingii* operibus exegeticis nil dicam, quæ in arcano vidi. Prodiit alter quoque tomus *Epiſcopii*. Pariſiis mihi obtigerunt *Petri de Marca* libri omnes; inprimis de regni concordia ac ſacerdotii: *Menagii* item amoenitates iuris: *Philippi Labbei* bibliotheca bibliothecarum: *Dacherii* Spicilegii veterum collectionum (felix certe *Henrici Caniſii* imitatio) tres tomi poſteriores: priores enim iam tum ipſe in Gallia emi anno 1660. Iuncti Pithœorum, Puteanorum, Ducheſniorum, Labbei itidem, et ceteris id genus collectaneis miſcelliſque laboribus, magnam ad hiſtoriam et antiquæ

 rei

flatores ſe Noribergæ verſatum Amanuenſibus ſuis narraret, qui tam iucunda auditu vitæ eius poſtmodum inſeruerunt.

rei omnis Francicæ notitiem commodabunt lucem. Accepi pariter *Ioannis Bonæ* opus in 4. de diuina Pſalmodia, ſeu de ritibus omnium Eccleſiarum in pſallendis ſacroſanctis officiis. Tum *Franciſci Bernardini Ferrarii* librum in 8. de ritu ſacrarum eccleſiæ Catholicæ concionum; dein et de ſacroſanctis veterum Chriſtianorum epiſtolis. Hæc duo Lutetiæ recuſa, et, ſicut forinſecus apparet, aucta nonnihil ſunt. Accepi ſimul nouam *Phædri* editionem in 12. qualem paullo ante obitum recens ediderat iterum *Tanaquillus Faber*, vna cum notis, et verſione gallica. Aduenerunt etiam *Laurentii* Amalthea onomaſtica; *Prioli* item Hiſtoria Gallicarum rerum inde ab exceſſu Ludouici XIII. ad annum 1661. vel vltra. Nondum enim potui penitus inſpicere. Iuxta accepi libellos aliquot *Launoii* et *Thierii*, quibus diſputatur de vi argumenti in rebus hiſtoricis negatiui. Volui hæc ad te aliquanto loquacius perſcribere, occaſionem hanc nactus, teque rogo, vt propediem miſſu veſtratium ſcriptorum me beare velis per *Bunonem* iſtum, virum, vt mihi videtur, probæ notæ ac induſtrium. Tertias modo litteras ſcribo; vnas per *Oinhuſium*, quis incluſi Spanhemianas; alteras per Beckenſtenium, qui heri abiit, et haſce cum *Bunone*. Vale, me-

que

que amare perge! *Ioſephum* edere parat *Boſius* Ienæ. Si eum iuuare potes, fac, ſodes, id diligenter. Meretur iuuamina tua et tanti Scriptoris dignitas, et egregius editoris conatus. *Gronouius* nunc Plinium Naturaliſtam, et *Gellium* commentatur. Nihil elegantius *Liuio* eſt et *Sulpitio Seuero*, quales nunc prodiere cura *Gronouii* et *G. Hornii.* Spero, breui editum quoque integre iri Liuiana *Freinſhemii* ſupplementa. Velim auctoritas *Augusta* ad opus maturandum accederet.

CCCXCVI.

Conringius locum in Aula Hanouerana *Boineburgio* deſtinat, et de ſcriptis *Bœcleri* dubiis iudicat.

Helmſtad. d. 12. Dec. 1665.

Ad binas tuas dudum reſponſum debeo. Dudum etiam reſpondiſſem, niſi tu iuſſiſſes reditum Beckenſtenii exſpectare, qui hactenus de die in diem protrahitur. Cumprimis vero remorata officium ſimul et deſiderium meum eſt certa aduentus tui exſpectatio. Indies enim pridem exſpectari te Hanoueræ, aliquoties accepi ab iis, qui videri volebant haud ignari aulæ illius ſecretorum. Iam

tum vero viſus mihi fuiſti ſpem aliquam aduentus huius tui et literis oſtendere, cum ego non ſemel id ſuaſiſſem. Ceterum quid impedimento fuerit, cur tu quidem exſpectationem meam feſelleris, ignoro. Ego tamen maneo in ſententia, et tibi pariter priuatim, et Principis rebus fore vtilem tuum aduentum. Deſidero ſane illum multis de cauſſis. Tum, ne quid diſſimulem, etiam atque etiam velim, poſſe tibi iuſtum locum apud Principem optimum obtingere. Neque video, quid perinde poſſit hodie obſtare, niſi forte vereatur Princeps, offenſum iri Cancellarium, ſi quis illi præferatur; quem offendere tamen nolit, quoniam de ſeſe optime eſt meritus. Ego hactenus Principem haud ſalutaui coram. Fortaſſis autem fiet ſtatim a feriis Natalitiis. Neque ego, ſi res ferat, negligam in tempore te laudare ex merito. Vtinam liceat per horam duntaxat vnam alteramque de republica tecum diſſerere! quoniam remoti ab inuicem longius ſumus, et haud licet tuto, nec commodum eſt, omnia epiſtolæ concredere. Quod ſi per *Linckium*, qui iam, vti audio, Principi *a ſecretis* eſt, ſecure mihi liceat impoſterum literas ad te dare, frequentiores a me accipies. Sed hactenus etiam tuta timeo, niſi tu me extra periculum eſſe iuſſeris.

Red-

Reddo, quod petis, *Spanheimii* literas, quas et AVGVSTVS meus in ſuos vſus curauit deſcribi. Pro earum vſu gratias ago. Accepi autem ab ipſo literas et ego, iamque dudum, cum occaſio non deeſſet, reſpondi. Viſus eſt conqueri de *Bœcleri* noſtri *vindiciis Moguntinis.* Verum ego dubito adhuc de libelli illius auctore, quia ſtilus planior videtur, quam ſolet eſſe *Bœcleri.* Et ſimili dictione et acerbitate in cauſſa *Erfurtenſi* liber prodiit, quem *Bœclero* tribuere non equidem auſim. Si certiora me docueris, rem feceris gratiſſimam. Proximæ nundinæ dabunt nonnulla mea recentiſſimæ fœturæ. Quod ſi tamen occaſio haud defuerit alia mittendi, illam haud negligam. Vale!

CCCXCVII.

Boineburgius ſilentem *Conringium* reſuſcitat, de miſſo epiſtolarum volumine gratias agit, et Sereniſſimi Ducis AVGVSTI natali LXXXVIII. adplaudit.

Francofurti d. 27. April. 1666.

Vir meo cordi proxime!

Per eſt diu, ex quo nil vel a, vel de te. Poſtremum ſcribere memini. Tu vero taces. Obliuione

ne mei? non credo. Neceſſe tamen eſt, vt reſuſcitem interquieſcentem tuum ſtilum, cuius erga me prolixum olim affectum maximi ſemper et feci; et facio. Legi cum multa voluptate, quæ in 88 annum Auguſti et incomparabilis Senis commentatus es, cumprimis quæ de vernacula ſacrarum literarum verſione *. Epiſtolicum tuum volumen ſumme placet, niſi quod diſplicet in præfeſtinata plus æquo abruptione fili nondum deſiti. Scio enim, pluſculas, quæ mereantur præ multis adiici, ſupereſſe. Eas ne nobis inuideas, ſollicitiſſime obſecro. Cl. *Forſtnerus* ſpiſſum codicem epiſtolarum ſelectiorum mecum communicauerat ante ſeptem menſes, quem heri reddendum curaui. Vale, vir optime, meique memor eſſe perge, ac Sereniſſimo AVGVSTO me commenda.

CCCXCVIII.

Boineburgius AVGVSTI Ducis obitum plangit, memoriæque eius parentat.

Francofurti d. 15. Mart. 1667.

Ec-

* Inſerta ſunt ea *Oper. t. 6. p. 271. ſeq.* De re ipſa adeundus celeberrimus *hiſtoriæ bibliothecæ Auguſtæ* conditor *p. 20. ſeq.*

Ecce! Francofurtum me reuertiſſe, tuique me amantiſſimum, atque per Dei gratiam hactenus ſuperſtitem, auideque cupidum eſſe noſcendi viciſſim ſtatus tui: qui ſi eſt qualem opto, certus ſum, te ſumme contentum ac lætum fore. Multum me contriſtauit obitus Sereniſſimi et AVGVSTI Senis noſtri *, qui germanus honos patriæ noſtræ exſtitit. An idem literis pretium ſub hodierno Duce, equidem nolo diffidere. At vero nec ambigo tamen, inclutum parentem iſti librorum amore ac cultu plurimum antecelluiſſe, qui vtique vere triumphalis et incomparabilis in omni virtute et eruditione heros fuit, omnium ſanorum hominum prædicatione. Certe, ſi ſcire quiuiſſem, optimum illum Principem breui moriturum, vſus fuiſſem benigno eius inuitatu, non ſemel antehac iterato, et veniſſem, ſacras manus Germanici Neſtoris deoſculatum. Sed ſic præueniunt vota noſtra fatorum intemperiæ, vel potius diuina voluntas iis clementer intercedit, quæ ſola bona, ſola ſa-

* Obierat ILLE d. 17. Sept. ſuperioris anni, et paullo poſt, iuſſus, an ſponte, incertum, a conſilio Principum abſtinuit ſe *Conringius*. Vid. *ep.* 427. et 430.

ſalutaris eſt. Sed nolo ſtilum commodare deque-reudis publicis priuatiſue ærumnis. In re libraria ecquid noui genueris hactenus, id vero præcipua mea cura eſt et cupido. In Gallia pacem Britannicam ſerio tractant; metus contra Belgio a nouis turbis, niſi eas anteuertat ſecreta, quam olim adornari memini, inter partes actio. Neque non compereris, *maturuiſſe* ** et illum, qui princeps artium incentor fuit, quarum vim in Moguntina aula expertus ſum. Sed Deus protector noſter, vindex ac Dominus omnium ſolus: in quo vale!

CCCXCIX.

Boincburgius Hanoueram accitum ſe iri ſperat.

Francofurti d. 29. Iun. 1667.

Lætiſſimo animo ex tuis accepi, te Coloniæ

** Alludit ad nomen aduerſarii ſui REIFENBERGII, de Sede Moguntina, perducta ad tranſactionem Erfurtenſem Aula Saxonica, optime meriti, ſed ob ingenii intemperiem hoc tempore in carcerem compacti. Excerpta ex literis Dunkerianis, quas inferius damus, pellucidiora hæc reddent omnia.

niæ * eſſe; iuxta vero dolenter, te iſthic parum diu affuturum, ita vt te vix aſſequi poſſim. Ante enim Auguſti quinctum diem illuc venire non poſſum. Tum autem, volente Deo, nil me impedire poterit. Rogo itaque maiorem in modum, me certiorem facias, vbi et quando tui viſendi copiam nanciſci propediem liceat. Forte, ſimulac Sereniſſimus Dux IOANNES FRIDERICVS, quicum heic diu egi, domum redierit, Hanoueram acciri continget. Neque tunc ad te venire porro neglexerim, nec tu me deſtitueris ope, quo conſpiciam Auguſtam Guelferbyti bibliothecam. Vale, et reſcribe, cor amiciſſimum!

CCCC.

---

* Coloniam Agrippinenſem hoc vere, accepta arrha quigentorum aureorum, ad inſpiciendum tabularium vrbis et pro libertate eius contra inſultus Principis Electoris defendenda accitus *Conringius*, per aliquot menſes cum vniuerſa familia laute habitus fuit, decedenſque paruam quamdam diſcipulorum coloniam Helmſtadium reduxit, inolita perſuaſione, in contubernio *Conringii* ſimiles *Conringio* iuris publici conſultos neceſſario formatum iri.

CCCC.

Conringius hortatur *Boineburgium*, vt ſequatur ſe vocantem Principem.

Coloniæ Agrippinæ d. 2. Iul. 1667.

Fere biennium eſt, quod manum tuam videre haud licuerit. Eo gratiores fuerunt literæ tuæ, teſtantes conſtantem erga me affectum. Quamuis vero perquam doleam, in hac vicinitate eripi mihi deſideratam dudum occaſionem, imo a Colonienſibus huius inclitæ vrbis mihi certo promiſſam, (nec enim patiuntur res meæ quintum Augusti hic exſpectare, ſed cogor omnino, ſi Deus voluerit, intra dies ſedecim circiter hinc diſcedere) ſi tamen Hanoueram conceſſeris, nihilque graue fuerit impedimento, iſthuc excurrere haud negligam, ſaltem vt tam grata et ſemper mihi culta familiaritate liceat frui. IOANNEM FRIDERICVM, Principem et Dominum meum, tecum, Perilluſtris Domine, aliquamdiu conuerſatum, et forte adhuc agere, vehementer lætor. Vtinam contingat, quod optaui dudum! Iterum vero te rogo, ſi res tuæ patiantur, ne detrectes vocantem Principem optimum ſequi. Aularum mores non te fugiunt; nec puto tibi ignotam noſtram illam. Coram tamen forte poſſem indicare, quod igno-

ignoras; me tamen ignores, omnino fuerit ex re tua, ſi noſter eſſe volueris. Deus te ſeruet, Perilluſtris Domine!

CCCCI.

Boineburgius varia *Conringio* narrat; aliqua ex ipſo ſciſcitatur, et pro filio vndecenni ſtudiorum rationem flagitat.

Coloniæ d. 8. Aug. 1667.

Quincto Auguſti huc veni omni cum familia, dolens vnice, tui amplius copiam haut obtigiſſe. Sereniſſimus IOANNES FEDERICVS vero Venetiis mihi ſcribit, ſe ſub initium Octobris ad Lares ſuos reditionem parare, ac tum forte honos tui Hanoueræ viſendi me manſerit. Incredibile dictu, quanto deſiderio flagrem potiundi tam diu optata felicitate, in amplexus ruendi amici tanti; ſane qualium rara hodie annona occurrit. Excurrero procul dubio ad optimum ſupra laudatum Principem, vbi ſuo me accitu honeſtare volet; quamquam vix vltra vnam hebdomaden iſtic hærere ſinar ob alia fortuita, quæ circa idem tempus me occupatura videntur. Cum animaduertero, literarum commeatus inter nos tutos fore, vberior ero in ſcribendo. *Bæclerus* valde reſtitat, omneſque

que obdit remoras, quod minus Grotiana ſua proſequi inducatur. Quæſo, ſi potes, hortamenti quid et calcaris bono viro ſubde, vt eximium, quod meo impulſu incoauit, opus perficiat. Ceterum de publicarum tritura rerum ægre adducor, vt quicquam ſcribam, ni prius viam pedum literis noſtratibus compercero ſecuriorem ſolito. Prodiit Hiſpanorum reſponſio ad Gallicos tot libellos, perinde eloquenter galliceque conſtructa. Præplacet et cauſſæ ſanctimonia et inaffectata argumentorum ſoliditas; quamuis altera pars magis *tinnula* appareat. Germanicis Principibus perpetuæ cruces apparantur, niſi vigilias et excubias egerint bene tempeſtiuas. Nos reliqui terræ filii capiemur, forte nec inuiti, cum patria alienæ ſponti ſummiſerit ſe. Caueant autem ſibi altiores criſtæ, diſcantque iuſtitiam monitæ. Guelferbyti vt res modo ſuccedant tuæ, impenſe reſcire deſiderem. Videtur et illa aula multum mutata a priſtino. Bibliothecaria res quin iacturam nimiam obitu AVGVSTI Ducis fecerit, quis hæſitet? Magnam ſane fecit in binis mortibus, recens enoteſcere cœptis, *Philippi* puta *Labbii* et *Hottingeri.* Eas profecto non poſſum ſatis lamentari. Vidi nuper *Calixti* filii reſponſum ad *Calouii* caninam

ninam conſenſionem. mecum huc attuli. ſi auſpicio publico illud prodiit, prout in veſtibulo venditatur, vtique nouam prouideo inſurrecturam aduerſus vos Iuliæ Academiæ Catholicos tempeſtatem. Moloſſos enim ſic concire videmini, paullatim cauſſaturi, eos eſſe mordaces. Malim ego ſuaſor auctorue eſſe, vt vel Turcam aggrediamini, quam illos Witebergenſis ſcholæ Stentores, quorum princeps eſt Calouiaſter, quinctum maritus. Aſt hæc eiuſmodi ecquid ad me? Te rogo, vt me ames, et filio, hic ſcholas meditanti, fere vndecenni, methodum largiare, cum profectu biennium hac in vrbe exigendi. Intelligenti ſatis. Ego toto corde ſum eroque, donec ſpiritus hos animabit artus, Tuus. Oro, ſcribe crebro, et identidem aliquid tui veſtræque Academiæ mitte. Eſt id omne extra omne diſcrimen, cum penitus omnium ſim partium expers, et ſolitarius degam.

CCCCII.

Conringius cum *Boineburgio* de Sparta Hanouerana agit, de facie temporum diſſerit, *Bæclerum* arrodit, et, *Monzambanus* quis ſit, quærit.

Helmſtadii d. $\frac{8.}{18}$ *Aug. 1667.*

Etſi earum, quas *Colonia Agrip. 2. Iulii* exaraui, ne nunc quidem feceris mentionem; ſpero tamen, recte traditas. Ceterum appuliſſe te tandem Coloniam, gaudeo quidem; iuxta vero tecum doleo, coactum me non exſpectare aduentum tuum. Solatio tamen magno eſt, quod proximo Octobri, quantum voueo, liceat te frui in vicinia. Nec enim dubito, accitum te iri, et tantum mihi otii ſuperfore, vti iſthuc queam excurrere; ſin, ſaltem te monente, etiam me iſthuc a Principe poſſe euocari. Quod poſtremum equidem malim inuidiæ decliuaudæ cauſſa. Et vero iam paſſim hic increbuit, conſtitutum te iri Proprincipem: idque ex me reſciſcere cum primis voluit is, qui nec parem, nec ſuperiorem ferre poteſt. Cui reſpondi, quod res erat, mihi nihil tale intellectum; migraturum vero te propediem cum familia Coloniam. Si adueneris, abibit ille, quantum equidem arbitror, et hominis ingenium noui. Iſthoc nomine vero omnes boni tuum aduentum exſpectant, præſertim ex quo illos iuſſi ſecuros eſſe, quod religionem attinet. Al-

ter

ter enim ille nemini non moleſtus eſt tyrannide ſua, et ſimul inuiſus quam maxime: nec tamen ſpes eſt, fore, vt abeat, aut moueatur dignitate, niſi tu adueneris. Omnes certe boni in aduentu tuo præſidium melioris ſecuturæ rei vnice collocant, quandoquidem hodie quidem reſpublica perquam grauiter laborat. Id quod coram candide et pluribus narrabo. Fortuna Gallica quin ſuſpecta eſſe debeat Principibus noſtris, nec ego dubito; quieturos tamen omnes, donec ipſa Domus Auſtriaca nonnihil iam repulerit hoſtem, itidem haud dubito. Interim vero, dum illa domus cunctatur, et Hiſpanica infirmitas magis magiſque prodit ſeſe; vereor, ne periturum ſit Belgium omne. Videntur fata vrgere omnem Auſtriacam familiam, et vergere illam in extremum exitium; animis quaſi ſtupore correptis, et nullis amplius ſuppetentibus vel conſiliis, vel opibus, vel viribus. Librum Apologeticum Hiſpanicum vidi qnidem et ego; ſed quia nondum fuit latine verſus, a me omnia percipi non potuerunt. Quæ intellexi vero, non viſa ſunt omnes nodos feliciter tollere; etſi in nonnullis probe rem geſſerint. Deſidero exemplum latinum: quin ſpero prodi-turum. Pro Gallica cauſſa legi dialogum, et

qui auctoritate Regia editus eſt liber gallice latineque de iure Reginae. Vtrum nimia mali vicinitas Batauos, et accepta repulſa Suecos ſit in auxilium Hiſpanicum, pace cum Anglis compoſita, excitatura, breui res ipſa doceat neceſſum eſt, quoniam in mora periculum. Papali reuerentia ſiſti poſſe victoriae Gallicae curſum, non credo; noſtrorum vero aliquot Principum *mediatio*, vt ita loquar, vtinam non tacito riſu excipiatur! Enim vero arma armis temperantur; non inanibus verbis, aut Legatorum miſſitationibus, factis ab inermibus. Si Deo propitio tu noſter fueris, de his et ſimilibus, ceu ante, frequens poterit eſſe inter nos diſceptatio. Hac rerum facie etiam ipſemet meticuloſior ſum, quod habeam *obſeruatores*; imo *aduerſarios* haud paucos, quibus quam maxime noſtrum literarium commercium erit ſuſpectum. Interim *Dunckerus* ille, cui haſce commiſi, poterit vtrique noſtrum inſeruire, idque fide bona: vti eſt ſane vir optimus pariter, et ſic ſatis intelligens rerum. Apud *Baeclerum* non dubito etiam me futurum fruſtra. Fugit enim iſtam abs te impoſitam ſibi operam, reapſe expertus eius difficultatem, et, niſi fallor, ſe tantae moli imparem. *Rachelius* antehac noſtrae Iuliae, iam

Ghi-

Chilonienſis Profeſſor, integrum commentarium Grotiani operis iam abſoluit; premit vero adhuc, vt cum tempore poſſit edolari. Valet ille ingenio et iudicio; vereor itidem tamen, vti par ſit; etſi indubie eximium ſe ſit præſtiturus. De *Labbei* morte nihil adhuc acceperam; etiam ego tamen illam doleo. *Hottingeri* obitus nimis eſt triſtis, cum mortis genere *, tum iactura Orientalis literaturæ incomparabili. Sed ferenda ſunt etiam hæc mala. *Calouio* aliquid reponere extrema iuſſit neceſſitas: abſque illa certe fuiſſet, nihil fuiſſet reſponſum. Ego ſimili modo coactus fui nuperrime Chilonienſem Profeſſorem famæ vindicandæ cauſſa excipere **. Exemplum libelli eſt apud *Dunckerum:* vbi adueneris, tradam etiam tibi; quanquam non ſit tanti momenti, nec argumenti ad tuum palatum. Aduentus tuus dabit commodam occaſionem iucundiſſimæ conuerſationis. Vtinam iam adeſſes! In id tempus differo etiam methodum ſtudiorum filii tui, quoniam de profectu eius et ingenii capacitate mihi hactenus

 nihil

* In aqua periiſſe conſtat, accinctum ad iter Batauicum.

** *Matthiam Waſmuthum.* Vindiciæ iſtæ et quæ eo pertinent leguntur *Oper. t. 6. p. 298. ſeq.*

nihil conſtat. Vnum interea, niſi graue fuerit, quæſo me doceas, quis nempe ſit ille *Seuerinus* de *Monzambano*, cuius liber hoc ipſo anno demum prodiit, *de ſtatu Imperii Germanici.* Vulgo creditur perſona ficta; niſi fallor tamen, fuit mihi in aula noſtra aliquando familiaritas cum *Italo* aliquo, abs te mihi laudato; ſed nomen iam excidit. Quiſquis ſit, et te tuo merito laudauit, et meis libris cum iudicio eſt vſus, ſcriptor ſane eximius. Sed quid te moror, mi Domine? Deus te ſeruet reipublicæ bono in annos plurimos!

H. Conringius.

CCCCIII.

Boineburgius confutat rumores de ſe ſparſos, et inter alia de *Bœclero* et *Monzambano* iudicat.

Coloniæ d. 2. Sept. 1667.

Tuæ, neſcio quo loco, octauo decimo vero Auguſti ſcriptæ, per D. *Dünckerum* mihi redditæ recte, et magnæ ſunt leuationi ac voluptati, quod inde affectus tui et optimæ voluntatis erga me conſtantiam tot nouis argumentis noſcam, vt eo nomine merito gaudeam. Minus autem debito lætor ea re, quam de mei ad vos vocatu ſubiicis, qui ſane et mihi nihilo notior eſt, quam ipſi Nin-

cipi, talia nec opinanti. Inuitauit is me quidem ad ſe Hanoueram, vbi ex Italia reuerterit; aſt de talibus ne gry quidem, cuiuſmodi vtique vel cogitaſſe vix videtur. De me ſorteque mea, deſtinatione item, et reliqua deinceps vita mea, ſub auſpicio Numinis iam pridem conſtitui. Qualia hæc ſint, tibi coram ediſſerere hauebo, cumprimum in id obuia mihi facultas erit. Neque tamen vel ſic exemptus credi poſtulem prouidentiæ nutibus, qua duce rationes noſtras tempore procedente paullatim fortius lucidiuſque cognoſcimus. Si Princeps ſuo me accitu, domum redux, dignari volet, ad te certo excurram Helmſtadium, neque impediti erunt explicatus adeo, vt tum et tu voceris. Forte iſtic ad tres quatuorue hebdomades ſubſtitero. Ceterum de tuis, quas ex hac vrbe ad me *2 Iulii* allegaſti, noli ambigere. Princeps Venetiis poſtremum *16 Iul.* ad me ſcripſit, inde Romam profectus. Quare demum ante triduum illuc meas deſtinare orſus ſum. Hic agitantur molimina fœderis recens icti roborandi nouis acceſſionibus, quarum pars et vos credimini. Bauarus quoque huc legat nonneminem, exemplo futurus multis; dum Cæſaria aula altum indormiſcit meditamentis ſcenicis incuria publici,

periculorum ſibi impendentium grauiter inſciens. Spes eſt, turbas iſtas proxima hieme pacatum iri, niſi Iberia reſtitet, quæ noua fiducia ſe effert, fore, vt cum Luſitano pax coëat; cum tamen haut liqueat, quouſque huius cum Gallo fœderatio ſe exporrigat. Saltem magno Hiſpanis conſtitura eſſet Luſitanorum amorum intermiſſio, quam redimere quippe illos oporteret ceſſione regni cum Indicanis corollariis, in omne *Bragantinum* nomen. Velint autem Hiſpani vni hodierno Regi eiuſque propagini tantam ſcilicet indulgentiam commodare, idque tempore nunc tam neceſſario? Inter Anglos Batauoſque quid magni coqui, queis Suedi accedere videantur velle, pro comperto tenetur. Sed hæc mox matureſcent ocius ſolito, ſi verum eſt, quod iam tota vrbe diditur, Inſulas etiam in ditionem Gallicanam conceſſiſſe. Apologeticus Hiſpanicus quod non latine redditur, imitamine ſaltem Gallorum, qui ſua et Hiſpanice et bene latine edidere, reputandum eſt inter errata capitalia, quibus hodie iſtæ partes laborant. *Rachelii* Grotiana impenſe deſidero. *Bœclerus* pollicetur de integro optima quæque: cauſſatur, in Batauis ſua diſpretui haberi, præſertim *Iſaaco Voſſio* et *Gronouio* ea flocci pendentibus

ſus et ridentibus. Sed, amabo, quid inde conſequitur? Nec tibi forſan in ſolidum fidit ſuſpicax animal. Velim tamen, vt ipſum amanter cohorteris ad rem perficiendam. Videtur certe formidare grauitatem operis, quam liber denique ſecundus præ ſe fert. Memini videre apud te quædam in illum annotata, quæ olim collegis tuis diſſerueras. Optem ea denuo legere, qualia tum ex te prodierunt. Ceterum *Baecleri* eruditionem, cumprimis quoniam veterum vſu ſubacta eſt, deoſculor; quanquam tantundem notitiæ iuris in illo non inſit, quantum bonarum literarum. Edidit quidam notationum ſuper Grotium *Zieglerus* quidam, Lipſienſis anteceſſor Iuſtinianeus. Ecquid de eo tibi videatur, obſecro, perſcribe. *Labbei* ac *Hottingeri* mortes vel ideo perquam triſtes et flebiles mihi apparent, quia inde magnam iacturam ſtudia præclara et ceteræ Antiquitatis et Orientalia fecerunt. De *Monzambano*, quæ ſciſcitaris, *Dunkerus* aperiet. Quod de me dicit, bis erroneum eſt, et nimia laudatione mei, qui eam non meruerim, et addito, munere me ſummotum fuiſſe. Id quod falſum eſt. Ipſe enim meapte ſponte miſſum id feci: quin eo me leuatum, ſumme lætor, nulla prece reque in tam doloſa conſortia

 re-

recaſurus. Vale! Quæſo, mi amice, quid ſpei reliquum eſt de affectis tuis libris, et partim, vt opinor, abſolutis? puta, de notis in Ariſtotelica tua: in *Grotii* Ius B. et P. tum religionis Chriſtianæ veritatem, ad quam in *Epiſcopii* tomis vidi pariter quædam notata, qualia vellem pluſcula. Suſceperas quoque antehac laborem de argumentis ab auctoritate humana; tum opuſculi tui de cunctis per ſuccedaneas Chriſtianorum temporum ætates retro Scriptoribus pumicationem et ampliorem expolitionem. Vtinam omnia tua de Germanicæ rei ſtatu et iure publico iunctim ederuntur, a tequemetipſo ſuperſtite in eam formam effingerentur, in quali notitiam iſtanc tam vtilem et neceſſariam ad vſum reuocare promtum ſit! Quæſo, doce, numqua in *Monzambano*, et quænam, faſtidias, emendandaue cenſeas? Scriptor ille et Italicum ſpiritum, et neglectum noſtri, et errorem vnum alterumue affectat vltro, ea fini, vt ſub perſona aſcititia latere valeat. Sed pellucet vaſrities. Profecto per mihi placet illa ſcriptura, et tractationis rotunditate, et ſtili blandimonia, et temperie rerum, et exactitudine iudicii, quo noſtratis Germaniæ ſtatuſque ingenium arbitratur atque diſquirit.

CCCCIV.

CCCCIV.

Conringius **ob ſperatum breui colloquium cum *Boineburgio* breuior eſt; de *Monzambano* tamen fluctuat.**

Helmſtad. d. $\frac{16}{26.}$ *Sept. 1667.*

Quo propinquat magis tempus reditui Principis deſtinatum, eo magis creſcit deſiderium tui fruendi. Nec enim dubito, accerſitum te iri dicto tempore et acceſſurum: id quod dudum exſpectaui, et tota prouincia exoptat, moroſi et tyrannici Senis iam pridem ſatur. Cum autem adeo breui familiare nobis conſortium obtinget, non eſt quod interea alter alteri literis ſcriptis ſit moleſtus. Equidem illud in tempus differo omnia reſponſa mea ad quæſtiones tuas literarias, ſimul etiam ad illa, quæ de republica exaraſti *. Aliquid vel decretum firmiter iri pro Burgundici Circuli defenſione, non equidem arbitror; tantum abeſt, vt ſpe-

* Iam inde ab anno 1649 *Boineburgius* in elaborando quodam opere *de vſu errorum in republica* occupatus fuerat, cuius delineationem habes apud *Struv. collect. MSS. faſc. 3. p. 22.* De hoc forte *Conringii* iudicium expetiit.

ſperem aliquid iri actum. Conſilia de mittendis ad partes Legatis video potius, quam morer. Sed et quis velit, vel poſſit aggredi rem tantæ molis tantique periculi, ſtertentibus ipſiſmet Auſtriacis, et Hiſpania, quantum videtur, de Belgio retinendo iam deſperante? Enim vero equidem exiſtimo, ſi Hiſpaniæ ſatis fuerit cautum iterata aliqua renuntiatione, de eo, quod hactenus Gallus Infanti CAROLO reliquit, ceſſuram Gallo omne ſuum in Belgicam ius, priſtinis de orbis imperio obtinendo conſiliis iam mutatis. Et vero quam decreuere iam Hiſpaniæ vires, non ſuggerente amplius America illos immanes theſauros, et exhauſta incolis Hiſpania ipſa! Dudum in meis de republica illa diſſertationibus hoc fatum prædixi. De *Monzambano*, quis lateat illo ſub nomine, adhuc dubito. *Puſendorſium*, ſaltem illum, qui Heidelbergæ viuit, auctorem eſſe, haud temere patior mihi perſuaderi. Quiſquis ſit, liber eſt, me iudice, eximius, et hactenus ſine exemplo; etſi non omnia probauerim. Mirum vero, ſi Germanus aliquis et in Germania viuens fuerit auſus audacter adeo verum proloqui, aut, ſi potuerit, graphice adeo fingere ſeſe Italum, et narrare ſua itinera. Tuæ tamen ſententiæ accedere non dubi-

bi-

bitabo, in quamcunque tandem ſeceſſeris. Hactenus enim nec tu fortaſſis certi aliquid ſtatuiſti. Verum et de hiſce prolixius loquemur præſentes. Interea valere te etiam atque etiam opto.

CCCCV.

Boineburgius inter alia *Conringio* ſcribit, ſub *Monzambani* larua duos fratres latere, ab Electore Palatino adiutos.

Coloniæ d. 5. Octobr. 1667.

Literæ tuæ me admodum recrearunt non vnis nominibus. Fuiſſent vero longe ſapidiores, ſi tua iudicia de nuper quæſitis, præcipue vero de *Monzambano*, prodere voluiſſes, addito, in quibusnam rebus ab ipſo diſſentias. Prodiit, ſic ferente nouo Francofurtenſi catalogo, liber quidam *Monzambanianæ* hypotheſi oppoſitus *: quem vt nanciſci liceat, elaborabo. De meo ad vos itinere nil conſtitui crediue poteſt, donec Sereniſſimus IO. FREDERICVS domum redierit. Accepi ab ipſo binas interea literas; ſed ecquando ſit rediturus, nildum memorat. Legati quidam hinc abitum

* Fuit ſcriptum *Burgoldenſis* Pſeudonymi: de quo *ep. 408. et 410.*

tum parant, poſtquam neſcio quas miſſitationes ad Cæſarem, Gallum et Hiſpanum definiuerunt. Treuir hodie diſcedit. In Gallia ingens armorum apparatus denuo et de integro inſtruitur, ac niſi tempeſtiua pacis actio intercedat, ille infrugifer vix volet eſſe. Spes tamen reliqua eſt, inter partes diſſidia ſeorſim compoſitum iri, ac tum interuſuria iunctim quærenda alibi. Sub *Monzambani* perſona latere duos illos fratres, auſpicio Electoris Palatini iutos, noli ambigere. Vter vero fratrum plus ſymbolæ, ipſumque adeo ſtilum contulerit, ægre coniiciam. Per mihi placet vtique, prout nuper dixi. Ceterum *Rachelius* ſcribit, ſua in Grotium de iure belli et pacis penſa ſe abſoluiſſe; ſed premere opus velle. Quæſo, et illum virum hortare, et auctoritate tua anima, vt edat ſine mora. Quo ipſe ordine et inſtituto nuper maximam ſui partem philoſophico vtitur, eo ſane nemini moleſtus erit, cum reliqui fere omnes vel hiſtorica, vel mere politica, vel iuridica, vel philologica ſectentur in iſtac arena. Talia ſunt, quæ vidi et audiui de *Gronouio*, *Puſendorfio*, *Auiano*, *Ziglero*, *Bœclero*, *Æſcacio*, qui in Grotium ſenſa et placita ſua exonerare gloriæ ſibi duxerunt. Vale, mi amiciſſime, et crebro reſcribe!

CCCCVI.

CCCCVI.

Conringius ſerio *Boineburgium* hortatur, vt ſibi ſoli mentem aperiat de ſtatione Hanouerana vel adeunda, vel recuſanda.

Helmſtad. d. $\frac{\textit{23 Dec. 1667.}}{\textit{3. Ian. 1668.}}$

Ex DVNCKERO noſtro intelliges cauſſam ſolito longioris ſilentii mei. Seorſim vero tibi ne reſponderem aliquamdiu, effecit, quod quauis pene hebdomade ſpes aduentus tui pariter et Principis Hanouera mihi fuerit facta. Non dubitans ſcilicet, fore, vt ſtatim ab aduentu illo mihi liceat coram colloquio tuo frui, et quidem prolixo: in illudque tempus nihil non reiiciens, literis haud opus eſſe iudicaui. Sentio vero, me hactenus inani luſum exſpectatione, nec deſunt, qui iam omnem illam ſpem meam turbent, tuumque aduentum aut dubium reddant, aut ſerum. Quibus tamen ne fidem adhibeam, neſcio, an ingens ille faciat, quo te proſequor, amor, et illud tui tenerum deſiderium, quo flagro. Scio tamen, vota mea iuuari affectu complurium bonorum et intelligentium, nec ſatis ſibi fidere maxi-

ximos etiam quoſuis, aduentum tuum vnice metuentes. Metaphyſicus noſter præ metu emit iam tum in vicinia ædes, et nunc adeo curat illas omni ſtudio in ſuos vſus præparari, certus migrare, ſimulac adueneris. Quicquid huius ſit, ego, fateor, hæſitare iam nonnihil incipio, et proinde nunc moueor haſce ad te exarare, vti exorem te, ne me et bonos quoſque maceres procraſtinationibus, ſi quidem fuerit in tua ſitum poteſtate, non tam huc excurrere, quam hic manere. Liberum vero tibi eſſe vtrumque, equidem arbitror; etſi haud me fugiant tuorum hoſtium improbæ machinationes. Saltem rogo, mihi vni ſub ſilentii fide ſignifices, numquid ſpei debeat mihi eſſe reliquum; vtut aliis celata velis tua hæc propoſita. Reipublicæ cum communis Imperii, tum ſeorſim noſtræ miſer ſtatus plurimum me angit. In tuis prudentibus conſiliis ſoleo vtriuſque magnum præſidium collocare. Si et illa nefas fuerit exſpectare, equidem deſperauerim. Edo iam commentarium ad Lampadianum de republica Imperii libellum, et ſubinde magna vtor libertate conquerendi de rebus noſtris: ſubinde audeo et inſpergere aliquid conſilii. Sæpe tamen excutit mihi calamum deſperatio meliorum. Certe nunquam fui

ani-

animo ita triſti et abiecto; etſi mihi priuatim forte poſſim ſic ſatis cauere, etiam in futurum. Vtinam liceat propediem omnem animi ægritudinem in tuum ſinum deponere, cum recuperato ſolatio! Interim Deum veneror, vti et hunc proximum et complures ſecuturos annos proſpere feliciterque agere tibi benigne permittat!

CCCCVII.

Temporum triſtitiam deplorat *Boineburgius*, et *Chriſtophori Forſtneri* mortem.

Coloniæ d. 27. Ianuar. 1668.

Gaudeo, tibi bene adhuc eſſe. Inceſſerat enim me timor ex diuturno ſilentio, ne quid ſequius interea accidiſſet. Hic iam omnia in tranquillo ſunt, ex quo magni illi rerum pacis arbitri ac auerrunci bellorum diſceſſere. Teſtudineo autem greſſu incedi ad actionem pacis, multum dolemus. Tum quoque, quæ recens eueniunt, rectores populorum ad noua ſubinde auſa impellere valida videntur. Ingens ecce! e deceſſu *Infantis* Auſtriaci cauſſa mutationum! Nihil ſane eſt, quod impenſius voueam, cupiamue, quam vt copia tui detur mihi crebro ad longas collationes ſuper tritura ac philoſophia

rerum præſentium, earumque, quæ metuendæ ſunt. Aſt modo in id nulla facultas ſuppetit, cum ob anni ætatem, itineri cuiuis pergrauem, tum quoniam nulla mihi occaſio aut anſa præbetur. Inde enim a fine Nouembris a Sereniſſimo IO. FEDERICO nil literarum accepi. Accedit alia conſideratio, quæ forte nec ferat meam iſtuc excurſionem, dum mens ad alias nunc res flectenda eſt. Exigua proinde eorum ſit Metaphyſice oportet, qui me aduentorem tantopere faſtidiunt, cum vel e primis, ſi caperent, notionibus omni formidine ſe ſita leuare poſſent. Mi amice! Gaude mecum, quod quæ iam fiunt, opera mea nuſquam fiunt, quorum olim pars fui, non quidem magna, ſed nec nulla tamen. Inclinatio fortunæ publicæ tanta noſtris ceruicibus impendet, vt ire reipublicæ exſequias proximum ſit. In cuius ruinam vna elaboraſſe, quanta ærumna foret conſcientiæ! quanta famæ labes! Certum pariter eſt, iis, qui nunc ad clauum conſident, per eſſe difficile, eum ſic regere, quin impingant immaniter. Eouſque intima ſtatus noſtri viſcera ſunt pereſa, vt nullam, ne minimam quidem, quæ ſeria iuxta ſit, admittat medelam. Quotquot etiam vlceri manum commodare ſuſcipient, ohe! quam facile euertuntur. Exemplo eſſe queat,

queat, qui notiſſimus, quique præter querimoniam, eandemque valde parcam cautamque, nil habet reliqui. Felicem vero is credit ſe, quod funeri rei patriæ non comes, ſed cum turba cetera ſpectator tantum erit. Ad Vos porro vt eatur, mi amice, quot, quantiſque periculis obnoxia res foret, ſub pondere præſentium circumſtantiarum, quales vtique vel cordatiorem quemlibet deterrere ſufficerent? Exerte igitur habeto, me nec accitum, nec venturum; quanquam omnino poſſim, ſi velim. Si autem Princeps pergat, non refragabo, quo minus exſpatier ad vos denique, ſaltem ad hebdomades vnam alteramue. Etſi plurima obſtent etiam tum, ſiquidem ad alios, qui perinde ſibi obſecundari poſtulent, par, imo maiore cum fructu, neceſſitas eſt. Si excurſum ad vos ſuſcipio, crede audacter, tua cauſſa id vnice futurum. Multa enim eſſent, circa quæ nos inuicem ſolari poſſemus, et ad lætiora erigere. *Lampadiana* tua tandem preditura, ſumme lætor. Obſecro, ne his deliciis me carere ſinas: quin faxis benigne, vt veſtratia Academica videre queam et omnia, et frequenter. *Dunkerus* noſter hac fini nobis iuuamento eſſe poterit, egoque L M Q rependam, quicquid nomine meo ſolueris. Vale, et certus

 eſto,

eſto, vbi videro, te meis his literulis haut indelectari, fore me poſthac in officio longe frequentiorem. Quam enim ſincere cupideque te diligam, profecto explicare verbis nullis ſuſtineo. Quae *Boeclerus* poſtremum ad me, en! mitto, vt videas ipſe, nihil ſpei reliquum eſſe de Grotiano labore: quem tamen, quia orſus adque eum auctoratus eſt, vt abſoluat, eum fodicare non deſinam. Nec obeſſet publico, ſi etiam in ſcriptis, quae eduntur, nonnihil acrius ſidei datae commonefieret lentum illud nomen et fere malum. *Forſtneri* noſtri mortem quin communi mecum dolore fleas, non dubito. Fuit erga me ſemper optima et conſtante voluntate ac candidiſſima. Deus animam eius propitius et benignus foueat! Vale millies! Tuus ſum in ſolidum.

CCCCVIII.

Boineburgius, Electori ſuo reconciliatus, inter alia *Pufendorfii* iter in Scaniam nuntiat, miſſaque *methodo noua diſcendi docendique iuriſprudentiam Leibnitiana*, auctorem Anonymum commendat *Conringio*.

Coloniae d. 26. April. 1668.

Pau-

Pauculis abhinc diebus Moguntia huc redux, lætabundus a *Dunkero* noſtro accepi tuas *26 Martii* ſcriptas. Inde cognoui, quod pridem verum eſſe aduerti, meum ad vos iter, cum nullo Sereniſſimi vocatu ſtimuletur, exſpectari deſitum. Princeps nempe dixerat, ſimulac domum rediiſſet, fore, vt me acciret, ſaltem quo iſtic vobiſcum vel ad vnam alteramue hebdomaden commorarer. Id vero ſi quidem factum non eſt, ſatis quoque nos magno inuicem interuallo diſiuncti, per item occupati, ſuo quiſque loco, viuimus; arbitrandum tibi relinquo, ecquo pacto animum inducere poſſim ego, profectionem tam ſumptuoſam ac bene longinquam meiſmet modulis ingredi. Ceterum quanto deſiderio flagrem tui appellandi, et in mutuos reconditoſque affatus toto corde proruendi tecum, ſane exprimi ne coram quidem infinitis verbis poteſt; nedum vt deproperato hocce ſtilo rei, prout vera eſt, plenitudinem aſſequi quiſquam ſuſtineat. Oportebit igitur adhuc tantiſper intra modum voti et patientiæ conquieſcere nos vtrobique, donec tempus opportunitatem quampiam, ſi qua publicæ rei, tum noſtrati priuatæ conducit, ſuffecerit. Forte lares meos hac æſtate in iſta vrbe, et vltra, continebo; etſi ad negotia reditio abunde pateat, ſi ve-

velim. Fui apud Eminentiſſimum Moguntinum, plus ſemel inuitatus, et perhumaniter acceptus habituſque, cum omnium ſecundiſſimis vbique admurmurationibus. Sed hac vice nil porro actum eſt. Maturitas omnis moram depoſcit, et aliquam identidem deſtinationum actionumque interſtitionem. *Forſtneri* filius me nuper Francofurti acceſſit, iuuenis egregius. Is narrabat, parentem paratas ſibi tradidiſſe *ephemerides*, quas vocat, *politicas*, quæ modo ſint ſub lima *Bœcleri*, eaſque propediem editum iri. Pluſcula quidem affecta in ſchedis deprehendi; aſt ita diſiecta et lacera eſſe, vt nec cauda; neque frons appareat. De epiſtolis ſciſcitanti mihi reſpondit, eas inde ab anno 62. vſque ad obitum fere, puta finem anni ſuperioris, auctas ac prodituras etiam eſſe, continuo ac facultas in id ſuppetierit. Ibat in Batauiam, quo ad *Blaeuium* ipſi viam muniui. Qui vbi, iuxta cum Grotianis, *Forſtnerianas* epiſtolas, quales vidi et legi maximam partem, ediderit, profecto inſigne ea re pretium laboris quin ſit facturus, non eſt ambigendum. Prodiit non ita dudum liber cuiuſdam, quemadmodum inſcriptio fert, *Burgoldenſis*, iſque geminus: vnus ſuper inſtrumentum pacis Germanicum, ſpecie commentarii; alter aduerſus vel

ad *Monzambanum;* vterque in 8. Hic ſcriptor gloriatur te præceptore. Procul dubio, niſi tantum nomen in ſui deſenſionem duntaxat aſciſcere voluit, per eſt cognitus tibi. Optem proinde noſcere et illum ego, te duce. Eruditio et ſcribendi ratio non diſplicet: plerumque rectis ſententiis ſtudet. At nimis verboſus et heterogeneorum quandoque multorum admixtione plus iuſto laciniofus ac multiplex eſt; tum circa religionem petulantis et ſupra modum dicacitatis. *Monzambanus*, ſeu *Pufendorfius*, Heidelberga in Scaniam a Suedis vocatus, breui iſtuc cum penatibus ſuis conuolabit, ex illo tutiore receptu ſe forſan defenſurus confidentius, atque opus, quod molitur, de *iure naturæ* editurus. De pace nullum ſupereſſe dubium videtur. A Gallo facile obtenta fuit in eam aſſenſio. Quare? tempus mox loquetur. Legati ſubſcripſerunt. Iam ratihabitio Reginæ Hiſpaniarum eſt in exſpectatione, cui optio permiſſa alternantium, quas vocant, propoſitionum, aut Flandriæ vrbes retinendi, aut Burgundiæ Comitatum. Quo propendeant Batavi, in procliui eſt coniectio. Proxime plura, ſi voles. Rogo interim peramanter, vt nonnunquam aliquid tuæ fœturæ aut Academiæ veſtratis, quod implicari lite-

ris ſine tumore nimio queat, mihi mittere digneris. Prodiit his nundinis *Gulielmi Grotii*, *Hugonis* Magni fratris, opuſculum in 4, de principiis iuris naturalis, eiſagoge propemodum ad pellectionem et vſum incomparabilis libri Grotiani de iure belli ac pacis. Prodiit et Heſychius *Screuelii*; *Laurentii* Phædrus; Prudentius *Nicolai Heinſii*. *Schookius* etiam *Monzambano* barbam vellicauit, ineptus ad talia; Dauus; non Oidipus. *Bæclerus* penitus ſilet, decumanæ ingratitudinis animal. Ad literas nec meas totidem reſcribit vel voculam, Grotiani inſtituti immemor, neque id ſine pudore nominis ſui. *Rachelium* amo, et tuis ſuffragiis auctorandum ac aduinciendum ſaluberrimis illis laboribus cenſeo, qualibus vtique par eſt, cum aliis multis nominibus, tum et intuitu limpidæ dictionis et inaffectatæ.

Ne omnino ſine ſymbola hæ literæ te adeant, ecce! mitto libellum, quem vix diſpliciturum credo. Auctor mihi notiſſimus eſt, Doctor Iuris 22 annorum: eruditus, bene philoſophus, aſſiduus, ſpeculari validus et promptus. Iam meo ſuaſu apparat *elementa Iuriſprudentiæ* ſolito curatiora. Eſt certe multæ doctrinæ vir, ſubacti iudicii

eii et magni laboris. Moguntiæ nunc degit, nec extra meam curam *. Quæſo, mone, ſi qua videas agenda ſolidius, ſupplenda plenius, accidenda, addenda, limanda. Velut meapte ſponte ſuggeram ipſi illuſtramenta et hortamina tua,

* Ante *Leibnitium* iam alios ſtudiorum adiutores habuit *Boineburgius*. Vltimi officium ita depinxit *ep.* 42. ad *Dietericum p.* 205. *Homini illi pædagogo, quem librorum callentem eſſe mihi dixti, ſcribas velim, vt me frequentet - deſit id genus notor vel anagnoſtes, dum ſub aliis æſtuo curis: neque eiuſmodi indicem opis ſuæ operæue pœnitebit.* Scripta hæc ſunt anno 1666. Nomen hominis exprimitur *p.* 248. fœdo exitu: *Hermannus Scheinius, Gueſtphalus, ille, quem mihi non adeo pridem commendaſti, homo fuit ingratus ac turpis nebulo. Si tuum non ſatis cognitum haberem candorem, poſſem tuæ credulitati iraſci acriter. Male ſit peſſimo homini, qui mihi multos elegantiſſimos libros et numorum pondera non pauca furatus eſt! Redde mihi, Dieterice, quod tua facilitate mihi abſtuliſti!* Sed mox in adlegendo *Leibnitio Boineburgius* fuit felicior; quamquam hac in re *Boineburgio* non felicior fuerit *Leibnitius*, homines nactus, qui ei non dico libros, aut numos, aut ſcriptorum exempla, ſed plurima autographa ſurriperent.

quibus quanta cum optimarum rerum acceſſione vniuerſum morale ciuileque ſtudium proficere poſſit, nemo neſcit, niſi qui inſciens eſt omnis recti ſenſus. Princeps equidem tu cultum ciuilis elegantiæ animaſti. Quam vt perinde idonei homines et ſuperfluorum onere leuent, et neceſſaria luce perficiant, ſicut Naturæ Arcana nunc pateſcere incipiunt, plurimum tua auſpicia proderunt, tuique applauſus. Vale, vir meo cordi proxime ac exoptatiſſime! Cum prouideam fore, vt hæc epiſtola, de incrementis doctrinarum quippe agitans, tibi placitura ſit, eam adiungo, vt retineas. Eſt Anglus, bene doctus, et Electoris Palatini Conſiliarius, et *Oberamptmannus* Oppenhemii. Plagula præfecta continebat priuatas curas. Inuocaram vtpote illum, vt vina mea ceuſitica mihi procuraret.

CCCCIX.

Excerpta ex literis Nobilis Britanni ad *Boineburgium* de diurnis literariis gallicis, et de inſtituto Societatis Scientiarum Regiæ Londinenſis.

Oppenheimii d. 10. Febr. ſtil. vet. 1668.

- - Iam ad alteram partem literarum venio, in qua,

qua, quia de libris agendum, eo ſermone vtar, qui olim generis humani vinculum fuit, nunc conditorium manet ſcientiarum. Nam ab idiomate interpolato ingeniiſue Gallorum quid profectum hoc ſeculo durabile? Ferax garrulitatis lingua, ſine modo aut fine concinnata, leporis imaginem aliquam refert; ſolidi fere nihil continet. Quicquid autem luculentiſſimis e prælis nationalibus prodit, deſcribitur a Critico quodam haud indocto, qui doctorum ephemerides condit hebdomadatim, non inutili ſane aut contemnendo inuento. Ipſe *le Journal des Scavants* vocat, nunc in volumina excreſcentia folia menſtrua. In Anglia noui quotidie aliquid monſtri producit Societas Regia ad augmentum philoſophiæ experimentalis, nobiliſſimo ſane inſtituto Nobiliumque genio digniſſimo, ceteris regionibus inuidenda. Monſtri, dico, aliquid producit quotidie. In dies enim apparent antea in natura ignotæ rerum facies, ſepulta diu in metallis myſteria, exque remotiſſimis terræ oris petita et patefacta ſecreta. Prodiit nuperrime Anglico ſermone huius Societatis hiſtoria *, præclarum opus, dignumque quod

* Auctore *Thoma Sprat*, ſæpius recuſa.

quod non latina tantum ciuitate donetur, ſed omnium terrarum linguis loquatur. Ex Sociis huius Societatis multi multa ét plane egregia ſcripſerunt; latine autem pauci. Proſtat tamen Londini venalis nobiliſſimi *Roberti Boylii* hiſtoria experimentalis de coloribus; eiuſdem Chymiſta Scepticus, ſiue paradoxa Chymico-phyſica circa Spagiricorum principia vulgo dicta hypoſtatica; eiuſdem hiſtoria fluiditatis et ſoliditatis, nec non et alia tentamina chymica; inſignis item tractatus de vſu experimentalis philoſophiæ, qui etiam in Germaniam peruenit. Infinitæ ſunt præterea obſeruationes circa phænomena, cometas, motum Lunæ et Maris planetarumque *Aſtronomica;* circa horologia omnis generis temporumque menſuras, ſclopetorum exploſiones, puluerem nitritum conficiendum, teleſcopia, baroſcopia, hygroſcopia, thermometra *Mechanica;* de rore Maio, de poris in lapidibus, de molliendo acinace in omnes vſus *practica;* de microſcopia et micrographia, item de hydroſtaticis plane miræ. In re autem *Medica* admiranda ſunt multorum reperta de febribus, de ſcorbuto, de motu muſculorum, de anatomia cerebri, ſanguinis et vrinæ inſpectiones per teleſcopia. Inſtrumentorum inuenta pe-

ne

ne innumera, adque humanos vſus accommodata. In hac Societate Rex ipſe Potentiſſimus Philoſophus eſt: Philoſophi ſunt plerique Magnates; nec Angli tantum. Omnes enim omnium terrarum incolæ, induſtria aliqua ſingulari, vel raro aliquo inuento ſpectandi, in communionem huius Regiæ Societatis inuitantur, nulla vel dignitatis, vel, quod rarum eſt, religionis habita ratione. Veram enim de ſacris rebus ſententiam a Deo humanis mentibus inſinuari exiſtimant, prauaſque opiniones ſpatiis temporum debellari, non vi ac imperio, nedum contentioſis argumentandi argutiis. Nam a placitis Theologorum prorſus abſtinent et impulſu credulitatis, contenti auctorem naturæ in ſpectabilibus naturæ operibus contemplari, nihil felicitati eius deeſſe rati præter moderationem et fruendi artem. Hominis itaque in cetera imperium extendere ipſis curæ eſt. Inter Illuſtria illa Nomina vnicum deſidero *Boineburgium*, Heroa inter Doctos, cuius totus Apollo eſt, cuique famulantur vltro Muſæ omnes, omnes Gratiæ. Et quæ Societas, etiam Regia, tanti viri commercium literarium non ambiat? Sed fines epiſtolæ prætergreſſus veniam prolixi ſermonis

nis ſubmiſſe peto. Illuſtris tui Nominis, Generoſiſſime Domine Baro, deuotiſſimus cultor,

R. a Rockwood de Staringfield.

Inſcriptio literarum:

A Monſieur Monſieur le Baron de Boineburg.

à Cologne.

CCCCX.

Conringius commendat *Boineburgio* nomine Principis ſui cauſſam quamdam, diſſerens de *Burgoldenſi*, *Schookio*, *Bœclero* et *Puſendorſio*.

Wolffenbutteli d. 1. Mai. 1668.

Inter moleſtas aulæ occupationes heſterno die literæ tuæ Colonienſes plurimum voluptatis mihi pepererunt variis narrationibus. Nec tamen licet, pro eo atque par erat, et volo, nunc reſpondere. Vt ſane nunc ſtatim aliquid exarem, faciunt literæ additæ, quas Principis iuſſu iam antehac conſcripſi, et nunc mittere iubeor. Saluere te Princeps ſimul mandauit, rogareque, velis cauſſam illam, quantum fieri licet, curare, vel ſaltem indicare, quemadmodum et per quem commodiſſime poſſit expediri. Non dubito, facturum te quod rogaris. Ceterum gratulor ex animo

mo reconciliatum Electoralem fauorem. Nec tamen fortaſſe velis priſtinæ dignitatis loco viuere, lubricitatem aulæ et inſidam amicitiam miniſtrantium expertus, præſertim in illo præcipitio ſenectutis Eminentiſſimi D. Electoris, et Cathedralium multorum erga te odio; ne alia nunc tangam potentiæ aulicæ pericula. Equidem in illud diſcrimen vti te iterum coniicias, haud ſuaſerim. Noſter ille, quem nouiſti, a ſuis huc illuc agitur, pereunte interim ſub *Tranſcendentali* tyrannide vnius, ſed non veri et boni, republica. Creditur matrimonium aliquod Gallicanum iam meditari. Vſque adeo Venus Gallica iam gliſcit per Germaniam in adulterium Martis. De pace inter Hiſpanum et Gallum coalitura haud dubito; multum autem vereor, vt ſit futura diuturna, non tantum ob non euerſam renuntiationem, ſed etiam ob arma Gallicana, in aliquem trium illorum, qui generoſum Regem ad leges pacis præſcriptas auſi fuerunt cogere, ſolique hodie videntur obſtare vaſtæ nouæ monarchiæ condendæ, iam iam expedienda: quorum tamen nullum Hiſpanus deſerere poterit, ſi nonnihil rebus ſuis velit conſultum. Quicquid huius ſit futurum, equidem haud dubito, oriturum hac ipſa æſtate nouum bellum,

ſiue

ſiue aduerſus Heluetios, ſiue contra Anglum, et ex parte contra fœderatos Belgas. Nec enim, etſi velit, Gallus poterit tam numeroſum militem exauctorare, ſine periculo inteſtinorum motuum. Literaria negotia occupationes non permittunt tangere. Faciam hoc alias, vbi plus otii fuero nactus. Interim de *Burgoldenſi* accipe, per annum et alterum habuiſſe me auditorem *Philippum Andream Oldenburger*, niſi fallor, *Holſatum* gente. Is latet ſub nomine *Burgoldenſis*. Libros illius inſpexi quidem; non legi tamen cum cura. Deprehendi induſtriam; ſed nec iudicium limatum inueni, nec peritiam argumento parem. Abieci itaque ſcripta nimium cruda. De *Schoockii* notis optime iudicas. Redolent illæ morbum Scriptoris, quo etiam fuit exſtinctus. In iis nihil ſani: omnia ſunt perquam febriculoſa. Quæſo vero me doce, num certus ſis de *Puſendorſio* auctore aurei ſane libelli. Si BOECLERVS iraſcitur etiam tibi, non dubito, in cauſſa eſſe fauorem tuum erga *Puſendorſium*, quem cane peius et angue odit homo impotentis animi. Vale, Perilluſtris Domine, et breui prolixiores exſpecta.

CCCCXI.

CCCCXI.

Boineburgius, iam ſocer iunioris *Schonbornii*, non audet multum ſperare iubere Comitem commendatum, Principi Hanouerano fœcundum optat coniugium, literaria quædam *Conringio* narrat, et Anonymum ante laudatum nunc nominat.

Coloniæ d. 7. Iun. 1668.

Lenti ac plus quam teſtudinei inter nos literarum ſunt commeatus, maxime earum, quæ a Vobis veniunt. Tuas *Kal. Maii* exaratas paucis demum abhinc diebus ab optimo *Dunkero* noſtro accepi, eaſque geminas. Ad vernaculas paucis habeto. Comiti Mörſburgenſi a multis retro annis ſatis notus, imo familiaris, olim fui: qui honos mihi immerenti, ni fallor, Vinariæ primum, poſt et in prædio aliquo meo, cum iſtic apud me pernoctaret, obtigit anno 1650. Quod illi aduerſæ fortunæ accidit inde, partim ante aliquot annos Moguntiæ, dum metuens eius eſſe incipiebat, ex ipſo cognoui; partim, poſtquam Erfurtenſe negotium fuit compoſitum, palam enotuit. Nihil ſane lubentius efficerem, quam ſi ipſi opera mea prodeſſe poſſem. Sed meæ opis impræſens non eſt, tantas componere lites, neque pu-

blicis curis vacare volupe eſt, nec ea ſum apud Eminentiſſimum Electorem gratia vel auctoritate, vt quicquam polliceri cum effectu poſſim; etſi per connubium, inter nepotem eius, iuniorem *Schonbornium*, filiamque meam recens conſponſum, videri queam ſolito plus dehinc valiturus. Fidem tamen, vel in decus votorum tuorum, cumprimis demiſſiſſimo Principis tui cultu ſtudioque, facio, me hac in re, quoad eius fieri poterit, atque ſi qua in id mihi opportuna facultas ſuppetet, acturum et elaboraturum eſſe, quæ vnquam commodo Comitis vel procurari vel fieri poſſunt. Iam ad latinas tuas literas venio. Vbi iterum legimus Auguſtum Nomen, quod mihi cariſſimum et venerabile eſt. Credas velim, nulla re mihimetipſi ſinceriorem voluptatem creari poſſe, quam ſicunde tanta ad me felicitas redundaret, per quam obſequii mei, Sereniſſimo illi Principi pridem debitiſſimi, et promtitudo et candor et inaffectata facilitas liquido conſtare poſſet. Neque vel deſideriis tuis vel meiſmet deero, quin accurate contendam omni loco omnique tempore me gratia tanti Principis digniorem deinceps efficere. Interim vt benignitati Eius me ſubiectiſſime commendes, etiam atque etiam rogo. Bene

Co-

Comes rebus ſuis conſulet, vbi ad Eminentiſſimi fratrem ſcripſerit, cauſſamque ei ſuam probare ſuſceperit. Non dubito, eius preces, pro eo ac iuſtum et æquum videbitur, exauditum iri. Ab illo, de cuius *Tranſcendentali* ſermo, dudum nil literarum tuli. Opto felix et fœcundum illi coniugium *. Præter vota nil intribuere poſſumus.

Hhhh 2 Pax

* Hoc anno Sereniſſimus Dux IO. FRIDERICVS domum duxit BENEDICTAM ſuam Palatinam, quæ a. d. IX. Nov. in ſacello arcis in manum eius conuenit. Nactus ſum forte fortuna libellum duarum plagularum paucis viſum, inſcriptum: *Der triumphirende Iohann Friderich, oder Fürſtlicher Liebes-Triumph des Durchleuchtigſten Fürſten vnd Herrn* etc. auctore *Conrad. Chriſt. Leopoldo, LL. Studioſo.* Vt nullus liber tam malus, tamque ineptus, quin aliquid ſaltem doceat; ita in hac ineptiarum ſentina eminet Principum conſponſorum ſolennis in vrbem ingreſſus, quem ille teſtis oculatus accurate deſcripſit, nominatis Aulicis et Exteris, qui tantæ pompæ interfuerant. Inter cetera hoc quoque gratum intelligere, in curru principe ſponſam antrorſum ſolam, retrorſum ſponſum vnacum *Eliſabetha* Palatina, Abbatiſſa Heruordienſi, ad ponticulos autem hinc Sereniſſimum *Antonium Vlricum*, illinc Landgrauium Homburgenſem conſidentes vectos fuiſſe.

Pax coiit **, tam diuturna futura, quam vita Regis Iberiæ. Noſtri Summates interim rerum ſatagant ſuarum, et de garantia, pacis corroboramento ac munimine, et fugientis reipublicæ coagulo vnico, tempeſtiue cogitent et efficaciter, ne ab alienis fortuitis fortunæ ipſorum noſtrumque omnium porro dependeant. Galliæ Rex iam pleroſque milites dimittit, prout mihi Pariſiis ſcribitur pro certo, idemque totiens in ſuis ad me literis repetit *Dux Sulzbacenſis* ex aula Gallica. Pace et Lutetiæ d. 28. Maii, et Bruxellæ trigeſimo promulgata, *Collbertus* continuo ad Regem ſuum reditionem feſtinauit, legandus ad Anglum. *Pufendorſium* eſſe Monzambanici aureoli libelli auctorem, ſaltem conſcriptorem vnicum, certus eſto. Edidit nuper diſſertationem *de interregnis*, quam L M Q mitterem, ſi ſcirem, quæ ſic mitto, recte ad te perferri. Miſi antehac et *Leibnizii*, viri docti et Philoſophi, *methodum nouam diſcendi docendique iuris prudentiam.* An acceperis, ne in hanc quidem horam comperi. Vale, vir amiciſſime, meque amare perge.

Catalogum lectionum veſtratium ſemeſtralium, vt-

** Aquisgranenſis.

vtpote tenuem libellum, neque grauem epiſtolæ, mittere, quæſo, ne dedignare. *D. Rachelio* animos fac, ſodes, vt ſua Grotiana edat. Auide exſpecto literas tuas, quales promittis, vberes et prolixas de re libraria. *Bæclerus* mihi dire iraſcitur, omni vento mobilis. Inde propitius rurſum erit, ſi velim.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CCCCXII.

Boineburgius mittit *Conringio* tria exempla libelli Leibnitiani *de ratione Corporis iuris reconcinnandi.*

Coloniæ d. 5. Iul. 1668.

Quamquam nihil a te reſponſi accipere ſoleo; non poſſum tamen, quin mittam libellum, forte placiturum, ſaltem inſtituto ac deſtinatione. Qui nuper præceſſit, *Leibnizii noua methodus diſcendi iuris docendique*, vehementer cupiam ſcire, quomodo placuerit. Si vnum exemplum libelli huius *Cl. Rachelio* meo nomine mitteres, et vnum in bibliothecam Sereniſſimi Ducis Guelferbytum, mire gauderem. Vale et reſcribe. *Bæclerus* nuper rediit ad virtutem officii, vti apographum hoc oſtendit.

CCCCXIII.

I. H. Bæclerus Boineburgio filiæ nuptias gratulatur.

Argentorati d. 8. Iun. 1668.

Illuſtriſſime Domine, Mecænas Maxime.

Nunc demum voti me damnatum intelligo, ex quo mihi fides facta eſt de connubiali fœdere, quod Schonborniam inter et Tuam Domum non ſine manifeſto propitii Numinis fauore contractum eſt. Viuat Illuſtriſſima Herois! Pacis et amicitiæ, quæ Muſis neceſſaria, Reipublicæ ſalutaris eſt, obſes, interpres, nuntia! Oriatur ex floventiſſimis iocis et Gratiarum germinibus ſuboles, nil niſi quod publice lætum, decorum, illuſtre, orbi illatura. Vnum et ſolum hoc erat, quod diuulſa copularet, et animorum vulnera ſanaret, et metus et ſuſpiciones in ſpem et fiduciam reduceret. Sit ſincerum et ſanctum atque vtrique familiæ proprium, quodcumque boni diuina benignitas in poſterum parat. Non poterit maior eſſe populorum ex pace publica Europæ exultatio, quam illud gaudium, quo ex noua neceſſitudine veſtra totus perfundor. Iuuat nunc libere venerari vtra-

que

que Numina, et ſollicitudo temporum decedit animo. Quo nomine immortales Deo gratias ago, vtrique Illuſtriſſimæ Domui gratulor, et, ne obſequiis meis inter clientulos veſtros locus patere deſinat, ſupplex oro. Deus Te, Illuſtriſſime Domine, cum inclyta Matrona et florentiſſimis vtriuſque ſexus liberis nouiſque Sponſis, ſoſpitet conſeruetque! Illuſtriſſimæ Tuæ Excellentiæ deuotiſſimus

I. H. Bœclerus.

CCCCXIV.

Conringius inter alia *Boineburgio* de ſubmiſſa ratione Corporis Iuris reconciunandi* mentem ſuam libere explicat.

Helmſtad. d. 30. Iul. 1668.

Quas *d. 7. Iunii* exaraſti, ego viceſimo primo ſcriptas *d. 5. Iulii* nudius demum tertius accepi. Vtriſque reſpondebo. Ante omnia vero gratias ago pro communicata epiſtola *Oppenheimenſi* de ſtudiis Anglicanis. Et vero etiam mihi perplacent

Hhhh 4 An-

* Hic enim libellus, licet ſerius miſſus, alterum illum de *methodo*, qui præcurrere debebat, mittentis ſocordia in itinere anteuerterat.

Anglicani collegii Regii conatus, quos epiſtola illa laudat. Nec enim dubito, viros adeo multos, otio et ingenio et rebus abundantes, poſſe multum præſtare. At vero ſentio, pleriſque deeſſe idoneam Logices peritiam: etiam illi, quem præ reliquis epiſtola laudat, Nobiliſſimo *Boylio*; quamuis ſit empiricus ſine exemplo maximus. Nec vero ſine exacta notitia *Apodictica* ex ſingularibus experimentis propoſitiones vniuerſales, aut ex hiſce ſyllogiſmos demonſtratiuos colligere eſt. Quin tamen aliis demonſtrandi peritis illa Anglicana poſſint multum prodeſſe, haud equidem dubito. Ego ipſis gratias ago maximas, cumprimis quod in philoſophia *Ariſtotelica*, quam illi Angli ignorant, magis magiſque factus fuerim confirmatior. Ephemerides *Pariſienſes* indubie tibi etiam, Periluſtris Domine, notiſſimæ ſunt; mihi tamen illæ duntaxat lectæ ſunt, quas latine vertit non nemo, vnoque edidit volumine Lipſiæ. Placet labor vtilitate ſua pariter et cenſuræ candore.

Nouam methodum iuris Leibnitzii nondum miſit *Dunckerus* noſter. Vbi accepero, eiuſque vim intellexero, non diſſimulabo ſententiam. Spero autem, propediem miſſum iri libellum commoda oblata occaſione.

De

De *pace Gallica* idem tecum ſentio. Omnes prætextus belli manſere integri. Tantum vi fœderatorum pax imperata eſt: illa durante ſibi conſlitura; cadente, lapſura. Nec enim ſiue conſilia, ſiue vires Germaniæ noſtræ Procerum ad pacis ſtabilimentum faciunt quidquam; luxu et ſocordia omnibus, ſi nondum perditis, ſaltem pereuntibus. Idem iudico de Hiſpanis et Italicis, ne Papa quidem excepto; quamuis hic *Alexandrum* ſuperet clementia et bonitate. Comiti Mörlburgenſi, imo et Principi meo Sereniſſimo, excerpta literarum tuarum miſi. Hic multum te viciſſim ſaluere iuſſit: ab altero nihil hactenus mihi eſt redditum.

Trium, quæ vltimis miſiſti, exemplarium libelli *de ratione Corporis Iuris reconcinnandi*, prout iuſſiſti, mittam alterum in vſum Auguſtæ Bibliothecæ; alterum *Rachelio* noſtro; tertium mihi retinebo, et meo, et aliorum nomine iam tum agens gratias. Vellem addidiſſes nomen et locum Auctoris. Vt ingenue dicam quod ſentio, conatus perplacet; vereor autem, deſiderio eximii ſane Scriptoris vnquam ſatis iri factum. Cum enim ne in vna quidem republica hodie Ius illud Iuſtinianeum, quale accepimus, poſſit ex vſu mutari;

quid ſperauerim de vniuerſa Europa, quæ hodie illo iure potiſſimum regitur? Et tamen auctor non vni, ſed omnibus Europæ rebus publicis vult conſultum. An vero eſt ſimile, omnem Europam in illam *reconcinnationem* conſenſuram? Ego plurimum dubito, præſertim quia reclamaturi ſunt omnes noſtri *Doctores Iuris*, quorum circulos *reconcinnatio* iſthæc plurimum turbat. Nec ea ſolum, quæ auctor agnoſcit, vitia, me quidem iudice, foris noſtris nocent; ſed multa præterea alia. Quid de noſtra Germania ego quidem exiſtimem, indicaui ingenue capite vltimo libelli *de Origine Iuris Germanici:* quem vti auctor legere dignetur, rogo; quanquam tuam potius ſententiam deſiderem. Maneat *Romani iuris corpus* illud, quale accepimus. Vtinam haberemus aliquod, noſtro foro magis commodum! Vidi nuper editum in Gallia *Codicem Ludouicianum*, qui meo iudicio continet præclara multa; ſed pleraque ciuilia negotia ne attingit quidem. Longe præſtat *Introductio Grotiana in Hollandicam Iuriſprudentiam.* *Eichelius* noſter breuiorem iuris methodum meditatur, cuius quæ vidi, perplacent. Vtinam non ſit in diem, quod minitatur! Vt ad libellum vero tuum redeam, quamuis talem *re-*

con-

concinnationem Europa nunquam ſit admiſſura; multa tamen peregregia plagulis illis continentur, quæue non ſunt plebeii Doctorum noſtrorum ſaporis. Itaque vti pergat auctor in præclaro inſtituto, Romana iura rebus noſtris reddendi aptiora, optarim equidem.

Monzambani ſub nomine *Puſendorſium* latere, quoniam vetas dubitare, credam et ego impoſterum. Illi meo nomine, rogo, ſalutem dicas plurimam. Eius *de interregnis* libellum auide exſpecto, curabitque fortaſſis *Dünckerus* noſter vna cum illo altero *Leibniziano*. *Bœclerum* reſipiſcere gaudeo. Vtinam et mihi deſinat ſuccenſere! Nec vero vel ego virum vlla læſi ratione. Ceterum illius votis iungo mea, vtque vna cum tuis diu ſuperſis felix atque incolumis, equidem Deum obſecro.

CCCCXV.

Conringius diſſuadet *Boineburgio* Legationem Neoburgicam in Poloniam, prædicens, fruſtra id omne negotium futurum.

Helmſtad. d. 18. Febr. 1669.

Longa abſentia tua, et negotiorum ingens moles, prohibuerunt aliquamdiu nonnihil ad te lite-

ra-

rarum dare. Diligenter tamen ſemper in res tuas inquiſiui: quas cum ex *Dunckero* recte ſeſe habere intellexi, duxi officii eſſe acquieſcere, nec turbare magna tua inſtituta. Ne nunc quidem mutarem animum, niſi *Dunckerus*, propediem in *Poloniam* te cogitare, nuperrime ſignificaſſet. Nam et longinquitas illius itineris, et Legationis ſumma difficultas ſalutare te abiturientem iubent, et fauſta quæque tibi apprecari. Et vero vtrumque iam facio; quanquam animo, ne quid diſſimulem, non nihil turbato et ſollicito. Enim vero non fugit me negotium, quod agitandum ſuſcipis *. Simul autem exiſtimo, vix aliquod te facturum pretium operæ in gente perquam tumida et turbulenta, interque validos adeo competitores. Vtinam,

* PHILIPPVS GVILIELMVS, Princeps Neoburgicus et poſtremo Elector Palatinus, in primo toro habuerat *Annam Catharinam Conſtantiam*, IOANNIS CASIMIRI, Poloniarum Regis e ſtirpe Iagellonica vltimi ſororem vnicam. Quo abdicationem regni meditante, Condæo coronam ambienti oppoſitus fuit a Cæſare candidatus Neoburgicus, ob ſanguinis coniunctionem potior. Quam varie autem a teneris IO. CASIMIRVS iactatus fuerit, docebunt ſubiecta anecdota, quæ ex ſcriniis Oxenſtirniorum in noſtra commigrarunt.

nam, mi Domine, ſaluum te atque incolumem Deus nobis reddat! Vlterius ne ſperare quidem auſim aliquid. Ego certe nunquam tibi huius conſilii fuiſſem auctor; præſertim cum ſatis ſit reparata dignitas tua, et viuas in re lauta, felixque multis neceſſitudinibus. Et vero alteram quoque filiarum nupturam Electoris Treuirenſis ex fratre nepoti, ſumma cum voluptate intellexi **. Si perſtat tamen eundi ſententia; proſequar te voto meo et ſeriis precibus. Angelus Domini cuſtodiat te euntem, redeuntemque! Ita Deum precor. Perilluſtris Excellentiæ Tuæ deditiſſimus

Herm. Conringius.

CCCCXVI.

IOANNIS CASIMIRI, Poloniæ et Sueciæ Principis, Teſtamentum, conditum Saloni * anno 1638. in cuſtodia Gallica.

Ego IOANNES CASIMIRVS, Dei gratia Poloniæ Sueciæque Princeps, ſanus mente et corpore, conſili-

** Vnde intellexerit, mox videbimus.

* SALONVM oppidum eſt medio itinere inter Aquas Sextias et Arelaten ſitum, *Michaëlis Noſtradami* natalibus, vaticiniis et ſepulcro clarum, quod vidimus in peregrinatione Gallica.

ſtitutus autem in captiuitate **, et iniquo Gallorum imperio poteſtatique ſubiacens, memor inſidioſæ mortis, quam vel fata mea, vel violentæ manus mihi inferre poſſent, teſtamentum hoc vltimæ voluntatis meæ, libere maturoque iudicio ac ſana mente, confeci, manuque propria ob maiorem fidem conſcripſi.

Imprimis itaque proteſtor coram Deo et Sanctis, me moriturum in obedientia Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ, cum deteſtatione omnium contrariorum dogmatum, ipſorumque hæreticorum, ab Eccleſia eadem damnatorum.

Secundo præſentem iniuriam, quam a Rege Galliarum Ludouico XIII. eiuſque Miniſtris patior, ex corde et coram Deo dimitto et condono, in quantum priuatam perſonam meam læſerunt. Quod ſi autem meorum quiſpiam hanc ignominiam vlciſci velit, liberum ei permitto.

Si itaque in hac miſera captiuitate, aut in regno

** Cum Genuæ navim conſcendiſſet neſcio quorſum excurſurus, ad litus Marticenſe eiectus, iuſſu *Riceliaci* Cardinalis in carcerem compactus fuit, quod ſuſpicio eſſet, capeſſendæ gubernationis cauſſa eum in Luſitaniam tendere.

gno Galliarum, vel quouis alio extra Poloniam loco me mori contigerit; obteſtor præſentem familiam meam, vt meum corpus in Poloniam non deuehant, ſed in proximo templo Patrum Societatis Ieſu, non alia pompa et cerimonia ſepeliant, quam ipſis Patribus conſueta. Quare et habitu eiuſdem Religionis veſtiri cadauer meum volo, propter rationes, quas ſoli *Confeſſario* concredidi.

Ex pecunia præſente vel cambio volo, vt octo millia florenorum Polonicalium ſeparentur pro reductione familiæ relictæ in Poloniam; quicquid vero ſupra octo millia fuerit, totum Patribus Societatis Ieſu, in loco aut collegio ſepulturæ meæ, tradatur. Hæc vt ita fiant, obligo conſcientiam *Confeſſarii* mei, qui omnia executioni mandabit, fruſtra quibuſcunque renitentibus: etiam ad id inuocare debeat poteſtatem aliquam ſiue ſecularem, ſiue ſpiritualem.

De rebus autem meis, in Polonia exiſtentibus, ita diſpono:

Primo, omnia Cleinodia totaque ſuppellex aurea et argentea, quæ nemini a me infra peculiariter legata, vendi debent. Similiter rogandus Sereniſſimus Rex, vt reditus mei etiam poſt obitum meum vſque ad proxime ſequentem terminum in-

integre mihi obueniant. Similiter et Sereniſſimus Imperator rogandus, vt penſionem, quam habeo in Sileſia, extradi in termino et rata, obitum meum proxime ſubſequente, faciat.

Ex coaceruatis itaque his pecuniis lego pro templo *Nieporenti* ædificando ex parentum meorum voto duodecim millia florenorum Polonicalium, quæ conuerti debent in ſtructuram templi. Deinde pro fundatione vnius Parochi et duorum Vicariorum, quantum ſatis eſt, ab hac pecunia ſumendum, addito pretio decimarum retentarum a tempore, quo retentæ ſunt in ſpem futuri templi et Parochi; quæ decimæ ſoluendæ ex prædicta quoque ſumma. pretium in fundationem conuertendum.

Hoc templum dicari debet in honorem *Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis.* In hoc templo tria Altaria eſſe debent: maius Beatiſſimæ Virginis: ad dextram Sanctæ Victoriæ: ad ſiniſtram Sanctæ Mariæ Magdalenæ. Reſta huius pecuniæ tota diſtribuenda in templa, vt ſacra pro anima mea celebrentur, et Xenodochia.

Ex pecunia vero redituum Sancti Ioannis ſoluenda tota familia mea, non plus, quam ab vltima ſolutione cuiuis obuenerit. Et quia reſtant adhuc

adhuc aliquot millia florenorum ex ſolutione Militiæ apud Sereniſſimum Imperatorem, lego hæc Patribus Societatis Ieſu Domus Profeſſæ Warſauiæ.

Sunt in theſauro meo duæ ſtatuæ aureæ, quarum vnam deſtino ad ædem Lauretanam in Italiam; alteram ad templum Martini Warſauiæ Patrum Auguſtinianorum.

Patribus Societatis Ieſu Domus Profeſſæ Warſauiæ lego imprimis imagines meas, tam argenteas, quam aureas et pictas ſacras, excepta maxima: de qua infra.

Item iiſdem Patribus Societatis Ieſu Warſauiæ periſtromata, confecta ex rubro holoſerico et panno aureo pro parietibus templi. Iiſdem Patribus veſtem albam phrygio opere factam et nondum perfecte conſutam cum pallio pro caſula. Iiſdem Patribus reddendum ſtabulum, quod ab ipſis accepi, ſitum in ſuburbio Cracouienſi. Hortus quoque, a Giſiis ſi emptus iam eſt*, iiſdem Patribus cum omnibus attinentiis cedere debet. Si vero nondum emptus, impoſterum non eſt emendus. Cetera periſtromata mea diſtribuenda locis et Collegiis Patrum Societatis Ieſu per Prouinciam Lituaniæ.

Ex cortinis autem ſiue conopeis lectorum veſtes ſacræ faciendæ pro templo *Nieporentenſi*, cui tem-

plo etiam deſtino ciſtam cum ſuppellectile ſacra argentea.

Pro templo ſiue Oratorio Sancti *Bennonis* apud Orphanos Warſauiæ lego quotidianum apparatum ſacrum totum, cum omnibus caſulis, candelabris argenteis, calice, ampullis etc. Similiter pro ipſis Orphanis pannum nigrum, quo veſtiebantur tempore luctus parietes, cum omnibus vtenſilibus triclinii ex ſtanno, ferro et cupro.

Legata peculiaria.

Primo, Sereniſſimo Regi gladium meum, adamantibus ornatum, cum circulo, calcaribus, cleinodio et cinctura pro pileo, nadulis adamantinis et ligulis ad id ſpectantibus.

Eidem Sereniſſimo Regi alterum gladium meum cum manubrio aureo et calcaribus ad id ſpectantibus.

Eidem Sereniſſimo Regi equile meum, quod habeo in *Blockolw*, exemptis ſex equis caſtratis currulibus, quos lego Patribus Societatis Ieſu, Breſlæ exiſtentibus.

Secundo, Sereniſſimæ Reginæ lego annulum, in quo deſponſata olim mater mea Patri meo.

Eidem Sereniſſimæ Reginæ lego ſcutulam eburneam, nuper a me emptam.

Ter-

Tertio, Sereniſſimo *Carolo*, Fratri meo, lego pagum *Nieporent*, cum omnibus attinentiis, hac obligatione, vt exſequatur templi ædificationem, et Parochi cum Vicariis fundationem. Eidem lego imaginem maximam argenteam. Eidem omnes libros ſpirituales, auro ornatos. Eidem horologia mea omnia, tam maiora, quam minora. Eidem *poſitiuum* maius pro templo *Nieporentenſi*; minus pro ipſius proprio vſu. *Clauicimbulum* autem, quod eſt *Nieporenti*, templo Sancti *Bennonis*, quod eſt Warſauiæ. Obligo eundem, vt prædium meum *Falkenau*, quod ab ipſo emi, in Sileſia ſitum, totum, cum omnibus attinentiis et priuilegiis, tradat Patribus Societatis Ieſu Collegii *Niſſenſis* perpetuo iure, quo et ego illud emi. Lego quoque eidem omnes pictas imagines profanas.

Quarto, Sereniſſimæ *Sorori* meæ tria cleinodia, quæ ſibi ad placitum delegerit.

Seruitoribus meis:

1. Patri Confeſſori, *Georgio Leier*, mille florenos Polonicales.
2. Domino *Butler* equum ab Archiduce *Leopoldo* cum veſtibus phrygiatis viridibus et ephippio viridi. Eidem veſtes rubras phrygiatas, quibus

vſus ſum Viennæ, deſponſando Sereniſſimam Reginam.

3. *Aderkas* equum Turcicum caſtratum, cum ornamentis ſiue phaleris argenteis. Item frameam Polonicam, auro ornatam, quæ eſt apud meum veſtiarium.

4. Domino *Denhof* equum, *Cholvezik* dictum, et veſtem cæruleam, auro et argento phrygiatam.

5. *Opazki* veſtes nigras phrygiatas.

6. *Rotoirez* veſtes rubras argento fimbriatas, cum ſimili ephippio.

7. *Philippo* veſtes phrygiatas argento.

8. Domino *Forbes* in compenſam veſtium ipſius, quas diſtribui, omnes veſtes meas Hiſpanicas.

9. Doctori Medico, *Felbero*, torquem auream, cum nummo imaginis meæ.

10. *Georgio* Chirurgo peluim argenteam, qua vtor in tonſione. Item ſartaginem argenteam, cuius in tenſione vſus ſum: Pectines omnes, auro argentoque ornatos: pectinaria omnia phrygiata.

Huius itaque vltimæ voluntatis exſecutores eſſe volo, et, vt eſſe velint, oro, in primis Sereniſ-

ſi-

ſimum Regem; ſecundo Sereniſſimum CAROLVM; tertio Illuſtriſſimum ac Reuerendiſſimum Dominum *Gembicki*, Cancellarium Magnum, et Illuſtriſſimum et Magnificum Dominum *Oſſolinſki*, Vice-Cancellarium: quorum fidem et conſcientiam in his omnibus obligo. Saloni d. 17. Aug. Anno Dni 1638.

(L. S.) *Ioannes Caſimirus*, Princeps. manu propria.

CCCCXVII.

Narratio authentica de Sereniſſimi CASIMIRI in Societatem ingreſſu.

Sereniſſimus IOANNES CASIMIRVS, Poloniæ et Sueciæ Princeps, Laureti in Societatis Ieſu Collegium ingreſſus, ſancti Patris IGNATII ſe exercitiis excoluit, directore Reuerendo Patre, *Alexandro Pelegrino*, Collegii Rectore, ab eoque a totius vitæ peccatis, per generalem confeſſionem detectis, abſolutus. Quibus peractis, quoniam ad Societatem ab Admodum Reuerendo Patre *Generali* fuit admiſſus, conſentiente Rege Fratre, qui So-

cietatem præ ceteris Religionibus ſuaſerat, depoſitis capillis et Societatis veſte indutus, lætus et gaudens famulos dimiſit, non minus conſternatos, quam mœſtos, atque ita inter noſtros agere cœpit adeo modeſte et religioſe, vt præ ſe ferret multorum annorum Religioſum.

Interea temporis Pontifex, cui hæc erant ſignificata, et qui ſciebat, illum Romam venturum, miſit *Marchionem de Sancta Cruce*, qui prius ſuo nomine ſalutatum ad ſe acciperet, et curru vſque Romam deduceret, oblato Breui Apoſtolico, quo ad Palatium Vaticanum inuitabatur. Sed ille, religioſa cum modeſtia gratiis actis, omnem hanc commoditatem et honorem ſubterfugiens, more Societatis conſueto, itineri ſe dedit. Conducti erant equi ordinarii, quibus ille, Pater Rector et Socius veherentur cum famulo, qui, ſi opus eſſet, illi in via miniſtraret. In via Nobiles varii, Gubernatores locorum, aliique Prælati, præcipue vero tres Cardinales, *Celius*, *Polus* et *Sauelli*, diuerſis quiſque locis, illum voluerunt excipere et tractare; ſed ille, conſtanti humilitate gratiiſque actis, prætulit inchoatum iter modeſte et religioſe perficere.

Se-

Secunda Octobris ſub noctem peruenit Romam, et ad *Profeſſorum* domum diuertit. Hic ad ianuam domus illum excepit admodum Reuerendus Pater noſter *Generalis*, ad cuius pedes vbi ſe abieciſſet ille, prius ſurgere noluit, quam ab eo paternam accepiſſet benedictionem. Duxit illum ſtatim Reuerendus Pater *Generalis* ad ſalutandum venerabile Sacramentum cubiculi *Farneſii* Cardinalis, Fundatoris: quod vbi intellexit ſibi eſſe deſtinatum, humiliter detrectauit, petiitque locum, qualem ceteri haberent. Atque ita ad Infirmorum cubiculum, non multum inde diſtans, deductus eſt a Patre *Generali*, qui illum illic dicto vale voluit relinquere. Sed ille, prius comitatus admodum Reuerendum Patrem *Generalem* redeuntem ad proprium conclaue, ſubinde ad ſuum rediit. Hic a ceteris Patribus aliiſque, qui tum venerant, more noſtro, fraterno complexu et titulo *Reuerentia Veſtra* eſt ſalutatus. Hoc veſperi, quoniam ceteri in Refectione feria ſexta collationem ſumebant, ipſe in Infirmaria cœnauit cum ceteris viæ comitibus.

Tertia Octobris mane ſacrum audiuit in ſacello, quod fuit olim cubiculum, in quo Sanctus IGNATIVS vixit et mortuus eſt, et poſt illum beatus *Fran-*

ciſcus Borgias. Poſt ſacrum a variis, qui ex Collegio Romano venerunt, eſt ſalutatus. In prandio et cœna huius diei, ſicut et aliorum duorum, quibus inter *Profeſſos* manſit, communi menſæ fuit adhibitus, et collocatus iuxta Reuerendum Patrem Præpoſitum, *quadrato*, vt ceteri ſolent, tectus. A meridie templum et domum luſtrauit, varioſque, qui ex aliis vrbis locis acceſſerunt, religioſo complexu excepit, ab iiſque magno lætitiæ ſenſu exceptus eſt. Poſtea a Reuerendo Patre Præpoſito aliiſque Patribus deductus ad cubiculum, ad ſcribendas literas Regi fratri, Cæſari, aliiſque (nam dies *Poſtæ* erat) ſe accinxit. Poſtea Reuerendus Pater noſter illum viſitauit, atque ab eo digreſſus, miſit Patrem Rectorem Lauretanum, qui ſignificaret Pontifici, aduenifſe IOANNEM CASIMIRVM, peteretque, illum ad oſcula pedum admittere ne grauaretur. Reſpondit Pontifex, ſibi gratum accidiſſe illius ad vrbem aduentum; vt poſtridie ad ſe veniret; mane, accepturum illum libenter.

Quarta Octobris IOANNES CASIMIRVS cum Patre Rectore Lauretano mature ſe contulit ad Palatium, magna cum defatigatione et ſudore, quod minus aſſueuiſſet pedibus ambulare, et in longa veſte et

pallio

pallio. Vbi ad Palatium eſt ventum, Pontifex ſacrum audiebat; cui continuo eſt ſignificatum, adeſſe CASIMIRVM. Quem ille iuſſit interrogare, quomodo tractari vellet; et reſponſum: more religioſo, ſi ita placuerit ſuæ Beatitudini. Sacro abſoluto, illum admiſit, ſuamque manum obtulit obſculandam; ſed ille prouolutus ad pedes, illos eſt oſculatus. Poſt oſculum ſedere iuſſus, tegereque caput, et compellatus titulo *Altezza*. Oſtendit Pontifex ſuum de aduentu illius et Religionis ingreſſu gaudium, et præmiſſa gratulatione, ad conſtantiam vitæque ſanctitatem eſt adhortatus, ſermone ſat longo. Ac demum data benedictione illum a ſe dimiſit, vbi in diſceſſu Pater Rector et ille gratias egerunt pro humanitate tam eximia. Reſpondit Pontifex, ſe titulum et honorem propter ſanguinem et familiam dediſſe; vſurum ſe alias, ſi redierit, modo familiari et domeſtico. A Pontifice digreſſus, ſalutauit Cardinalem *Barberinum*. Is non vulgari humanitate CASIMIRVM excepit, non ſolum illi dextrum porrigendo latus, ſed etiam refundendo viſitationem, quam excurrens ad domum profeſſam circa veſperam exhibuit. Salutatis denique ſanctis liminibus SS. Apoſtolorum repedauit domum, non parum ſu-

dans et defatigatus, recuſato curru, quem Cardinalis *Sauelli*, Poloniæ Protector, offerebat.

Quinta Octobris cum ſacro Reuerendus Pater *Generalis* miniſtraſſet, ipſe cum Patre *Aſſiſtente* Germaniæ, et Patre Rectore Lauretano, aliiſque tribus, curru vectus, viſitauit Eccleſias nouem. Ac primo Vaticanam Sancti *Petri;* ſecundo Sancti *Pauli;* tertio *trium fontium*, vbi Sanctus *Paulus* capite plexus eſt; quarto *Annuntiatæ;* quinto S. *Sebaſtiani.* His viſitatis, rediit ad prandium domum: quod dum ſumit, defertur munus a Pontifice miſſum, quale ſolet Regi præſenti offerri: duo vituli boni; quinquaginta circiter paria caponum aliæque aues. Poſt prandium ad currum vocatus, ad ceteras quatuor Eccleſias perrexit.

Sexta Octobris poſt prandium, in Collegio Romano ſumptum, rediit ad domum profeſſam, atque hinc ad *Nouitiatum* ductus eſt a Reuerendo Patre *Aſſiſtente* Germaniæ, Reuerendo Patre Prouinciali Romano, atque aliis. Hic primo ductus eſt ad templum, vbi, ſalutato venerabili Sacramento, ſe conuertit ad ſancta limina Beati *Staniſlai*, cui ſe feruenter commendauit. Templo egreſſus inuenit Reuerendum Patrem Generalem, qui venerat illum traditurus Rectori et Magiſtro *Nouitiorum.* Hic

CA-

CASIMIRVS prouolutus ad pedes Reuerendi Patris *Generalis*, benedictionem petiit et excepit cum lacrimis: quas ſimiliter optimus ſenex continere non potuit. Poſt diſceſſum Patris *Generalis*, ipſe Reuerendus Pater *Prouincialis* Romanus illum deduxit ad cubiculum paratum, commodum illud ſatis et amplum: quod ille licet detrectaſſet, iuſſus tamen eſt acceptare, ſaltem ad aliquot dies. Subinde a Patre *Prouinciali* benedictionem petiit, rogauitque, omnes ſibi condonari, quas commiſiſſet, defectus. Atque ita a Reuerendo Patre *Aſſiſtente*, Reuerendo Patre *Prouinciali*, aliiſque, qui aderant, derelictus eſt in *Nouitiatu* cum Reuerendo Patre Lauretano Rectore.

Deus, quod in illo cœpit, confirmet, ſolidetque et ad finem perfectum deducat, et Societatem vniuerſam pro ſui nominis gloria pergat tueri, fouere, augereque!

CCCCXVIII.

Sereniſſimi IOANNIS CASIMIRI epiſtola ad Sereniſſimum Fratrem, Poloniæ et Succiæ Regem.

Sacra Regia Maieſtas!

Agnoſcens expreſſionem affectus, non modo fra-

ſraterni, ſed etiam paterni, quem mihi repræſentat humaniſſima hæc Maieſtatis Veſtræ epiſtola, ſummas benignitati ſuæ gratias refero. Reſolutio a me facta ingrediendi in Societatem Ieſu non potuit Maieſtati Veſtræ eſſe inexſpectata, cum ego ſciam, petiiſſe me facultatem a Maieſtate Veſtra religioſæ vitæ ſuſcipiendæ per Patrem *Georgium Leier*, tunc meum *Confeſſarium*. Cui placuit Maieſtati Veſtræ eam benigne concedere, addendo etiam, quando mihi eſſet eiuſmodi conſilium, cur non eligerem potius Societatem: imo ad maiorem declarationem voluntatis ſuæ, ſubiungere dignata eſt, bene me poſſe decernere, cum eſſem maturæ ætatis. Quocirca totam reſolutionem meæ liberæ voluntati relinquebat. Addidit etiam, quaſi concludens, vt, re bene examinata, quidquid decreuiſſem, nulla interpoſita mora exſecutioni mandarem.

Neque id mihi ſatis fuit; ſed ego ipſe hac eadem de re locutus poſtea fui cum Maieſtate Veſtra, quæ meis annuit poſtulatis, declarando, probaturam ſe quidquid cepiſſem conſilii de nouo vitæ ſtatu eligendo.

Præterea in vltimo e Polonia diſceſſu commendaui Maieſtati Veſtræ aliquot de familia mea, rogan-

gando in ſpecie, vt, ſi indicata alias mea reſolutio fuiſſet exſecutioni mandata, dignaretur eis penſionem concedere: qui ne memoria exciderent, exhibui Maieſtati Veſtræ charta deſcriptos, quam pro ſumma benignitate Regia manu confirmauit. Eiuſmodi facultas, toties et tot modis et tam expreſſè a me petita, potuit Maieſtati Veſtræ aperte declarare animum meum, ſicut prompta Maieſtatis Veſtræ conceſſio me certum reddere, quid Maieſtas Veſtra hac in re ſentiret.

Ego ſane in hac re tanti momenti quidquam ſtatuere auſus non fuiſſem, niſi obtenta Maieſtatis Veſtræ facultate, et quidem expreſſa. Nec admodum Reuerendus Pater noſter *Generalis* me in Societatem admiſiſſet, niſi certo et abſque omni tergiuerſatione ſciuiſſet ex me, qui, vt certiores facerem Patres, quomodo ſe res haberet, omnia, quæ modo memoraui, diſtincte expoſui.

Verum quidem eſt, tempus aliquod lapſum fuiſſe inter petitam obtentamque facultatem, et mandatum exſecutioni propoſitum. Debui enim multum diſcutere, et ſine dubio longioris ſpatium temporis requirebatur in tali electione.

No n

Non ſuſcepi religioſum habitum leuitate ductus, aut ſcrupulo voti quondam emiſſi, quia probe teneo, me fuiſſe abſolutum; ſed religioſæ vitæ inſtitutum elegi, vt reſponderem vocanti Deo, et peccatorum meorum agerem pœnitentiam, et ſecuram, quantum fieri poteſt, animæ meæ ſalutem redderem.

Fieri id nullo modo poteſt, vt de egreſſu de religione ſub quouis prætextu aut colore tractetur. Et profecto quando ego vel leuitate deceptus, vel tædio victus actionem tam indignam meditarer aggredi, pro certo habeo, fore, vt Maieſtas Veſtra me labantem in vocatione confirmaret, cum nullo pacto adduci poſſim, vt credam, Maieſtatem Veſtrem notam ignominiæ adeo indignam inuri Regiæ ſuæ Perſonæ et familiæ noſtræ ſiniturum, vt hoc tempore et ſeculis conſecuturis toto orbe terrarum diceretur, a noſtro ſanguine vnum fuiſſe, qui digito commonſtraretur, et Italico dicterio derideretur *Frate sfratato*.

Rogo itaque toto cordis affectu, vt dignetur Maieſtas Veſtra probare, quod feci. Neque enim Maieſtati Veſtræ pro ſumma prudentia diſplicere poteſt non modo quod ſemel ipſa probauit, ſed quod ſemper a cordatis viris probandum eſt, vt-

pote

pote ſanctum. Dignetur Maieſtas Veſtra legere exemplaria epiſtolarum, quas ad me ſcripſerunt Sacra Cæſarea Maieſtas, aliique Principes, qui tanta cum pietate non ſolum probant, ſed et commendant factam a me reſolutionem vitæ Religioſæ ſuſceptæ. Et nominatim erga Societatem Ieſu velit Maieſtas veſtra, quemadmodum ex animo obnixe rogo, ſuum conformare affectum cum ſententia tot Principum, nobiſque tam arcto ſanguinis nexu coniunctorum: in eo etiam mihi gratificando, vt me tractet titulis; religioſo ſtatui conuenientibus.

Hic dominico proxime præterito ſuſcepturus eram ſacros ordines. Viſis autem Maieſtatis Veſtræ literis, imperatum mihi fuit ab admodum Reuerendo Patre noſtro *Generali*, vt differrem, donec venire poſſit reſponſum Maieſtatis Veſtræ iſtarum epiſtolarum. Tantum abeſt, vt cogant et compellant me. Rogo Maieſtatem Veſtram affectu, quo poſſum, maximo, vt ſinat me in mea vocatione manere, cum ob allatas rationes æternæ ſalutis animæ meæ et ſeruitii Dei; tum et ob rationes humanæ prudentiæ. Quicumque enim adhibeatur color, vel præcepti Pontificii, vel violentiæ ex parte Maieſtatis Veſtræ mihi Sacræ, turpi-

pitudinis notam ex leuitate contractam delere non poſſet. Ne ergo ſim ludibrio orbi, liceat mihi in Dei ſeruitio perſeuerare.

CCCCXIX.

Clementiſſimi Fratris Noſtri, IOANNIS CASIMIRI, epiſtola ad admodum Reuerendum Dominum *Andream Baſcum*, Canonicum Warmienſem, Capellanum Sereniſſimi Regis Poloniæ et Sueciæ.

Perilluſtris Domine Canonice.

De meo felici Romam aduentu non dubito Dominationem Veſtram ab aliis intellexiſſe. Verum quomodo fuerim a noſtro Patre *Generali* exceptus, non credo ab alio melius, quam a me, poſſe informari. Vere illi dico, ſi fuiſſem proprius eius filius, non potuiſſet me maiori cum amore ſuſcipere. Quam vero fuerim contentus videndo hunc ſanctum ſenem, facile poteſt Dominatio Veſtra ſibi imaginari. Dico libere, me tantum guſtum ex hac vita Religioſa percipere, vt exiſtimem, me eſſe in paradiſo. Nec res eſt in mundo hoc, excepta ſola morte, quæ me de hac vita retrahere valeat. Ideo non imaginetur ſibi quiſquam, ſe poſſe vel dignitate aliqua imaginabili, vel aliis illecebris immutare meam voluntatem; neque atten-

tet

tet vllus quacunque imaginatione hanc meam turbare quietem. Quamuis enim mihi offerrentur omnes purpuræ et Coronæ, abſolute, relictis iam ſemel honoribus huius mundi, nullam acceptarem *. Rogo itaque Dominationem Veſtram, vt et ipſa ſit quieta, et neminem in eandem nauem imponat. Sum enim iam reſolutiſſimus viuere et mori in hac ſancta Religione. Atque me his ex corde Dominationi Veſtræ commendo.

Veſtræ Dominationis multum Reuerendæ

ſeruus in Chriſto

Romæ ex Nouitiatu d. 2. Ianuarii 1644.

Ioannes Caſimirus, Nouitius Societatis Ieſu.

CCCCXX.

Copie de Lettre ſecrete eſcrite de Varſovie le 22. Fevr. 1668.

Il y a deja aujourd'huy cinq ſemaines, depuis que noſtre Diete generale dure; et pour dire vray, elle

* Retractus tamen in regnum, et in eo perpetuo vexatus, fortunæ ſe per abdicationem ſubducere inſtituit, cum regni coadiutorem fruſtra quæſiuiſſet. Tumultuantium comitiorum ſpecimen en! accipe.

elle ne s'eſt pas encor commençée. ſi eſt ce que dans huict jours il la faudroit finir ſelon la Loy. La raiſon de ce delay eſt celle, que des que la Chambre Baſſe a commencé de traiter une matiere touchant la relegation des Miniſtres eſtrangers, elle la traite encor, diſant des outrages et faiſans des affronts inouïs à Monſieur l'Ambaſſadeur de France, de ſorte que c'eſt une pitié de voir et entendre tout cela. A cette occaſion un Secretaire de S A. E. de Brandenbourg a ſouffert un grand malheur en ſon innocence. Car eſtant dans la dite Chambre pour y eſcouter ce qu'on parle et debatte, quelques uns des Nonces, et principalement Monſieur Dembitzki *le Port'enſeigne et Nonce du Palatinat de Sendomirie, commençerent à crier : Voicy un François, qui note tout ce que nous diſons. Enſuite de quoy le dit Port'Enſeigne cria à tous les Pages et Laquais, qui s'y trouvent tousjours en grand nombre, et font mille inſolences d'eux meſmes, de le prendre dehors et traiter à leur mode. Ce qui fut executé à l'inſtant, tellement que ce pauvre homme a eſté fort mal traité, et meſme on l'a voulu faire ſauter par la feneſtre. Tel desordre et bruict eſt ſurvenu par la mauvaiſe conduite de ceux qui devoyent donner de bons ordres pour*

la

la tranquillité publique. Et ſans doute cet honeſte homme là auroit eſté accablé, ſi Monſieur le Marechal de la dite Chambre ne l'auroit pas empeſché. Car voyant ſi grand deſordre et ayant apperçeu, que c'eſtoit faux qu'on avoit dit du dit Secretaire, aſſavoir, qu'il n'eſtoit pas à Monſieur l'Ambaſſadeur de France, mais à Monſieur d'Overbec, Miniſtre de S. A. E. de Brandenbourg, ſortit de la Chambre avec ſon grand baſton et ſauva ce pauvre homme là des mains de cette canaille-là. On s'en repent deja, mais trop tard, et Monſieur d'Overbec ſe plaint grandement d'un ſi grand affront, et reproche à la dite Chambre ſi mauvaiſe conduite: mais, pour dire vray, je ne voy pas, comme quoy cet affront puiſſe eſtre reparé, et quelle ſatisfaction on pourroit donner de telle canaille, dont les principaux ſe pourront excuſer d'avoir fait cela par ordre des ſuperieurs; Joinct qu'ils ſe pourront abſenter. Mais c'eſt encor un plus grand affront de Monſieur l'Ambaſſadeur que de Monſieur d'Overbec. Jugez de là, comme les Nonces, au moins pour la plus part, ſont animés vers Monſieur l'Ambaſſadeur. Joinct qu'ils demandèrent cy devant, que tous les Miniſtres eſtrangers ſoyent relegués, et à preſent ils ne demandent pas,

ſi non que Monſieur l'Ambaſſadeur ſoit relegué, et ne veulent pas abandonner cette demande quoy qu'ils devoyent mourir. Et meſme ils ont deja fait un arreſt dans leur Chambre, que tous les Miniſtres eſtrangers, àſſavoir les Ambaſſadeurs et les Reſidens, ne puiſſent plus demeurer à la Cour, que ſix ſemaines, et les Envoyes Extraordtnaires trois ſemaines ſeulement; mais qu'ils ayent en ce tems-là leur depeche, et que pour à preſent l'Ambaſſadeur de France vuide la ville et le Royaume au pluſtoſt. Apres avoir forgé tel arreſt et l'ayant mis en eſcrit, ils ont voulu aller dans la Chambre Haute pour le lire: à quelle occaſion, il y avoit quelque bruict. Mais enfin ils y ſont allés et ont voulu lire ce leur arreſt devant S. M. laquelle cependant a fait eſcrire un autre arreſt, qui porte: que le bon ordre ſoit tenu en des affaires, aſſavoir que les Nonces ne viennent pas avec leurs arreſts dans la Chambre Haute, avant que les ſuffrages des Senateurs et les jugemens et procès de la Diete y ſoyent achevez: et le rendre au Marechal des Nonces par Monſieur le Grand-Chancellier du Royaume, à fin qu'il le liſe publiquement. Le Marechal l'ayant veu et leu tacitement, en eſtoit eſtonne,

ne,

né, et eſtoit long tems ſans dire mot en conſiderant cet arreſt en ſoy meſme. Cependant ceux qui ont eſté aupres de S. M. ont crié de lire à l'inſtant l'arreſt de S. M. et les Nonces ont crié à l'encontre à leur Marechal de lire auparavant le leur. Et apres que les inſtances ont eſté faites là deſſus de part et d'autre, le dit Port' Enſeigne Dembitzki a crié à leur Marechal le Prince de Czartorinſky: Monſeigneur: Faites une reflexion à ce que c'eſt une nouveauté tres grande (maximum nouum emergens) *que S. M. a fait cet arreſt* contra omnem morem et vſum. *C'eſt à la Chambre de Nonces de faire et moderer les arreſts. Nous prions Voſtre Alteſſe de ſortir d'ici et deſcendre là bas. Ce qu'il a fait auſſy, n'ayant leu ni l'un ni l'autre arreſt. Apres donc qu'ils ſont venus dans leur Chambre, le dit Sieur Dembitzki harangua avec grande vehemence en ces termes: Meſſieurs mes Freres. Il faut avoüer, que nous ſommes venus aus tems fort malheureus. Car on nous traite deja en payſans, nous faiſant monter là haut pour y entendre lire ce qu'ils forgent tous ſeuls à noſtre inſçeu. Il falloit dechirer cet arreſt-là et le fouler aus pieds. Toute la liberté eſt deja renverſée,* ſola eius ſimula-

 cra

cra præbentur etc. *Il y en avoit des autres auſſy, qui ont pris en mauvaiſe part, que Monſieur le Grand-Chancellier avoit accepte et propoſé le dit arreſt de S. M. et meſme fait inſtances pour ſa lecture: de ſorte que quelques uns l'ont blaſmé, non obſtant qu'il ſoit un ſi bon patriote. Entr'autres Monſieur Ozga le Succameraire de Leopole, un vieux Nonce, a dit: Voicy. Meſſieurs et mes Freres, la loy* de non præſtandâ obedientiâ *aux Rois, s'ils ne vouloyent pas garder nos anciennes lois: et il a leu d'abord cette loy du Code. Il faut neceſſairement que nous pourvoyeons à noſtre ſalut. Car nous voyons ce qu'on fait deja et qu'on veut faire à l'avenir. Il y avoit encor des autres cris et acclamations prodigieuſes. A la fin puisqu'il eſtoit deja tard, les Nonces ſe ſont retirez chez eux. Le lendemain on a reaſſommé la meſme choſe, et ſont montés dans la Chambre Haute* ſine actiua voce, *ſans des harangues et ſuffrages, et avec ſeule treshumble remonſtrance au Roy, que les Miniſtres eſtrangers ſoyent renvoyez, ou pluſtoſt un ſeulement, et que cet arreſt là donné de S. M. contre la loy ſoit caſſé. Sur quoy Meſſieurs les Senateurs opinerent en diverſes manieres. Et S. M. ayant pris cela à la plus longue deliberation, s'eſt le-*

levée, de ſon throne. Tellement que les Nonces n'ont rien fait pour cette fois auſſy. Enſin ce fut hier qu'ils reçeurent ſimplicem negativam, *au lieu de quelque favorable reſponce. Le refus en eſtoit tel.* Non eſt ex dignitate Sacræ Regiæ Maieſtatis, et Reipublicæ totius, mandatum abeundi illis dare, qui nobis morem gerere non tenentur, et in quos nil iuris nobis eſt, ita vt ſi vel centies illis præcipiatur, vt hinc quam primum abeant, illi id facturi non ſint ſine mandatis ſuorum Principalium; non poſſet autem informatio ſuper hoc negotio Pariſiis huc adferri, niſi intra 7. circiter hebdomades. *Ce ſont les propres mots de la declaration de la Chambre Haute. De quoy la Baſſe à eſté fort alterée, de ſorte que les Nonces en eſtans deſcendus dans leur Chambre, commençerent à crier: Nous n'avons reçeu aucune conſolation* in tam iuſto deſiderio. *Il faut neceſſairement, que nous ſongions à d'autres moyens pour nous ſauver etc. Tellement que le cours de toute la Diete eſt arreſté par cette ſeule matiere. C'eſt pourquoy tout le monde a deseſperé de la heureuſe concluſion de la Diete, joinct que ſans cela il y a des autres matieres de grande importance, ſur les quelles cette grande machine ſe rompra neceſſai-*

rement. *Par exemple c'eſt auſſy un grand poinct le congé de l'armee Lituanoiſe, laquelle veulent retenir les intereſſés*, contra expreſſam legem *de la Diete paſſée, et il y a des articles fort pointus, qui ont eſte donnés aus Nonces des pluſieurs Palatinats et Diſtricts, que ces trouppes là ſoyent congediées, parce qu'elles ne ſont aucunement neceſſaires*, pacatâ ex maiori parte Republica, *veu que le Grand Turc auſſy eſt oblige d'employer toutes ſes forces en Candie. Le poinct touchant l'arriere Ban eſt auſſy un des plus difficiles. Car la Nobleſſe le veut avoir par force entre ſes mains, et le Roy ne permettra jamais, que ce droict ancien qu'il à, luy ſoit arraché des mains. De ſorte que vous voyez clairement, que ces trois poincts ſont fort capables de rompre cette Diete, et qu'il faut* ex iſtis præmiſſis facere concluſionem talem: Ergo nulla Comitiorum erit concluſio. *Les jugemens et plaidories, qui ſe ſont ordinairement en la Diete, ne ſe feront pas à cette heure, et les ſuffrages des Senateurs ne ſe ſont pas encor commençés, et il faut que du Vendredy prochain dans huict jours les Nonces montent là haut cinq jours devant la concluſion ſelon la loy. Pour vous di-*

dire en confidence et en un mot: Mira hic eſt omnium rerum metamorphoſis. *La faction Françoiſe eſt aſſoupie et enſevelie, de ſorte qu'on ne s'en ſouvient plus. Mais* ex cineribus eius ſuſcitatur electio Neuburgici; ſed ciuilibus mediis, poſt fata vel abdicationem Principis. *Car devant que l'un ou l'autre arrive,* nec nominetur vlla electio. *Monſieur l'Ambaſſadeur de France n'intercede pas ſeulement au nom du Roy Son Maiſtre pour le Duc de Neubourg; mais toutes les faveurs, qu'ils avoit gaigné ici pour le Prince de Condé, ſe transferre ſur le dit Duc. Car le Roy Tres Chreſtien pouſſe ſes intereſts* potentiſſime, *le dit Duc luy ayant promis de luy favoriſer mutuellement en la guerre contre l'Eſpagne, et luy gaigner les faveurs des Electeurs. A tout cela S. A. E. de Brandeubourg a conſeré le plus. Car le Roy Tres Chretien a veu, qu'il peut en cette conjoncture des affaires tirer plus de profit du Duc de Neubourg, que du Prince de Condé. C'eſt pourquoy il a abandonné les intereſts de cetuy-cy pour pouſſer les interets de cetuy-là.*

Kkkk 5 Ma-

Magnum quid intendit, *ce que vous y pouvez penetrer mieux que nous ici. Perſonne ne peut pas encore ſçavoir, ſi S. M. veut renoncer à la Royauté ou non. Il eſt pourtant vray, que ſouvent de fois elle teſmoigne de ne ſe ſoucier point du tout de cette Couronne. Mais ceux*, qui ſunt validi in gratia Principis, *ne voudront pas aſſeurement, que cela ſe faſſe. Car leur intereſt porte*, ne Rex regno ſe abdicet, *par ce qu'ils ſeront mieux, quand celuy regnera, dont ils poſſedent la grace. Monſieur* d'Overbec *eſt à preſent en eſtime, et grande grace de S. M. Il eſt auſſi fort bien traité, et S. M. luy tesmoigne beaucoup de faveur. Elle veut auſſy faire une eſtroite amitié avec S. A. E. de Brandenbourg. C'eſt pourquoy elle l'invite de venir en Pruſſe pour s'aboucher avec elle, et croit-on que cela ſe ſera cette eſté. Il faut advoüer, que le bon Dieu fait aſſez de merveilles en monſtrant ce bon Prince au monde, de ſorte que tous les Princes l'adorent, et les autres recherchent ſon amitié et le craignent. Pluſieurs Eſtats de l'Empire ont voulu le faire Generaliſſime de leurs armées*, et moderatorem belli cum abſoluta poteſtate *contre les François. Lesquels ayans apper-*

perçeu cela, ils en ont eu aſſez d'apprehenſion, et à cauſe de cela, comme auſſy à cauſe des autres reſpects, ont abandonné leurs pretenſions (quoy que celles-ci leur ont couſté auſſy aſſez d'argent, non ſeulement de peine:) à la Couronne de Pologne, et pouſſent les interets du Duc de Neubourg, principalement en faveur de S. A. E. de Brandenbourg. Touchant la mort du Palatin de Cracovie, Monſieur Wielopolski, *je vous manderay quelques circonſtances aſſez notables, que vous peut-eſtre ne ſçaurez pas encore. Il mourut à Obory a trois lieües d'icy avec des grandes douleurs et tourmens, qui continuerent quelques jours. Quelques uns diſent, qu'il mourut avec le deſeſpoir; mais d'autres diſent avec grande contrition, et qu'il a pardonné à tous plusieurs offences, legué beaucoup à l'Egliſe, et commandé, qu'il ſoit enterré le lendemain aupres de la porte, par laquelle tout le monde entre dans l'Egliſe, avec l'inſcription ſur ſon tombeau:* Viator! ora pro peccatore hic iacente.

CCCCXXI.

Ferdinando Orbano, Sereniſſimi Electoris Palatini ſacellano, *Leibnitius* narrat, quæ ſuæ partes in ne-

negotio iſto Polonico fuerint, ſcripto libro, qui prodiit Gedani *, præfixo *Georgii Vlicouii Lituani* nomine.

Hanoueræ d. 30. Iul. 1708.

Reuerendiſſime Pater.

Victoria inſignis, quam Deus fœderatis tribuit, facit, vt Reipublicæ, et inprimis Sereniſſimo Electori Palatino gratuler, cui certe, ſi cuiquam, hic pugnatum triumphatumque eſt. Neque meliori diplomate firmari poterat Cæſarea inueſtitura, qua in decus et ditiones redintegratus eſt ſapientiſſimus et de patria meritiſſimus Princeps. Ego vetus ſum cliens, etſi incognitus, inclytæ *Neoburgicæ* domus: quod etſi parum conſiſtens videbatur; tamen ita habet.

Iuuenis admodum inclyto Viro, Dno *Iohanni Chriſtiano*, Baroni *Boineburgio*, familiaris factus ſum, cum Conſiliarium Eminentiſſimi Electoris Moguntini, *Iohannis Philippi*, in *Reuiſionum* collegio agerem. Tendebat ille tunc Legatus in *Po-*

* Non Francofurti ad Mœnum, neque Vilnæ Lithuanorum; licet fronti præſcriptum ſit *Vilnæ MDCLIX.* in quo numero denarius omiſſus.

Poloniam, Regni petendi cauſſa pro magno Principe, a quo mittebatur, eoque rogante multa a me conſcripta ſunt latino ſermone; nonnulla et typis edita, quibus *cauſſa Neoburgica* commendabatur. Aulæ Cæſarea et Gallica fauebant in ſpeciem; ſed in arcano omnia alia agebant. Ita Poloni moræ pertæſi præter recepta gentis axiomata in *Piaſtum* ſubito quodam impetu iuerunt. Ceterum qui amici *Boineburgii* in gratiam, extra Principis notitiam, laboraueram, nolui poſt rem irritam venditare operam meam. Ita me Aulæ *Neoburgicæ* tunc innotuiſſe non puto **. Exſtat autem liber *Dantiſci* tunc pro *cauſſa Neoburgica* typis editus, et a *Bæclero* aliiſque etiam poſt rem tranſactam laudatus ***, ſub nomine *Georgii Vlicouii*

** Fabulas itaque narrant, qui *Leibnitium* ob hanc operam a Principe Neoburgico magnificis promiſſis in Aulam allectum, conditionem ſpreuiſſe iactitant: id quod dilucidius patebit ex epiſtolis ad Sereniſſimum ERNESTVM, Haſſiæ Landgrauium, datis.

*** *Bæclerus* diſſ. de vtilitate ex hiſtoriæ vniuerſalis compoſitione capienda, quæ Argentorati anno 1670. prodiit, cum fragmentum cu-

couii Lithuani, id eſt, *Godefridi Vuilielmi Leibnitii.* Volui enim initialium ſaltem literarum conſenſu indicare nomen meum. Hoc non aliam ob cauſſam dico, quam vt Sereniſſimus Elector zelum meum non eſſe nouum intelligat.

Nuper mihi ab amico e longinquis oris commendandum oblatum eſt Muſeum Nummorum inprimis veterum, pene Regiis comparandum, nunc venale. Sed eius mentionem apud Sereniſſi-

cuiusdam epiſtolæ exhibuiſſet, qua *Boineburgius* ad *Vlicouii* demonſtrationem politicam pro eligendo Rege Poloniæ prouocauerat, *p.38.* ita pergit: *Hæc ille*, quem ſubticito nomine *ſummi ſummarum rerum tractatoris et actoris* elogio ante ornauerat, *ex medio rerum vſu tractatuque. Opportunum ſane eſt, quod de* Vlicouio *affertur. Indagauit ille vtilitates regni Poloniæ tam exquiſito ratiocinationis ac demonſtrationis genere, vt ſimile exemplum forſan nominari nequeat. Multum negotii fruſtra ſuſcepturus erat, qui ante electionem noui Regis contradicere inſtituiſſet. Sed poſt electum Piaſtum fortaſſe non defuturæ eſſent rationes, quibus argumenta ante valere viſa in contrarium verterentur. Adeo commutabilis eſt ſapientia, quæ de regnorum commodis incommodiſque demonſtrationes ſectatur!*

ſimum Electorem facere vix auſim, ne mihi ex Oratione Dominica reſpondeat: *et ne nos inducas in tentationem.* Fateor tamen exſtructo aliquo ſuburbano Palatio, quamuis pulchro, pulchriorem et magnificentiorem eſſe talem collectionem. Nam ædificia elegantia paſſim occurrunt; ſed Muſea talia rariſſima ſunt, et ſi quis ea aliquando obtinere moliatur, etiam maximis ſumtibus niſi longo temporis tractu conficere ea non poteſt. Gaudeo eo iam loco per victoriam rem noſtram militarem eſſe, vt ad nouas artes confugere non admodum opus eſſe videatur. Faxit Deus, vt tanto munere recte vtamur. Vale et faue.

CCCCXXII.

Conringius gratulatur *Boineburgio* fauſtum reditum e Polonia, et de rebus Polonorum diſſerit, Danorum nunc, vt ante Suecorum, conſiliis admotus.

Helmſtad. d. 2. Sept. 1669.

Eius voti, quo in Poloniam te abiturientem Februario menſe ſum proſecutus, compotem me factum, hoc eſt, ſaluum te atque incolumem rediiſſe domum, et gaudeo plurimum, et tibi gratulor. Enim vero de vita ipſa tua haud parum fui ſol-

ſollicitus, haud ignarus morum gentis et competitorum, quibuscum negotium tibi fuit. Et vero auctus eſt metus, intellecto confluxu turbæ Nobilium, qui a Germanis omnibus animo ſunt auerſo, et nemini non pene metuendi præ inſolentia et ferocitate barbara, præſertim viribus ſuis perſpectis, et Senatorum Procerumque imbecillitate. Sed quamuis malim te illis turbulentis Comitiis non interfuiſſe; boni publici tamen cauſſa lætor plurimum, quoniam et Germaniæ non minus, quam Poloniæ commodo omnia euenerunt. Nec vero etiam te, qua vales prudentia, fugit periculum Imperio imminens ex vicinia, ſi Princeps tuus, ſaturandæ inexplebili Polonorum auaritiæ auita bona aliis oppignorare porro, factus Rex, fuiſſet coactus; perinde vt indubie agnoſcis, Poloniæ vtiliſſimum eſſe, quod acceperit Regem ſuæ linguæ et morum. Mutationem tamen Polonicæ Reipublicæ haud exiguam auſim ominari. Quoniam nimirum contra leges et conſuetudines priſcas turba illa Nobilium ad ſe traxit eligendorum Regum poteſtatem; nihil illa non impoſterum conabitur, forte ad modum militiæ Romanæ ſub Imperatoribus. Peregrinis certe omnibus ad Regiam dignitatem aditus, meo quidem iudicio, iam eſt

præ-

præcluſus in futurum *. Sed hæc fortaſſis nihil ad nos. Redeo ad initium epiſtolæ, et denuo tibi gratulor ſaluam incolumitatem. Vtinam et velis, et poſſis, quod reliquum eſt vitæ, tibi impendere vni! Sed qui hoc opto, cum ipſe me paſſus ſim ſacramento Daniæ Regi auctorari? Fortaſſis tamen me excuſare poteſt rei familiaris quædam neceſſitas. Vale, Excellentiſſime Domine, et perge fauere!

CCCCXXIII.

Lettre du Reſident de Pologne à Hambourg ſur l'election de Pologne en 1673.

L'affaire de la nouvelle election de Pologne n'eſt pas encore meure. Mais après les petites Dietes tenuës le $\frac{19}{29}$ Dec. on en parlera avec plus d'aſſeurance, et plus encore après la convocation des Eſtats, qui ſe tiendra bientoſt. Et comme ils veulent prendre pour Roy un tel Prince, qui puiſſe ma-

* Neutiquam vero, ſiquidem a morte Regis MICHAELIS, qui patrem ſupplantauerat, filius IO. GVILIELMVS, Princeps Neoburgicus, denuo inter competitores coronæ Polonicæ fuit, teſtibus ſubiectis literis. Ne quid dicam de Regibus, qui IOANNEM inſecuti ſunt.

marier la Reine, et contenter l'eſtat et les voiſins; il n'y en a plus capable, que le Prince de Neubourg ſelon toutes les probabilités. Pour le Prince d'Orange, ce n'eſt rien. Le Prince de Lorraine y aura plus de part, que ce dernier. Mais ce ſont des grands obſtacles pour luy, qu'il depend entierement de la maiſon d'Auſtriche, et qu'il eſt ennemi de la France.

à Hambourg le 24. Dec.
1673. De Lubienietz.

CCCCXXIV.

Excerpta ex literis *Arnoldi Denckeri*, plurium S. R. Imperii Principum Conſiliarii, et *Boineburgii* familiaris, dum Coloniæ Agrippinæ reſideret.

Colonia d. 7. Sept. 1667.

Vltimas tuas cum incluſis accepi, haſque tradidi Domino *Boineburgio*, qui mecum, viſo tantum charactere, ſummopere gauiſus eſt, non frigide exponendo, ſibi nullum commercium aut carius tuo, aut par eſſe. Ante, quam iſtam occaſionem nactus fui, tuo nomine ipſum ſalutaueram, prout me iuſſeras: quod non tantum ipſi ad palatium fuit, ſed et eo inuitauit, vt poſtridie eius diei me reuiſeret, et luſtrata mea exigua biblio-

bliotheca magis amice, quam familiariter, me haberet. *Monzambanum*, cum a te, tum ab illo mihi de meliori nota laudatum, attente et diligenter legi. Cuius nomen cum dictus Dominus Baro in diem differret, Nobilis aliquis Vinarienſis in aurem mihi dixit, eſſe nimirum alicuius *Pufendorfii*, Principi Electori Palatino a conſiliis: quod vt ex me reſponderem, rogauit Dominus Baro. An iſte *Pufendorf* tibi, an tu illi ex facie (ex ſcriptis tuis certe) notus ſis, neſcio. Quiſquis tamen ille ſit, certum eſt, ipſum non tantum non ſcripſiſſe rudi Minerua; ſed et vere et cordate: vt certe ego, ceu ex Diis Minorum Gentium, ipſum inſuper habere non velim; licet Dominus *Spirman*, Celleuſis Legatus, mihi ineptias et cruditatem aliquam (an non etiam lacunas, ambigo) prædicare et perſuadere, ſcriptumque iuuenili ætate dignum occinere voluerit: in eo tantum occupatus, quod non ſatis dextre, nec, vt ita dicam, *ſpecifice* ſtatum Imperii delineaſſet; quamquam forte, ſi is non iudicare, ſed idem præſtare deberet, ſoluendo non eſſet.

Dominus Baro horret ad famam iſtam, quam ipſi tuis literis indicaſti, omnia impedimenta, et in primis inuidiam, labores et annos ſollicitans;

 li-

licet mihi coram reticere non voluerit, quod quidem Principi a latere ſtare, et conſilia ſuppeditare, quam vllatenus ſe obſtringere aut certo officio, aut titulo fungi mallet: vt, quicquid ipſe diſſimulet, certum ſit, te vana ſpe lactatum non iri; modo ipſi non ſit nimis ſuſpectus futurus ſenior iſte Metaphyſicus.

CCCCXXV.

Coloniæ d. 18. Octobr. 1667.

Dnus Baro de *Boineburg* numquam tui non meminit, tibique integre conſentit, niſi quod Miniſter veſter audire nolit. Et vt hoc tibi perſuaſum habeas, velim credas, me legiſſe literas Sereniſſimi, quibus, ſe apud Electorem Moguntinum eius nomine rem ipſi cognitam commendaſſe quidem, ſed nihil obtinuiſſe, indicat. Quod, quantum ego ſubolere poſſum, tangit obligationem illam, qua Dominus Baro, omnia ſeruitia aliorum Principum a ſe aliena fore, promiſit.

CCCCXXVI.

Coloniæ d. 12. Nov. 1667.

Dnus *Boineburgius* nihil aliud facit, quam quod tuos mihi datos libros legat. *Monzambanus* paſſus

ſus eſt refutationem; ſed quo ſucceſſu, adhuc me latet, qui ſchedam iſtam nondum lectam, ſed breui legendam cuſtodio. Interim legi in catalogo Lipſienſi, quod aliquis *Æſcatius* notas, vel forte etiam commentarium ſcripſerit in *Hugonis Grotii* de iure belli et pacis librum. Quiſnam ille *Æſcatius* ſit, me fugit.

CCCCXXVII.

Coloniæ d. 24. Mart. 1668.

Boineburgius noſter Francofurtum abiit, Moguntiæ ſeditionem *Reiſenbergicam*, in herba tamen exſtinctam, expertus. Anctores et capita fuere - - - - - - qui, adornatis hinc inde ad incendium cuniculis, ex fæce vulgi nonnullos in publicas vociferationes et clamores incitarunt, vt et illud *Viuat Reiſenberg! Viuat Reiſenberg!* pleno gutture et voce Stentorea ingeminarent.

CCCCXXVIII.

Coloniæ d. 7. April. 1668.

Dnus *Boimburgius* nunc Moguntiæ, Electori et familiæ *Schonborinanæ* reconciliatus, degit, breui rediturus, niſi ipſius opera ad abſoluendum

proceſſum *Reiſenbergicum* forte deſiderabitur ab Electore. Rotat fatum aulicum certe, ſi fata communiter rotant, ſecundum *Senecam*.

CCCCXXIX.

Coloniæ d. 28. April. 1668.

Literas tuas, quas cum incluſis ad Dn. *Boineburgium* d. 10. Aprilis exaraſti, accepi et tradidi. Heri mihi dictus Baro domi meæ itineris ſui Moguntini moleſtias et gaudia abunde explicuit, nihilque, prout ſatis colligere potui, tanti fecit, quam quod priſtinus eius Dominus nunc reſipiſcat, et ipſum valde clementer, imo amice, a primo limine ſalutauerit, ſupraque modum bene habuerit. Hodie, me duce, luſtrauimus bibliothecam alicuius meorum amicorum. Ibi forte fortuna incidimus in aliquem libellum, gallico idiomate ſcriptum, et paradoxa Ieſuitæ Marianæ refutantem. Vbi ſimul eruditionem Viri, mihi a te ſæpius laudatam, et zelum decumanum erga Noſtratium plurimos, et in primis beatum *Lutherum*, admiratus ſum. Nihil enim non contra illum Sanctum Virum audebat dicere, quod alias ab ipſis Pontificiis cordatioribus inter ineptiſſima commenta numerari ſueuit. *Titius* veſter ipſi ho-

hebes eſt et ineptus. Nec *Muſaeus*, quem alias *incomparabilem diſputatorem*, *et Virum omnibus Ieſuitis anteferendum* appellauit, nunc ipſi ad palatum eſt. Tantum mutatus nunc eſt a ſeipſo, qui olim, teſte Deo, ingemuit ſuper abominabili myſterio Miſſae, vt vix amplius aſſequi poſſim, an ſtudioſe zelum oſtentare, an vero Noſtrates nunc plane exponere velit. Solet ſcilicet omnis Apoſtata eſſe religionis ſuae perſecutor. Ingenue et vere loquor; ſed cum dolore. Quis enim, cui Verbum DEI cordi eſt, non incandeſcit, quando alii ſcandalizantur? Et quis non nouit, ſcientiam inflare, et coram Deo eſſe ſtultitiam, quando pro principio habet humani intellectus exigua fragmenta? Dolendum eſt, quod tantus Vir tam ſuperciliose cum Graecis Philoſophis orthodoxam ſimplicitatem ſpernat, qui alias proh! quantum emolumenti ad propagationem eius conferre poſſet. Faxit DEVS, vt reſipiſcat! Pacem nunc eſſe compoſitam ex literis Dni *Boineburgii*, quem vehementer ob doctrinam inexhauſtam ſuſpicio, ob fidem temno, et meliorem mentem habere tecum iubeo, procul dubio cognoſces, niſi quod ipſe non addiderit, Aquiſgrani propterea pompoſiſſime fuiſſe celebratum diem ſubſcriptionis articulo-

rum Pacis. Sed vtinam bona mente! Tu, ſi adhuc recte memineris, mihi præſens in aurem dixiſti, noſtram ætatem ferre hominem aliquem magni ingenii, et eruditionis ſtupendæ: qui, licet alias ad negotia publica videatur eſſe natus, tamen in eo ſæpius ſuos patiatur manes, quod ſubinde libere nimis ſuam mentem explicet. Atque idem iſte mihi, ſed præter mentem, dixit, quod Rex Galliæ-Batauos hoſtiliter aggredi firmiſſime conſtituerit.

CCCCXXX.

Coloniæ d. 16. Mai. 1668.

Nuptias *Boineburgianas* * procul dubio nobiſcum miraberis, dum Aulam illam in horas mutata-

* Non ipſius *Boineburgii* nuptiæ intelliguntur; ſed filiæ natu maioris, *Mariæ Sophiæ*, quam Eminentiſſimus Elector Moguntinus, IO. PHILIPPVS, hoc anno in matrimonium dedit vnici fratris, *Philippi Erwini* filio, *Melchiori Friderico*, Comiti Schonbornio, ex quo illa mater facta eſt Schonborniorum Comitum omnium hodienum florentium, e quibus maior pars præcipuarum Germaniæ eccleſiarum infulas ornauit; pars ornat etiamnum.

tari, et ſuos rotare Miniſtros non tam deſinit, quam incipit. *Reiſenbergius* enim nunc ad perpetuos carceres condemnatus eſt, et *Boineburgius* noſter in familiam receptus. Sed inſaniunt ſæpius fata, et quos volunt, innocenter puniunt, aut nocenter abſoluunt.

CCCCXXXI.

Coloniæ d. 17. Iul. 1668.

Ad vltimas meas hactenus nihil reſponſi accepi, nec Dominus *Boineburgius* ad ſuas. Spero tamen, recte fuiſſe redditas. Nudius tertius redii Veſalia Cliuorum, et inueni domi libellum * hiſce incluſum cum literis Domini *Boineburgii*, quibus me rogat, vt quam citiſſime iſtum transmitterem, et iudicium tuum deſiderarem.

CCCCXXXII.

Coloniæ d. 10. Sept. 1668.

Dominus de *Boineburg* foris eſt, et, ni fallor, nunc Moguntiæ degit, bene reconciliatus cum Domino Electore: quorſum ego literas tuas miſi, breui

* Libellus erat *Leibnitii methodus iuris*.

breui habiturus reſponſum, niſi præter ſpem et ſolitum cunctari velit, aut per otia debeat.

CCCCXXXIII.

Coloniæ d. 27. Sept. 1668.

Boineburgius noſter adhuc Francofurti degit; tibique plurimam iuſſit dicere ſalutem, ipſe, quamprimum redierit, ſcripturus.

CCCCXXXIV.

Coloniæ d. 27. Octobr. 1668.

Dominus *Boincburgius* hodie redibit, et breui a Principe *Neoburgico* mittetur in Poloniam, vt ibi verba faciat. Si ergo ipſi ſcribere lubet, feſtinandum erit. Palatinus noſter miſere habetur, et in omnes anguſtias redactus eſt.

CCCCXXXV.

Coloniæ d. 22. Ian. 1669.

Boincburgius rurſus Moguntiæ degit, et hodie te ſuo nomine per literas ſalnere iubet. Promiſit ille filiam ſuam ſecundogenitam Domino Baroni de *Ley*, cuius patruus eſt Elector Treuirenſis, et forte priſtinum ſtatum, ſi non altiorem,

oc-

occupabit apud Moguntinum, fratre eius * mortuo.

CCCCXXXVI.

Coloniæ d. 2. Febr. 1669.

Dominus de *Boineburg* rurſus mihi ſignificauit, ſe ægre ferre, quod nihil de te literarum viderit, poſtquam hinc diſceſſit. Degit nunc ille Moguntiæ, primo Martii rediturus Neoburgum, ad redordiendum iter Polonicum. Si ipſi ſcribere velis, tranſmittas mihi tantum literas, quia mihi indicauit, quorſum poſt abitum eius ipſum ſequi poſſint. Libellum ab eodem mihi commendatum tibi tranſmittam, quamprimum occaſio ſe offeret. Molitur idem *Leibnizius* opus incomparabile, quantum ad vtilitatem Reipublicæ id ſpectat, nempe *Corpus Iuris Reformatum*, vbi ſuperflua et abrogata ſunt eliſa, et leges conſonantes, vel declarantes, vno ictu oculi conſpiciuntur: vt nobis idem ſit, quod Theologis *Concordantia Biblica.*

CCCCXXXVII.

* Electoris Moguntini frater, *Philippus Erwinus*, qui olim *Boineburgii* luminibus offecerat in Aula Moguntina, d. 4. Nov. 1668. diem ſuum obierat.

CCCCXXXVII.

Coloniæ d. 17. Aug. 1669.

Boineburgius noſter nunc, te vate, infortunatus rediit, totumque negotium *turbulentum* et *barbarum* appellat. Næ! quandoque bonus dormitat Homerus. DEVS ſit benedictus, quod totum mundum prudentiæ hominum non committat: alias enim nos Deos fingeremus, vti Anabaptiſtæ in raptu. Sed hæc tranſeant cum ceteris. Heri redii Treuiris, quorſum ablegatus eram ad tollendum aliquot controuerſias; ſed pari cum *Boineburgio* fortuna.

CCCCXXXVIII.

Coloniæ d. 23. Aug. 1669.

Doleo tecum fortunam Principis *Neoburgenſis*, Dominique Baronis de *Boineburg*. Vtinam numquam eo, bene monitus, contra monita maturaſſet Baro! Nam vt illud ſtudium fuit plenum periculi, ita et debuiſſet a Viro tam prudente magis euitari. Sed actum eſt negotium, et dolor nimis ſerus. Noli tamen tibi perſuadere, in eo ſolo bonum noſtrum Baronem lapſum eſſe. Nam et 24000 Imperiales Principi ſuo mutuo dedit, quos cer-

certe poſteri eius valde ægre extorquebunt debitori. Næ! bonus aliquando dormitat Homerus.

CCCCXXXIX.

Coloniæ d. 10. Sept. 1669.

Ad *Boineburgium* literas tuas perendie, Deo volente, recte curabo, nec eſt, vt de eo ſollicitus ſis. Miror tamen, quod ita ipſi commiſſam imprudentiam exprobraueris, cum ſcias, hoc ipſum natura ægre ferre. Sed dixti, quod verum eſt.

CCCCXL.

Boineburgius adhuc priuatus, literas furtim reſignandi licentiam accuſans, non audet de publicis rebus per epiſtolas diſſerere.

Moguntiæ d. 15. Ian. 1670.

Optime, idemque vetus et optatiſſime Amice!

Cum omnino videatur hæc occaſio mihi commoda, literas tandem ex bene longo interuallo ad te exarandi, ea vti cupide volo, teque meæ conſtantis ac nunquam degeneris voluntatis, ſtudii, cultus et gratitudinis quam certiſſimum reddere. Per eſt diu, ex quo multum crucior exſpectatione cuiuſdam vel leuis a te indicii notitiæue, ecquei valeas? quidnam venerabiles tuæ iam Muſæ mugi-

nen-

nentur? quidue ſit forſan, vbi tibi vtilem præbere operam meam poſſim? Sum vtique erga te animo ita compoſito atque procliui, vt quiduis tua cauſſa velim, et reapſe ſim præſtiturus, ſi qua mihi concredere ac imperare velis. Ceterum de me ſic habe paucis. Sum adhuc intra modum priuati, et eo nomine lætor maxime, dum rerum noſtratium impendentem ceruicibus noſtris ruinam variis de cauſſis ſatis limpide prouideo, atque iuxta earum poſitus ac intemperies aularum mihi, quotiens cogito talia, vertiginem concit. Vides lubrica tricarum ſeculi, et intuta omnia. Super Status publici impræſens menti obuerſantibus magno cumulo momentis philoſophari per epiſtolares commeatus haut expedit, ſub latrocinali iſthac licentia arcanos quoſlibet codicillos furtim reſignandi. De libris et præplacet commentatio, et longe ſecurior; certe et fructuoſior eſt. Obſecro, amiciſſimum pectus, de veſtræ Academiæ tuiſque præſertim fœturis neu quicquam me celes. Non requiro miſſitationem operum; ſed rogo oroque ſaltem, vt indiculos huc mittas, deſue facultatem, mihi eiuſmodi delicias alicunde exſculpendi. Cumprimis catalogus ſemeſtralium exercitationum, tuaque, quin et *Calixtina* ac *Eicheliana* meditamenta, multam

tam

tam animo meo iucunditatem ac ſerio proficiendi anſam allatura, certo credas velim. Beckenſteninius, tum et is, qui haſce Hanoüeram aſportat, aut D. *Wittius*, omnia rite curabunt. Neque dubites, omnia grato corde agnitum, et pretia redditum iri. Vale feliciſſime!

CCCCXLI.

Boineburgius hortatur *Conringium*, vt *Leibnitio* reſcribat, monſtretque commendationem ſuam iſti profuiſſe.

Moguntiæ d. 23. Ian. 1670.

Mi Amice! Quod te volui, per D. D. *Leibnitzium* ecce! mando et ſignifico. Ignoſces audaciæ pro bonitate et indulgentia tua ſolemni. Scripſi nuper, et D. *Wittio* Hanoueram miſi. Is quin tibi miſerit, non dubito. Addo nunc, vt velis Maieſtati illi Electoriæ addere, quæ tu tum ad illam notaſti, ac in Auguſta bibliotheca perinde aſſeruantur *. Dein vt quædam veſtratia Academica, præſertim tua, mittas, iiſque me erudias et recrees

* *Bœclerum* ad ſcribendum de prærogatiuis Electoriis excitauerat, in cuius vſus nunc ſubſidia e bibliotheca Guelphica petit; ſed in caſſum.

es inter tot faſtidia, quiſcum ſæpe colluctandum iam eſt. Vale, et reſcribe, cum mihi, tum maxime *Leibnüzio* **, quo videat, me duce non vane iri ad te. Ego ſane conſtanter, et in vita et in morte, ſum eroque tuus ex animo B.

CCCCXLII.

Conringius, Conſiliarius Status Danicus factus, a ſcribendis libris abſtrahitur, et e *Boineburgio*, quis ſit *Leibnitius* ille, cuius literas miſiſſet, rurſum ſciſcitatur.

Helmſtad. d. 10. Febr. 1670.

Quas Moguntiaci *d. 15.* et *23. Ianuarii* exaraſti, vna cum *Leibnizianis*, curante Magnifico Domino *Wittio*, recte quidem, ſed vno eodemque momento, et hoc demum die accepi: idque magna cum animi voluptate; quoniam diuturnum ſilentium tuum, ne quid diſſimulem, ſiniſtri aliquid fecerat ſuſpicari; nunc autem integrum fauorem tuum priſtinum eſſe intelligo. Non minus vero volupe eſt, intellexiſſe aliquid de ea, qua nunc vitæ frue-

** Leibnitianam, cui vt reſcribat rogatur hic *Conringius*, exhibebimus deinceps inter *Conringii* et *Leibnitii* epiſtolas mutuas.

frueris conditione, quam equidem hoc rerum ſtatu vtiliſſimam tibi iudico, cum collabaſcenti reipublicæ à prudentibus conſiliis tuis vix liceat remedium exſpectare. Scilicet eo iam deuentum pene eſt, vt propediem, niſi Deus vicinorum felicitatem inſperato aliquo malo ſufflaminet, aut nullam, aut nouam habituri ſimus rempublicam; domeſticis noſtris omnibus luxuria, luxu, deſidia, diſcordia, iam deplorate corruptis, populoque paſſim in ſummam egeſtatem duriſſimo dominatu redacto. Ego maneo in ſtatione Academica, conſiliorum aulæ noſtræ poſt obitum optimi heri mei AVGVSTI pertæſus propemodum. In quorum tamen locum grauiores mihi curæ ſucceſſerunt ex Dania, *a conſiliis ſtatus* eſſe iuſſo. Quod numquam equidem paſſus fuiſſem mihi imponi, niſi res familiares meorum id imperaſſent. Ceteroquin ſcilicet mallem, quod vitæ reliquum eſt, ſolis ſtudiis impendere. Valetudine tamen fruor ſic ſatis proſpera et firma, et qualem antehac numquam exſpectaui; ipſo in vulgus formidabili climacterico ætatis magno proximi Nouembris die 9. feliciter peracto. Ceterum vaco quidem, vt antehac, muneri Academico quotidianis diatribis; a libris tamen ſiue nouis ſcribendis, ſiue aliis re-

cenſendis occupationes variæ, et quidem hodie cum primis Danicæ, multum me abſtrahunt; alieniorem etiam reddunt quidam improbi aduerſarii. Superiore tamen anno *Hermetica* mea recenſui, et ab iniquis indoctisque animaduerſionibus cuiuſdam *Borrichii* defendi. Quem librum fortaſſe iam vidiſti. Diſſero nunc publice de *notitia ſingularis reipublicæ cuiuſque comparanda.* Quo de argumento hactenus nemo quiſquam forte docuit. Cum ſit vero ad praxin politicam meo iudicio ſumme vtile; illi dabo propediem ſingularem libellum. Grande aliquod opus ſuſcipere vetant anni et occupationes. Forte etiam proximo vere mihi Dania erit adeunda, quo arcana quæque illius reipublicæ addiſcam. *Eichelium* noſtrum totum pene tenent negotia, cum alias et promptitudine ingenii, et multa doctrina, et ætate integra ad ſtudia iuris iuſto modo excolenda ſit longe aptiſſimus. Sed et videtur illum iam tædere vitæ Academicæ et vmbraticæ.

Leibnitii literis prolixe reſpondi. Vellem ſignificaſſes, quis ille ſit, quaue dignitate? Nec enim mihi hactenus innotuit. Memini enim quidem, *Danckeri* noſtri curæ abs te traditum libellum *de Iuris ſtudio;* ſed libellum non accepi, eoque

que latet me autor. Alius quoque libellus mihi miſſus eſt *de Corpore Iuris reconcinnando*; ſed ſine nomine. Literæ ipſius oſtendunt, virum eſſe bonum et ſtudioſum iuuandi rem literariam. Vtinam præſtiterit, quod conatur! Ego ingenue ſententiam dixi de ſtudiis cum iudiciariæ prudentiæ, tum iuris publici et naturalis. Vereor autem, vt vel *Leibnizius* quidquam effecerit, quamuis optimis rationibus, aduerſus inolitos ſeculi errores. Niſi ſane acceſſerit Regentium auctoritas, fruſtra, credo, omnia eſſe. Quotus autem quiſque Imperantium tale quid egerit? Niſi fortaſſis ex Gallia ſpes aliqua affulſerit, iam promulgato codice *Ludouiciano*. Sed et ibi iam omnia alia agitantur, augendæ potentiæ perquam ſane idonea. De libris, quos ex bibliotheca Auguſta petis, agam cum bibliothecario, ſimulatque Wolffenbuttelum venero. Mihi illi ſunt ignoti. Si imago tua, vt et Eminentiſſimi Electoris Moguntini, ære expreſſa eſt, rogo, vtriuſque vnum alterumque exemplar mihi tranſmitti cures. Vale in plurimos annos!

CCCCXLIII.

Ottoni Ioanni Witte, in Aula Hanouerana Pro-

cancellario *, reſponſorias ſuas ad *Boineburgii* et *Leibnitii* literas curandas mittit *Conringius*.

Helmſtad. d. 12. Febr. 1670.

Boineburgii noſtri literæ aduenere plane inexſpectatæ. Cum moliretur ſuam Polonicam Legationem, diſſuaſi iter illud multis rationibus, pro amicitia noſtra. Reuerſo gratulatus ſum ſeruatam capitis integritatem inter illa pericula, interque fremitus infeſtos licentia et ferocia perditæ multitudinis. Neutris literis quidquam reſpondit. Quod ſilentium mihi viſum fuit ſignum offenſæ, præſertim intellecto, ægre illum ferre improbata Polonicæ profectionis conſilia. Nunc duas ad me dedit, plenas priſcæ beneuolentiæ; ſed vlcere illo intacto. Alteris iniecit epiſtolam cuiuſdam *Leibnizii*,

* Cum Menſe Nouembri ſuperioris anni, *Henricus Langerbeccius*, Cancellarius, diem ſuum obiiſſet, *Wittius* ad Procancellarii dignitatem euectus eſt: cui d. 9. Octobr. 1677. in templo ſuburbano S. Ioannis ſepulto ſucceſſit *Ludolphus Hugo*, qui adhuc Principis fuerat ab aulicis et legationum conſiliis. Eius obitus incidit in diem 24. Auguſti anni 1704. ex quo tempore hæc dignitas penes nos exoleuit; licet *Leibnitius* eam valde ambiuerit.

zii, Icti docti, et ſtudioſi doctrinæ iuris nonnihil in meliorem formam redigendæ; mihi cetera ignoti. Quæ vtrique reſpondi, mitto, vſus permiſſa mihi abs te opportunitate. Imo, ne te quidquam fugiat eorum, quæ ſcripſi, mitto omnia ſub ſigillo, ceu loquuntur, *volante:* quæ indubie probe obſignari iubebis etc.

CCCCXLIV.

Boineburgius a *Conringio* inuitatus poſt alia plura enarrat denique, quis et qualis ac quantus ſit ille a ſe toties laudatus *Leibnitius*.

Francofurti d. 22. April. 1670.

Has iterum per D. *Wittium* curandas duco, quod is et vtriuſque noſtrum amicus per ſit ſincerus, et eiuſmodi onus in ſe lubenter ſuſcipiat. Iuxta tecum ſentio omnino, ſtatum ab omni negotiorum turba ſemotum hunc meum animo meo et rebus meis omnibus quam maxime conducere, in eoque vt ſeneſcam, ſi Deo idem viſum fuerit, candide elaborabo. Vnum mihi deeſt, conſuetudo et frequentia tua: quam igitur vt commeatu epiſtolico liberalius ſolito repenſare digneris atque ſupplere, amanter ſane rogo. Germania modo ſtat ſeu hæ-

ret in præcipiti, adeo vſque, vt vix ei ſubueniri poſſe quoquo pacto videatur. Loqui de talibus, coramque cum de malorum cauſſis, tum remediis agitare, o! quam vellem! Rex Galliæ Aquiſgranum ad thermas iter propoſuit, beneque comitatus. Cum vrbe Colonienſi videtur lis compoſita. In Hungaria atræ et teterrimæ nubes, et in Polonia, denſantur, fructum electionis Piaſteæ edituræ. In Dania numqua mutatio impendeat, tute noris. Climacter quod tam propitius tibi fuit, ex animo gratulor. Ante paucos dies quadrageſimum octauum annum abſolui, per Dei gratiam. *Hermetica* tua a *Borrichio* vindicata vidi et emi. Quæ de notitie ſingularis cuiuſque reipublicæ meditata habes, et alia tua vniuerſa, vtinam ad me ſubinde perferrentur! tum et Academica veſtra alia, lectionumque catalogi: pretium perlibenter ſoluam, cuicunque id mandaueris. *Eichelium*, *Schraderum*, et ſi qui alii adhuc mei meminiſſe dignantur, ſaluto peramanter. Si et horum quandoque fœturæ mihi obtingerent, ſumme exhilareſcerem. D. *Vogleri* diætetica nactus ſum caſu. Per vtique placet viri candor et doctrina. *Meibomius* multum præſtare idoneus eſt, ſi velit.

Leibnizio literæ tuæ maximo ſunt ſolatio. Eſt iu-

iuuenis 24 annorum, Lipſienſis, Iuris Doctor: imo doctus ſupra quam vel dici poteſt, vel credi. Philoſophiam omnem percallet, veteris et nouæ felix ratiocinator. Scribendi facultate apprime armatus. Mathematicus, rei naturalis, medicæ, mechanicæ omnis ſciens et percupidus; aſſiduus et ardens. In religione ſuæ ſpontis; veſtrati cœtui concorpor. Iuris philoſophiam, imo et praxin, quod mirandum, in numerato habet; tui amans et reuerens ex animo. Moguntiæ degit apud *Laſſerum*, Conſiliarium Electoralem, quicum molitur, quod noſti, pro iure rectius ordinando *. Miror et perquam doleo, *Dunkerum* eius libellum *de iuris methodo* tam mendoſe procuraſſe, cui tamen ſub ipſum eius editi tempus ** operoſe illum tum curandum concredideram. Quæ e bibliotheca Wolfenbuttelenſi perii, eorum oro memor eſſe digneris porro, quo recipiam tempeſtiue. Imago mea nunquam ære expreſſa eſt; Eminentiſſimi Mo-

 gun-

* Miror, nullam hic *Conſiliarii in Reuiſionum collegio* mentionem fieri ad ductum *ep. 421. pag. 1260.* Forte hæc dignitas poſtea demum acceſſit.

** Supra *p. 1208.*

guntini vt alicunde conſeqnar, laborabo, et mittam. Vale, et reſcribe, meque amare perge!

CCCCXLV.

Conringius de ſtatu Europæ et de ſuis operibus diſſerit, qua occaſione *Leibnitium* denuo laudat.

Helmſtad. d. $\frac{13}{23}$ Mai. 1670.

Nudius quartus miſit *Otto Wittius*, vir vtique candidus, et iam Procancellariali dignitate magno ſuo pridem merito tandem ornatus, amicus vtriusque noſtrum, tuas et *Leibnizianas* cum ſuis additis. Illi iam tum reſpondi; haſce vero curandas ſuſcepit Ephorus Holſatici cuiusdam adoleſcentis, gente Sileſius, virtute autem et doctrina, quantum videtur, eximius. Ex tuis non ſine voluptate intellexi, placere iam vitam publicis viciſſitudinibus non amplius expoſitam. Omnino enim tecum ſentio, eo iam loco eſſe Imperii Rempublicam, vt ſaltem illos, qui primi fuerint, ruina ſua facile inuoluerit. Nec vero non iam tum nutat Cæſareæ Auſtriacæ domus præcellentia, vt aperte dicam, et, qui in præcipiti ſtantem poſſit ſuccollare, Germania habet neminem. Vires domeſticæ ſunt nullæ, certe perexiguæ adeo, vt ad Galli incertam appropinquationem omnia tre-

pi-

pident, et animis huc illuc fluctuent. Nec tamen animum poſſim inducere, Gallum hac quidem vice vel ad Aquas illas Granenſes excurſurum, niſi fortaſſis valetudo vrgeat: qua de mihi nihil conſtat. Si infelicibus autem fatis occidat nobis LEOPOLDVS: Deus auertat periculum! quæſo, Domine, annon neceſſitate cogentur noſtri Gallo ſceptrum offerre *, cum deſit ſcilicet, qui Turcis opponatur, potens alius? Alia Imperii mala non tangam, ſcilicet diſſidia, luxuriam et egeſtatem Principum. *Gallicæ res* nunquam videntur hactenus perinde floruiſſe: quam vero et illæ ſunt lubrico loco, pendentes ex tenui vnius Regis filo! *Hiſpania* caſu ſuo conciliat ſibi amicos, et auxiliis ſuorum antehac infeſtiſſimorum hoſtium nonnihil ſtat ſubnixa, diſſoluto horum fœdere fortaſſis tota peritura. *Polonia* populi peſſimis moribus pariter ac legibus ipſis eo redacta videtur, vt, niſi vel ciuilibus vel externis armis ferociſſimi quique perierint, haud videatur vel exſpectare poſſe vllam tranquillitatem. In *Danis* multa quidem nouantur;

* En vim auri Toloſani! Interim cogitandum, cum hæc ſcriberentur, LEOPOLDVM Imperatorem ſine herede maſculo fuiſſe.

vtinam vero in melius! Vtrum in *Succia* Regia dignitas priſtino loco iterum eſſe poſſit, tempus docebit. Quam miſera vero eſt *Hungariæ* facies! Quamuis enim nonnihil lætiora promittit *Croatia*; alibi tamen omnia adhuc turbarum plena, ac ne in *Auſtria* quidem tuta omnia, ipſomet *Auerſpergio*, quantum fama memorat, iam in vincula coniecto. Etiam noſtræ Sereniſſimorum Principum Domui cum vicino ** natæ ſunt armatæ lites, non ſorte compoſitu faciles. Abſtineo me ab aula et conſiliis, ne aduerſando arceſſam mihi priuatim magnum malum. Vtinam liceat hæc et ſimilia multa mutuis querelis coram excipere! Id tamen rogo, ne diſſimules ſententiam de futuro Imperii ſtatu etiam per literas exponere. Et vero ſpondeo fidem ſilentii.

Per otium animus eſt nonnulla propediem *Lampadianis* notis addere, et ſic deſinere. Nec enim licet hæc pro dignitate amplius proſequi, quia et negotiis impedior, et, verum profeſſus, ſentio imminere mihi periculum. Ego hanc lampadem tradam aliis, qui magis ſunt expediti, et minus in-

** *Bernhardo* de *Galen*, Epiſcopo Monaſterienſi et Abbate Corbeienſi, ob Aduocatiam vrbis Huxarienſis ad Viſurgim.

inuidiæ atque odio expoſiti: Qualis tuus eſt *Leibnizius*, miraculum profecto ingenii, vti quidem illum tuæ literæ deſcripſerunt. Non vacat hodie quicquam ad illum dare; itaque rogo ſaltem, tu, perilluſtris Domine, ne graueris meo nomine feliciſſima quæque illi precari, et currenti calcar addere. Perplacet enim mihi et indefeſſa induſtria, et propoſitum laude digniſſimum; etſi verear, vt omnia ſperato ſucceſſu ſint euentura.

Schraderus et *Voglerus* tui obſeruantiſſimi ſunt. Eodem eſt animo *Eibenius*, Ictus, quem *Gieſſa* accepimus. *Eichelius* domo abeſt, occupatus negotiis Ducis Saxoniæ Lauenburgici. Scio illi peracceptum futurum, ſui memoriam apud te ſupereſſe. Semper enim te ex merito æſtimauit. Quæ de ſingularis Reipublicæ notitia paro horis ſuccıſiuis, illa mittam, vbi fuerint abſoluta, forte typis edita. Vere enim nouum eſt hoc argumentum, et tamen, ſi quid iudico, apprime in vita ciuili ad danda conſilia vtile. Quæ ex bibliotheca Wolfenbüttelenſi deſideras, bibliothecarius, homo indoctiſſimus, negat ſibi viſa. Et ego ipſi credo, cum ignoret etiam quæuis tantum non in vulgus

CCCCXLVI.

Inſulſa *Dauidis Haniſii*, primi Wolffembuttelenſis bibliothecæ præfecti, ad *Tobiam Fleiſcherum*, primum Sereniſſimi IO. FRIDERICI, Principis Hanouerani, Bibliothecarium epiſtola *.

Wolffenbuttel d. 25. Aug. 1676.

Meines H. Herrn den 21. Auguſti an mir abgelaſſenes Schreiben habe ſambt beygefügter Genealogiſchen Tabellen, woll *erhalten : berichtend, daſs in begehrter Nachſuchung vnd Erwegung Seiner Hoch-Fürſtlichen Durchl. löblichen Fürhabens ich noch angetroffen*

1. *Alter Hertzogen von Braunſchweig vnd Luneberg 45. Gemahlde, darunter 20. heydniſche mit dem ſchwartzen Pferde. Der erſte vnter dieſen hat 58. Iahr vor Chriſti Geburt, vermöge Vn-*

---

* *Dauid Haniſius*, vt puto, e veteri Marchia Brandenburgica oriundus fuit. Ibi enim hodienum *Aniſios* florere conſtat. *Tobias Fleiſcherus*, Francus, et quidem Baruthinus, quo fato Hanoueram venerit, neſcio. Id ſcio, hoc ipſo anno Hafniam eum conceſſiſſe, Regis Daniæ ſecretis Cameræ adhibitum, ſuoque diſceſſu vacuam feciſſe Hanoueranam *Leibnitio* prouinciam.

Vnterſchrifft, regieret: führt ſelbſt zehn Nachfolger, Scepter vnd Kron.

2. *Noch 19. auf eine andere Art gemahlet, darunter Henrich der Guelph, vnd*

3. *Eine illuminirte Genealogiſche Tabell von an. 693. biſs da Hertzog* Hinrich Iulius *an. 1564. zu Heſſen geboren, nach alter Mahler Weiſe, mit beygefügten Wapen, ſo daſs die Mahler einige Nachricht daraus nehmen, vnd das eine mit dem andern vergäntzen können: Welches, weil ſolche Dinge alle Nagelfeſt, vnd in Rahmen gefügt, woll hier, ohn vnziemlichen Maſsgeben, geſchehen müſte.*

Meine fliegende Armée, oder Reiſe-Bibliothec, in 536. Brigaden beſtehend, iſt, Gott ſey hertzlich Lob vnd Danck, nun zum Marſch fertig. Der biſher geholffen, wolle ferner helffen, vnd wollwollende vnd thuende Beförderer beſcheren!

Die Deutſche Gemeine der Nordiſchen Reſidenz Chriſtiania *hat mir neulich zu Copenhagen durch ihrer Mitglieder einen 1000. Ducaten, vnd ſonſt zum Verlag behörige Vnkoſten antragen laſſen, im Fall ich ihr, durch Interceſſion Deutſcher Hertzoge vnd Herren, bey Ihrer Königlichen Maieſtät zu Dennemarck-Norwegen zuwege brachte, daſs ſie*

das

das Priuilegium erhielte, gleich Coppenhagen vnd Bergen in Norwegen, Deutſche Prediger zu vociren vnd zu halten, in Erwegung die Deutſche Gemeine daſelbſt gröſſer, als die Nordiſche, nach Gottes Word hertzlich verlangete, vnd als vnkundig der Nordiſchen Sprache mit Seuffzen ihren Gottesdienſt verrichtete, vnd daſſelbe wegen zweer oder dreyer Priuat-Intereſſe, ſo es biſher verhindert, daſs ihnen Gottes Wort in ihrer Mutter-Sprache nicht geprediget worden.

Wollen wir nun ſchuldige Barmhertzigkeit an den Mit-Chriſten daſelbſt erweiſen, auch durch dieſs Mittel das allgemeine Beſte befördern; müſſen wir allerſeits geſtehen, daſs Seine Hoch-Fürſtliche Durchleuchtigkeit, Hertzog Iohann Friedrich, *dem ich mich unterthänigſt zu recommendiren bitte, bey der verwitbeten Königin, als ſeiner Frau Schweſter, ſo des Königes Hertz lencken kan, wohin ſie will, ſonderlich zur Gottesfurcht vnd ſeines Nahmens Ehre, das erſte vnd beſte thun kan.*

Printz Georg *kan, was Gott zu Ehre vnd ſeiner Gemeine zur Erbauung dient, darumb vnterthänigſt angeſucht, nicht vnterlaſſen zu befodern.*

Graff Guldenlow, *als Stadthalter, kan ſambt ſeiner Deutſchen Gemahlin ſich auch ſolches Deut-*

ſchen

ſchen Gottesdienſtes gebrauchen, ſambt vielen dahin kommenden reiſenden negotiirenden Deutſchen.

So würden auch S. Durchl. Hertzog Rudolph Auguſt *bey Graff* Anthon von Oldenburg, *als deſſen Fräulein dahin verheyrathet wird, ein gut Wort, dieſs gangbahr zu machen, verleihen; Gottes Ehre, der Nordiſchen Gemeine, ſo Deutſch, Andacht vnd das gemeine Beſte befordernd viel 1000000 Gottes Lohn verdienen; mir die Ehre zu wege bringen, daſs ich vielleicht die erſte Deutſche Predigt daſelbſt thäte, ein capabel Subiectum dahin beſoderte, vnd, ſo mit nöthigen Mitteln vnterſtützt, dieſe Bibliothec beſſer bedienen vnd vermehren könte. Es iſt ein Werck, das Gott Kindes Kindern nicht kan vnuergolten laſſen. So müglich, vberſchreibe mein hochgeehrter Herr in geheim ſein* videtur *hievon, vnd laſſe Gott vnſern Mit-Rather ſeyn, deſſen Schutz hiermit hertzlich empfohlen. M. H. Herrn dienſtſchuldigſter Knecht*

David Haniſius.

Inſcriptio literarum:

Dem WohlEdlen Veſt vnd Hochgelehrten Herrn, Herrn Tobias Fleiſchern, Fürſtl. Braunſchweig-Luneburgiſchen Bibliothecario zu Hanover. Meinem hochgeehrten Herrn, Gönner vnd Freunde dieſes. Citò Citò Hanover.

CCCCXLVII.

CCCCXLVII.

Boineburgius Germaniæ Ordinum ſocordiam traducit apud *Conringium.*

Moguntiæ d. 14. Iun. 1670.

Tuis *d. 23. Maii* ſcriptis per eſt diu ex quo reſpondere deſtinaui. Sed mire fui hactenus huc illuc diſtractus: domo quoque abſui. Iam a Treuirenſi redux ad Palatinum Electorem cogito: tum ad acidulas. Gallus domum rediit placide; neque iam timemus vltra. Viennæ omnia ſunt intricata et lenta, et Cæſaris bonitate abutuntur omnes. Triplex fœdus variantibus et alternantibus votis ſpebuſque interpungitur, ita vt de eius ſolidamento nihil certi definitique ſit. In Comitiis nil proficitur; cuius vitio tametſi ſciamus, edifferam nunquam tamen. Status antehac Comitia crepabant. Iam habent; ſed vti neſciunt. Vetus vox eſt: Germani clamant: agunt nil: occaſione excidunt ſibi commodandi; etiamſi vel in numerato habeant. Quod ais de *Auerſpergio* in vincula dato, errat fama. Ex eſt aula * et liber in

---

* *Io. Weichardus*, Ferdinandi IV. ſupremus Aulæ præfectus, et primus huius familiæ

in Carinthia apud fratrem **, otiumque ſuum oblectat legendis bonis libris. In illo videre eſt humanæ felicitatis ſtupendam inſtabilitatem. Tricas cum Brandenburgico ſopitas eſſe, ſumme gaudeo. Vtinam media quædam ſurgat pars inter bellaturas, quod Deus auertat! partes notas! Illa conflari poſſet optime, ſi priſtinorum conſiliorum robur in præcordia rediret. Sed omnia nunc ſunt intuta, quin ne cogitata quidem ſatis ſecuritatis habent. Vſque adeo vbique res inuoluuntur. *Lampadiana* tua ſumme deſidero. Vtinam tua omnia cum Germanica, tum politica in vnum ſyntagma componeres! Exſpecto quoque tua de ſingulari republica, et ſi qua alia moliris. D. *Saubertum* ***, quæſo, exora, vt quid mihi per-

---

S. R. I. Princeps creatus, hoc anno Aulam Cæſaream reliquit.

** *Wolfgangum Engelbertum*, natu maiorem et in cœlibatu viuentem.

*** *Io. Saubertus* fuit *Conringii* gener, primarius Theologiæ Profeſſor in Academia Altdorfina. (Vid. ſupra *p. 1129.*) Vbi ob laxiora Helmſtadienſium principia multum per-

perſcribat de vſu Orientalium eruditionum, quale quid olim promiſit mihi *Hottingerus.* Singulis nundinis veſtratia nobis præſto fore, verbis tuis credo. Vale, vir cordi meo proxime!

CCCCXLVIII.

Io. Andreæ Boſii, Profeſſoris Ienenſis, epiſtola ad *Boineburgium* de ſuis et collegarum ſtudiis.

Ienæ d. 5. Nov. 1668.

Illuſtriſſime Baro, Domine et Mæcenas gratioſiſſime.

Mitto iuſſu veſtro indiculum lectionum noſtratium, additurus alia, ſi quidquam occurriſſet, quod veſtris oculis dignum cenſerem. Nam ſacri argumenti nihil a Theologis noſtris prodiit præter Muſæanas exercitationes, quas iam accepiſſe vos puto, et diſputationem *Bechmanni*, Albertino oppoſitam, de verbis inſtitutionis S. cœnæ. Nec a ICtis quidquam editum. *Strauchius* quædam ad ius canonicum molitur, ac præmittet diſputationem de origine et progreſſu Iuris Cano-

 ni-

perpeſſus eſt a quibuſdam Theologis Norimbergenſibus, quorum Dux fuit Miniſterii Senior, *Leibnitius*, ab *Calouio*, vti fertur, inſtigatus.

nici. Sed dum ſubinde vices *Richteri*, Collegii ſui *Ordinarii*, ſuſtinere cogitur, et præterea nuptias filiæ apparat, res lentius procedit. Queritur et deeſſe ſibi, qui ſua in cathedra more Academico propugnare velint. Quod ei facile accredo. Pauci enim reconditiore doctrina delectantur, nec alia ſectantur, quam quorum cotidianus in foro vſus eſt. Addidi programma eius nuper adfixum, quod Vobis haud ingratum futurum crederem. Quæ nos ad *Ioſephi* periocham de Chriſto præter editam exercitationem præparatoriam paramus, ne nupero mercatu Lipſienſi prodirent, prohibitus ſum variis impedimentis: inter quæ haud poſtremum eſt opera, quam illuſtrando *Bellarmino* de Scriptoribus eccleſiaſticis, quorundam eruditorum iuuenum rogatu, impendo: iam collatio MSS. codicum *Syncelli* et *Theophanis*, ac *Georgii Hamartoli*, quos ſuperiore anno mecum communicatos Auguſtani vehementius remitti ad ſe poſtulant. Sed deſino. Deus te ſeruet, Illuſtriſſime Domine, bono Germaniæ, rei literariæ et meo, quam diutiſſime.

De *Reineſiano* Inſcriptionum opere cœpi cum domino eius agere, et conditiones quaſdam, etſi mihi ſat graues futuras, obtuli. Reſponſum eius poſt paucos dies adepturum me ſpero. *Bigotiana* ad *Ioſephum* etiam nunc anxie exſpecto.

CCCCXLIX.

CCCCXLIX.

Idem eidem ſignificat, ſe nactum denique Reineſianas reliquias, quas recenſet.

Iena d. 17. Mart. 1670.

Cum multa velim, nunc paucis id ſolum ob temporis anguſtiam ſignificare licet, veniſſe tandem in manus meas, ſed non exiguo emtas, reliquias ſchedarum *Reineſianarum*, inter quas ſunt epiſtolæ doctorum hominum ad eum ſcriptæ, additis plerumque reſponſis *Reineſianis*, vt ab eo primum in chartam coniecta fuere; tum adnotationes ad *Patinum* de familiis Romanis; diſſertatio de Palatio Lateranenſi et eius Comitiua; adnotationes ad priorem *Voſſii* editionem de Hiſtoricis Græcis, ſed quæ multo auctiores ad *Brummerum* peruenerunt; ſchedæ ad onomaſticum pertinentes, ſed quibus quam multa deſunt; collectanea ad inſcriptiones veteres; collectanea Grammatica; collectanea de Gloſſis ſeu verbis peregrinis; ſummaria obſeruationum emendationumue in ſcriptoribus ſacris, profanis etc. Miſcellanea medica, et emendationes tam in veteribus, quam recentioribus medicinæ ſcriptoribus tentatæ, et

variæ inſcriptiones veteres a *Pyrrho Ligorio* ac *Sirmondo*, *Thoma Bartholino*, aliiſque collectæ. Sed hæc omnia imperfecta, nec ab autore elaborata; vltimam certe manum deſiderantia. Ex eo tempore in manus meas quoque peruenere epiſtolæ ad *Bernardum Bertramum*, Cancellarium Altenburgicum ſupra 250. et aliæ ad *Ioh. Weizium*, *Ioh. Tobiam Maiorem*, *Ioh. Strauchium*, alioſque; ſed præſertim nitide deſcriptæ, quas ad *Chriſtianum Daumium* miſit, varia doctrina refertæ. Hæ poſtremæ iam magnam partem typis excuſæ ſunt, ac prodibunt, ſpero, cum ſpecimine variarum nondum editarum, et notatiunculis ad quoſdam Scriptores veteres, ad nundinas Lipſienſes *. Vix typographum iis; reliquis nullum huc vſque inuenire potui. Si Reuerendiſſimus Epiſcopus Paderbornenſis in eas aliquid erogare vellet; darem operam, vt in certa volumina, quæ in catalogo Francofurtenſi, vt ſpero, recenſebantur, diſtributæ breui prodirent. Nam me defuncto vix erit,

* Prodierunt illæ hoc anno et his nundinis, magna ſane et copioſa *critica* eruditione refertæ. Placent præ ceteris, quæ de *Caſpare Barthio*, criticorum eius ætatis principe, ibi paſſim diſſeruntur.

rit, qui poſſit edere, quod manus viri lectu difficilis eſt. *Ioſephum* noſtrum, ne prodeat, morantur *Rulandini*, qui *Francofurti* prodire voluit; cum ego heic loci cupiam, quo correctioni ipſe præſim. Ei, quemadmodum et *Reineſianis*, ſi priuilegium Cæſareum impetrare poſſem; facilius typographos inuenirem. *Reineſiana*, quæ ad *Brummerum* peruenere, ſollicitaui per eius patruum; ſed is a Sereniſſimo Electore Saxoniæ prohibitus ait hæredes quicquam ex ea bibliotheca vendere. *Inſcriptionum opus* cum *Onomaſtico* in Archiuo Electoris latet. Spero tamen impetrari poſſe, ſi quis exſtiterit, qui ſumtus in editionem faciat. Ego libens editionem in me ſuſciperem. Sed finiendum eſt. Vale, præcipuum Nobilitatis Germanicæ et ſeculi decus, et noſtris ſtudiis fauere perge.

CCCCL.

Erici Mauritii epiſtola ad *Boineburgium* de itinere ſuo Belgico.

Kilonii d. 14. Mart. 1670.

Illuſtriſſime Vir, patrone certiſſime.

Niſi iuſtiſſimus dolor, qui in intima pectoris mei penetralia, amiſſa optuma coniuge, deſcen-

 dit,

dit, ingratiſſimam mihi reddidiſſet infauſti itineris memoriam, iam pridem, quod receperam, praeſtitiſſem, tibique, Domine, illius temporis quoque, quod viae impendendum fuit, rationem reddidiſſem. Nunc cum ipſe ſatis luctus mei acerbitatem intelligas, veniam dabis clienti tuo dilati obſequii, quod, licet ſerius, ſoluo tamen. Ex quo ergo Moguntia diſceſſi, Confluentiae et Coloniae nihil dignum memoria occurrit. *Veſaliae* vero *Ewichium*, Eccleſiae miniſtrum, viſitare decreueram, quod nummorum antiquorum ſelectiſſimos non paucos ſeruare diceretur, eſſeque antiquitatis omnis inſigniter peritus, ac vixiſſe plures annos Sanctis, Cliuiae oppido, vbi vetera olim Romanorum caſtra, quae *Varus* quoque cum legionibus inſederat, fuiſſe conſtat. Quam famam non vano rumore niti, *Smetius* deinceps Neomagi oſtendit. Non licuit autem frui colloquio illius, quod non leuiter aegrotaret, nec mihi commodum niſi per paucas horas morari exiſtimarem, morbo per vrbem graſſante, cui contagii aliquid ſubeſſe credebatur. Die ſequenti Sanctium perueni, ibique nummos antiquos aliquot, annulum ſignatorium antiquiſſimum aureum, et praegrandem vnum, fibulas, Deos lares binos, lu-

cer-

cernas ac Deorum Dearumque in gemmis vetuſtas imagines pretio non iniquo meas feci. Inueni ibidem quoque Ieſu Chriſti pueruli imaginem, neſcio ex qua materia, ſaltem cui ſimilis hodie non exſtat, (inter lapidem enim et calcem medium aliquid eſſe videtur) paulo ante in ſepulchro Chriſtiani, vt apparet, qui tertio ibi vel quarto ſeculo mortem oppetierat, repertam. Inde Cliuiam, mox Neomagum iter fuit, vbi *Smetii* ſuppellectilem antiquariam ampliſſimam per diem propemodum integrum non ſine admiratione manibus et oculis verſaui. Inde ad *Dordracenſes* perueni, nec tamen, licet perluſtratis vrbis illius, quæ ſunt momenti nullius, officinis librariis, aliud quid reperi, quod ad vos non perueniſſe exiſtimare poſſim, niſi Belgicos libros duos; vnum, quo *Wittenii* illius, qui Delegatus Ordinum prouinciarum Belgicarum Vnitarum claſſi interfuit, ephemerides, literæque omnes ſummaque adeo expeditionis illius, ipſo, vt videtur, vel eo, qui illi a ſecretis fuit, edente, continentur; alterum cuiuſdam verbi diuini miniſtri apud Smyrnenſes (ei *Cænen* nomen eſt) qui Belgico ſermone Hiſtoriam omnem *Sabathai Seui*, illius, qui nuper Iudæorum ſe Meſſiam eſſe ferebat

Smyrnæ, accuſate deſcribit. Fuit ipſi multus ſermo non ſolum cum Iudæorum illius loci doctiſſimis, ſed cum fratre quoque impoſtoris huius, quem Regem Regum, non ſatis memini Iſraelis, an Iudæ, nominauerat, et cum *Nathane*, propheta fictitio. Roterodamum poſtea delatus, ſtatuas antiquas marmoreas, quæ, cum ſumtibus Angliæ principis in Inſulam ex Italia allatæ primum fuiſſent, deinceps *Rubenii*, Antverpienſis pictoris, mox Ducis *Buckinghambii* ære, centum, vt fertur, ab illo mille imperialibus redemtæ, nunc viſuntur in ædibus *van der Wulfi*, mercatoris Roterodamenſis, qui illas, opinor, tempore tumultus a parlamentariis emit. Eſt inter illas *Apollo* formoſiſſimus, *Homeri*, *Ciceronis*, *Cæſaris*, *Auguſti*, *Neronis*, *Agrippinæ*, *Vitellii*, *Hadriani*, *Traiani*, imaginibus circumſeptus, quæ omnes inimitabili opere certiſſimum antiquitatis ſuæ inſpicienti faciunt indicium. Habet quoque ſatyrorum et Cupidinum effigies veteris et admirandi artificii. Nullibi, quam in Belgio, nunc maiori impunitate libri venduntur, quos publicis edictis olim prohibitos voluere Ordines. *Crellii* et *Socini* pleraque opera, in Belgicum ſermonem verſa, in omnibus fere librariis officinis omnes angulos explent. Poteram et illius li-

libri, cuius auctor *Corbachius*, Medicus et Aduocatus Amſtelodamenſis, ad operas publicas condemnari meruit, licet bibliopolis recenti edicto, grauiſſimae poenae etiam corporis comminatione addita, interdictum eſſet eius commercium, habere exemplum. Cui pretium tamen ſtatuebant immodicum, quo deterrere poterant emtores. Quantum ex illius inſpectione percipere potui, S. Scripturae auctoritatem negat, hiſtoriam creationis impugnat, mundum aeternum ſtatuit, nullam religionem earum, quae a gentibus integris hactenus cognitis recipiuntur, penitus veram eſſe audaciſſime aſſerit, Sabbathum inuentum humanum eſſe putat, in Miniſtros verbi diuini Reformatos, in quos alium librum ſe ſcripſiſſe profitetur, mirum in modum inuehitur, aliaque habet leuiſſimis ſaepe argumentis inductus, quae typis permitti niſi ab homine ſalutis ſuae prodigo non poterunt.

Delphis Batauorum in aedibus Anatomicis nuper exſtructis, Societatis Indicae Adminiſtratorum munere, inter alia rariora pullus quoque Rhinocerotis, quem viuum in Inſula Iaua cepere Belgae, cernitur. Eius exuuiae, interius ſtramine, vt puto, repletae, vel nunc viuentis ſpeciem exacte referunt.

Hagae

Hagæ Comitis cum Legatorum præcipuis octiduo integro, et quod excurrit, de variis diſſerui. *Leonis ab* AIZEMA, rerum Belgicarum peritiſſimi viri, tumulo inſcripti ſunt, quos ipſe voluerat, verſiculi:

Qui pacem quæris libertatemque, viator,
Aut nunquam, aut iſthoc ſub tumulo inuenies.

Non defuerunt e Miniſtris, qui inſcribi illa nollent, quod putarent illum ſequiorem ſententiam de immortalitate animæ fouere; ſed benigniore aliorum interpretatione locus relictus eſt vltimæ ipſius voluntati. Cum ibi adhuc commorarer, ſepulchro illatus fuit Dominus de *Wittenum*, præſes Collegii ſtatus, ni fallit memoria. Eius funeri inimici iſto, vt vocabant, epitaphio illuſere:

Hier liegt de Heer van Wittenum.
Nemand begeert em wederum.

Laudatur a varia et recondita eruditione Legatus Angliæ, Dn. *Temple.* Dn. *de Wicquefort* Gallico idiomate, petentibus, vt ait, Hollandiæ Ordinibus, hiſtoriam pacis, neſcio an inter Hiſpanos et Belgas, an hos et Anglos initæ, literis mandabit. *Voſſius* ædes Hagæ Comitis magnificas exſtruit. Aberat ipſe domo, ac Amſtelodamum cum Dn.

Beu-

Beuningen, nunc vrbis illius Conſule, conceſſe-rat, quod dicerent, noua quædam et certiſſima tamen ipſius inuenta, plurimum vſus ſocietati eruditæ allatura, ab ipſo adminiſtratores illius magno ære redimere velle. Cum Amſtelodamum veniſſem, ipſe iam Hagam redierat: quare cum eo nunc quidem nullum mihi intercedere potuit colloquium. Cum auunculo tamen ipſius *Iunio* non ſemel mihi ſermo fuit. Is *Voſſium* quidem *Lucretii* editionem nouam, longe, quam eſt *Giſanii*, *Nardi* et *Fabri* illa, etiam correctiorem, ſed et aliam *Catulli*, *Tibulli*, *Propertii*, meditari aiebat. *Suidam* quoque ab ipſo auctiorem, ni fallor, exſpectandum addebat. *Iunius* ipſe librum *de pictura veterum* altero tanto auctiorem, niſi mors interpellauerit optimi ſenis operam, edet. Varia quoque circa veterem linguam Anglo-Saxonicam parata habet, et inter ea neſcio cuius monachi (*Bedam* eius mentionem facere dicebat) paraphraſin, quam, cum pridie rudis eſſet penitus artis poëticæ, nec vel verſum vnum fundere aptus vates reperiretur, e ſomnio neſcio quo euiligans, mira facilitate in plures ſcripturæ ſacræ libros ſermone Saxonico confecit. Accepiſſe codicem ſe ait ab *Vſſerio*, nulli in Anglia, ac ne *Seldeno* quidem

dem intellectum; cum ipſe tamen eum expeditiſſime legat et intelligat. Habet illo antiquiorem codicem *Voſſius*, quo Pſalmi Latini cum verſione interlineari Saxonica continentur. *Sandii* nucleum hiſtoriæ eccleſiaſticæ haud dubie vidiſti. Scriptor eſt *Socinianus;* ſed qui incautis fucum prima fronte facit. Sunt tamen in illo de Scriptoribus eccleſiaſticis, quem reliquis præmittit, tractatu erudita quædam, quæ alibi me legiſſe non memini. *Iohannis Betſii*, olim Miniſtri Reformati, nunc Sociniani, hiſtoriam, quæ miras modo in Belgio turbas dat, quod prolixior ſit, nunc quidem non attingo. Faciam tamen alias, ſi iuſſeris. Apud *Petrum le Grand* Amſtelodami editus eſt *de negotio electionis Polonicæ* libellus, autore *Radziewski*, Vicecancellario, vt quidem perhibet bibliopola. *Grotii* opera Blauius excudi curabit. *Polybius* ibi quoque a bibliopola, qui non procul curia habitat, cum *Caſauboni* notis, et recentioribus *Gronouii* iunioris obſeruatis editur, partemque præcipuam iam abſolutus erat. *Carlilii*, Angliæ Legati, iter ad Daniæ et Sueciæ Reges apud Blauium publici iuris factum eſt. In Anglia *Iohannes Webb*, eques, diſcurſum *de lingua primitiua*, quam Chinenſium illam eſſe vult, non in-

do-

doctum lingua Anglica luci expoſuit. Eum librum Dn. *Habbeo* donaui; exſpecto autem et alterum eius exemplum *Londino*. *Liuium Gronouii* non amplius puto ignorant Francofurtenſes nundinæ. Is grauiter ex maligno morbo decubuit, qui *Coc-ceium*, *Stuartum*, *van Thimen*, et quatuor alios Profeſſores Lugdunenſis Academiæ abſtulit. *Vl-traiecti* cum Dn. *Veldthuiſio* amicitiam contraxi. Librum nuper *de ſuperſtitione* et *idololatria* edi-dit, turbarum inter ipſum et Miniſtros Vltraiecti-nos parentem. Notarunt illum publica cenſura *Voetius* et Conſiſtorii eccleſiaſtici Aſſeſſores Mini-ſtri, quæ cauſſa fuit illius apologiæ, quam, cum eſſem Vltraiecti, typis deſcribendam curabat. Vi-ſitaui et *Voetium* octuagenario maiorem, et Dn. *de Wolzogen*. Putant illi, autorem libri, *ratio Scripturæ interpres*, eſſe Amſtelodamenſem Medi-cum. In illo nihil magnopere ſibi diſplicere ait *Veldthuſius*, niſi titulum, quo factum putat, vt plures, quam alioquin ipſi expectandi fuiſſent, re-pererit aduerſarios. Difficile autem dictu eſt, quot libri in Belgio contra illum Anonymum et *Wol-zogium* editi ſint. De Laponia tractatum prolixum *Montanus* conſcripſit, addetque breui alium, quo Legatorum Belgicorum in illud regnum expeditio-

nem

nem exſequetur. Ceteroquin quis nunc ſit Aſia regnorum ſtatus, ex *Thyſii* cuiuſdam, qui in Belgio menſe, ni fallor, Iunio appulit, relatione haud dubie iam compertum habetis.

Du Roy, olim in Lugdunenſi Academia celeberrimus Philoſophiæ *Carteſianæ* Doctor, nunc Amſtelodami Phyſica docet, mille Imperialium ſtipendio annuo. Groningæ inter *Mareſium* et *Altingium* lis ſopita eſt. Vidi ibi publicam, ſed exigui momenti, et *Andreæ*, Profeſſoris linguæ Græcæ, longe ſelectiorem bibliothecam.

Bremenſis bibliotheca illud præcipuum habet, quod MSta *Goldaſti* ſeruat, vnde tomi aliquot editis *conſtitutionibus Imperii*, vt referebat Bibliothecarius, accedere poſſint. Eiuſdem *collectanea* et quæ ex auctoribus, quos legit plurimos, præcipue obſeruanda putauit, inſtar *Remiſſionum* ſcripta, tribus, ni fallor, codicibus, ibidem quoque oſtenduntur, quæ ne diutius deliteſcere ſinant, monui Conſulem *Meyerum* et Syndicum *Edenum*, mihi olim Viennæ arcta familiaritate coniunctiſſimum et doctiſſimum virum, promiſitque vterque operam ſuam. *Hamburgi* negotium de ſcriptis Iungianis *Vogelio* commendaui. Is viciſſim tibi, Illuſtriſſime Domine, ſtudia ſua accepta eſſe gaudet,

det, ac ſe porro commendatum eſſe cupit. Ex Anglia Societas Regia ſumtus nuper obtulit, quos editio illius operis vel in Germania, vel alibi, et, ſi placuerit, Londini exiget; operam quoque *Siuerti*, diſcipuli Iungiani, qui ex ſchedis Iungianis aliquod diſciplinæ corpus, nullo tamen alio addito, (nolunt enim aurum plumbo miſceri) remuneratura.

E Suecia nihil noui nuperis nundinis allatum eſt; commemorant tamen aliquid moliri *Scheffe-rum*. *Rauius Chronologiam*, quam vocat, *infallibilem* edidit, qua in re, vt mihi quidem videtur, oppido fallitur. Coniecturæ enim illius parum, imo nihil probabilitatis plerumque habere videntur. *Muſæus* iuſſu Principis aliquid edit, quo ſe a Syncretiſmo, quem ei impingunt alii, purget. Tabulas Chronologicas *Wittechindi* non puto a Beckenſteinio eſſe redditas. Auctorem illum, alium a *Barboſa*, qui obſeruationes in Concilium Tridentinum ex variis autoribus indicat, quod nomen eius exciderit, comparare mihi nondum potui. Puto tamen tuo indicio me illum reſcire poſſe. Quod ſupereſt, vale, et cultorem

Oooo tu-

tuum deuotiſſimum, quod facis, amare per
Scribebam Chiloniæ XIV. Martii Anno 1670.

TVÆ EXCELLENTIÆ Cultor addictiſſimus,
Ericus Mauritius.

CCCCLI.

Excerpta ex literis *Io. Fabricii*, Ioannis filii, *Boineburgium* de itinere ſuo Belgico.

Hamburgi d. 10. Aug. 1670.

Coloniæ *Walenburchius*, audito nomine tu me ac meos comites, *Olhafium* ac *Sluterum*, n gna cum gratia excepit, et vltra ſeſquihoram n biſcum ſermonem habuit: primo quidem de ſch mate; deinde de forma iuſtificationis, contra r ſtratium, iuſtificationem in iuſtitia infuſa ſi charitate formaliter conſiſtere negantium, ſent tiam hoc præcipue argumento vſus. Qui n habent ſpiritum Chriſti; illi non ſunt eius. L therani non habent ſpiritum Chriſti, qui eſt ſpi tus charitatis. Ergo etc. Ad hunc aditum n bis comparandum pia, ſi ita appellare licet, fra de, ſalute a te nuntiata, vſus ſum. Coloniæ bibliotheca Ieſuitarum vidimus Conciliorum op munificentiæ tuæ monumentum. Vltraiectum v

ve

ventum eſt, optabamus *Voetii*, qui a ſynodo Dordracena ſolus dicitur ſuperſtes, colloquio frui. Sed fores eius æque et *Iſauci Voſſii*, qui Haga Comitis in Angliam profectus eſt cum D. a *Beuningen*, fruſtra bis pulſauimus. Ibidem primum incidi in tractatum philoſophico-politicum de libertate philoſophandi quibuſlibet permiſſa, atque ex bibliopola audiui, eundem tractatus iſtius autorem eſſe, qui *Philoſophiæ ſcripturæ interpretis*. Alii dicebant eſſe Iudæum. *Ieremias Felwinger*, Socini ſectæ potiſſimum addictus, pro certo affirmabat, eſſe *Spinoſam*. Is eſt, qui in elementa geometrica euidentia meditationes *Carteſii* reduxit. Iudæus dicitur origine: Hiſpanus natione: profeſſione Chriſtianus. Secus tamen videbatur *Zwickero*. Interim certum eſt, librum non *Hamburgi* impreſſum eſſe, vt titulus habet; ſed *Amſtelodami*. Eſſe autem non neminem hic loci, qui refutationem huius libri, tanquam indignioris prolixiore opera, vna philyra moliatur, bibliopola aliquis loci narrauit. Lugduni Batauorum præter *Heidanum* et *Gronouium* ſalutauimus *Hornium*, a delirio necdum ſatis purgatum, atque adeo monſtro, quam homini, ſimiliorem. Et tamen ipſe hoc anno edidit hiſtoriam naturalem et

ciuilem in 12mo. *Amſtelodami* apud *Iohan*
Labadie, qui e Catholico *Reformatus*, et tanc
Anabaptiſta eſt redditus, viuit genere et docti
celebris virgo, *Schurmannia*, cum eoque co
munionem habet bonorum. Ibi ego colloci
ſum non modo cum *Zwickero* et *Felwingero*,
cinianis; ſed et cum Arrianis D. *Galeno* et *San*
Zwickerus ſcriptum ſuum, cui titulus, *Ioſias* 1
fœderis, in illuſtriores vrbes et Academias Ger
niæ et vicinarum regionum tranſmittit, eoque
bare conatur, Ieſum Chriſtum non alium fui
quam hominem. Ceterum, acceptis ac pr
perlectis diſputationibus *Dürrianis*, mihi,
ſente *Felwingero*, dixit, autorem non penitu
futare, quæ ſibi refutanda ſumſerit: *Er l*
darüber hin, *wie der Hahn über die Koh*
nec niſi ab aliis iam olim dicta referre, adeo
non opus eſſe, vt ei aliquid reponatur: ſe int
paratum eſſe cedere ſententia ſua, ſi mel
edoctus fuerit. Et ſane ſi ſecundum eius v
et vitam iudicandum ſit, dici non poteſt, q
tam pietatem præ ſe ferat *Zwickerus* ille. Q
nec auctorem tractatus theologico-politici, de
ſupra, mihi nominare voluit, quoniam de
quam *Spinoſa*, coniecturam ſolummodo habe

neque omnino lectus erat. *Felvingerus Wolzogenii* librum Germanicum *de trinitate et ſuprema diuinitate Chriſti* e lingua Germanica in Latinam transfert. *Sandius*, vir iuuenis, edidit interpretationes paradoxas IV. Euangeliorum, in quibus dicta Patrum Arrianis ſauentia maximam partem collegit, atque in animo habet illas vna cum nucleo ſuo hiſtoriæ eccleſiaſticæ aliquando reddere auctiores. Idem et alia habet anecdota, interque illa tractatum *de origine animæ*, in quo defendere ſatagit, animas a Deo ſimul creatas fuiſſe, easque peccati reas in corpora tanquam in carceres immitti, adeoque corpus hominis accidens ſine inſtrumentum, adeoque hominis definitionem hanc eſſe: *Eſt ſpiritus rationalis incarnatus. Galenus* vehementer doluit, theologiam hodie tam prolixe et intricate proponi, quæ tamen hiſce contenta ſit, ſi credatur, Deum eſſe, eumque iuſtum eſſe, omnipotentem, veracem, fidelem in ſeruandis promiſſis ac minis, et Ieſum eſſe Chriſtum. Quibus ſi homo addat vitæ probitatem, iam certum eſſe de ſalute ſua. Præter iſtos autem, quos recitaui, libros, prodiere nuper 1. *Eniedinus* in 4to Amſterodami in Scripturæ ſacræ loca difficilia, ſi bene memini. Sed omnia fere exemplaria in

Angliam tranſportauit bibliopola quidam Angl
qui nunc ſingula vendit pro quatuor thaleris.
Petri ab *Andlo*, Bataui, ſpecimen confutation
quam *Sam. Mareſius* edidit de abuſu Philoſopl
Carteſianæ Lugduni in 4. 3. *Die Geſandſch*
ten an die Kayſer in Iapan, Amſt. in fol. 4. *I*
de Bruyn defenſio doctrinæ Carteſianæ de dubi
tione et dubitandi modo, vt et de idea Dei in
bis, deque exiſtentiæ eius demonſtratione ex
idea, aduerſus obiectiones *Theodori Vogelſang*
inſertas indignationi iuſtæ, Amſt. in 40. 5. *Fr*
ciſci Ridderi Apollos, *ofte ſerdige Verantwor*
voor de Leere der Gereformeerde Kerke uyt de H
lige Schrifture tegen de Uytſluchte van allerley P
thyen, als mede tegen allerley tegenwerpinge
de Schrifture en Inſtantien, waus door de ſelv
Leere word beſtreden. Het derde Theil, vervat
de de letzte Boecken van het niewe Teſtame
6. *Waarachtige Hiſtorie von I. U. Oldenbarnev*
ibid. 7. *Io. Bapt.* du *Hamel* de conſenſu vete
et nouæ Philoſophiæ. Oxoniæ in 8. 8. *Guil.*
ueregii Inſtitutionum Chronologicarum libri d
vna cum totidem Arithmetices Chronologicæ
bellis. Londini in 4. 9. *De Indianiſche Hiſto*
der Portugeiſen, onder de Regeringe van vyf P

tugeſche Koningen. Roterod. 10. *Ioh. Petri* du *Moulin Schilt des geloufs, ofte verdedinge van de gëloofs Beleydeniſſe de Gereformeerde Kercken in Vranckryck tegens de tegenwerpingen van den Herr Aërnout, Ieſuit.* Delph. in 8. *Planci*, qui multis ab hinc annis contra Socinianos ſcripſit et obiit, diſputationes, quibus oſtenditur, Chriſtum fuiſſe ante Mariam, Leidæ quidem accepi; ſed ſine reliquis, quarum aliæ probant, Chriſtum eſſe Deum eſſentia diuina præditum; aliæ diuinam Chriſti naturam defendunt contra *Crellium.* Habes, Illuſtriſſime Domine, ex editis libris iſtos, quos mihi videre contigit: quibus et illos adiiciam, qui ſub prælo latent, ſuntque *Hoornbeckii vetera et noua.* Vltraiecti in 4to. *Lud. Wolzogen Orator ſacer.* Vltrai. in 8. *Giſberti Cuperi* Obſeruationum libri III. nummis elegantiſſimis illuſtrati. Traiecti in 8. Synopſis *Criticorum* aliorumque S. Scripturæ interpretum, autore *Matth. Polo.* Londini in fol. Etſi pluſcula theologiæ Socinianæ exempla fuerint vendita; typographus, *Franc. Cyperus*, alia editurus eſſet. Habet enim multa MSta, quæ inter eminent *Valentini Smalcii* vita propria manu ſcripta; *Wiſſowatius in III. Euangeliſtas; Git-*

tichii loci communes ex libris Socinianis collecti; N. T. explicatio autore *Smalcio:* vt alia taceam,

CCCCLII.

Excerpta ex literis *Io. Henrici Boecleri* ad *Boineburgium.*

Argentorati d. 15. Dec. 1670.

PORTNERVM * accepimus adeo inuiſum eſſe Gallis, minisque eorum territum, vt vix domo egredi tuto queat. Doleo eius ſortem, et libertatis ne domi quidem tutæ fatum. De Epiſcopi Argentoratenſis infeſto in hanc vrbem animo nimis edocti ſumus. Conſtat enim hæc eum verba feciſſe: *Er wolle den Kopff nicht ſanfft legen, bis er Cölln und Straſsburg ſubjugirt.* Illud quoque conſtat, Chriſtianiſſimo Regi illum querelas inſinuaſſe, et auxilium contra Argentoratenſes petiuiſſe. Cauſſæ quidem fiducia ſane apud Deum et homines niti poſſumus, niſi Inſtrumento Pacis compoſita in irritum quis reuocare velit: cuius rei ſi ſemel datum fuerit initium,

* *Albertus Portnerus*, Camerarius Ratiſbonenſis, hoc ipſo anno Conſiliarius Imperialis Aulicus factus. Vid. *Struuius præfat. ad faſcicul. 2. Collect. MSS.*

um, nemo tutus erit, et bella bellis per totam Germaniam continuabuntur, incerto exitu, quem præſertim fauſtum ſperare non poterunt, qui pacis legibus ſe ligari nolint. En! Guilielmi Forſtneri nouiſſimas ad me literas.

CCCCLIII.

Excerpta ex literis *Guilielmi Forſtneri* ad *Boeclerum* de officii ſui difficultate, de Gallis haud timendis, et de fratris epiſtolis et ephemeridibus politicis edendis.

Stutgardiæ d. 11. Dec. 1670.

Mihi quoque graue fuit a nupero meo ex Gallia reditu hucuſque ſilentium ſeruaſſe; ſed inſueti labores, omnes hominis inexperti labores ſibi ſolis vindicantes, tam ſtrenue exercuere tironem, vt neceſſario differenda fuerit actio gratiarum, quam tibi præter alia plura, etiam pro recentibus tui fauoris teſtimoniis debeo. Ita enim, vt alias ſemper, ita nuperrime excepiſti me Argentorati, nihil tale meritum, vt vel ideo me tibi omnia debere, ſi non opere ipſo, at literis ſaltem ſine mora profiteri homini non ingrato honeſtum fuerit et decorum. Nec ſane defuturus eram officio

iſti, niſi occupleta, ne dicam obruta præſens mea vitæ profeſſio tempus omne ita præriperet, vt nullum amplius cogitandi de aliis rebus ſuperſit. Quid tu, domine, me de Republica percontaris? Rectius, at ad ſtatum conditionemue meam conuenientius, quæſiuiſſes, quibus fodinis aulæ luxum inſtruere ſatagam? quæ et quanta per totam prouinciam, in ipſa vrbe, imo in aula et oculis Principis latrocinia? quæ artes detegendis fraudibus, et quæ coërcendis impoſterum ſcopæ? Hæ curæ, domine, et aliæ huius generis ſexcentæ tanta mole cogitationibus incubant, vt per nocturnam ſæpe quietem et ſomnum obuerſetur anxia his malis prouidendi ſollicitudo. De pace quid ſentiam, difficulter pronuntiem, cum hæc exercitæ prudentiæ virum quæſtio capax ſit iuſtis laboribus occupare. Pauciſſimis tamen, quid mihi videatur, promere non verebor. Ab aperta vi Galliæ nihil timere profiteor adhuc, per reuerentiam Imperii Romani. Suis opibus, ſuis viribus, ſuis curis et laboribus reſtitutam illi tranquillitatem nolle nouis motibus ſollicitari, legatorum vbique voce et literis publice priuatimque in Comitiis et alibi exclamat et inculcat. Poſt hæc Regiam fidem fallere, quam periculoſi ſuis rebus facinoris ſit, nec

Re-

Regem, nec illius Miniſtros ignorare, ipſorum prudentia mihi perſuadet, et verſa nuper in Belgium arma triplici fœderi occaſionem dediſſe, cognitum abunde videtur. Niſi itaque Rex verecundiam omnem exuere in animo habeat, non labefactabit barbaro impetu et armis irreligioſis promiſſorum ſuorum fidem, nec ſe, pro Rege Chriſtianiſſimo, terrarum omnium prædonem cum infamia ſua orbi oſtendet. Hinc etiam legationem Cæſaream efficacem quadantenus futuram ideo non deſpero, quod nondum eo ſuperbiæ excreuiſſe Gallorum felicitatem exiſtimo, vt Auguſtam Cæſaris et Imperii Legationem ſuperciliose contemnere, et plane irritam dimittere, conducibile ſuæ fortunæ credere auſit. Denique ſi lubitum fuiſſet Regi armis infeſtis Germaniam intrare, quis, quæſo! ſummouiſſet irruentem? quæ vires nobis? qui apparatus? quæ propugnacula in finibus Imperii et arcendis hoſtibus arces? Eæ ſcilicet, quas ipſe Gallus ab Imperio habet, fortius muniuit, et potentibus præſidiis inhabitat. Nihil ergo timendum ab eo reor, qui, cum omnem turbandi occaſionem et media habeat, pacatam tamen Germaniam relinquit. Vna me Cæſaris orbitas, et, quod Deus prohibeat, inopinus, ſi contingeret, obitus ma-

gno-

gnopere anxium habet. Tunc enim *vna ſalus nullam ſperare ſalutem*, eoque rerum articulo ſuprema Germaniæ fata incubitura ſæpe triſtiſſima cogitatione conſidero. Rex Galliæ cum CAROLO ſeniore Lotharingo nec pacem ſe, nec fœdera ſecura poſſe habere, ſtatim ab initio motuum nouiſſimorum profeſſus eſt, nec alia magis de cauſſa ditione exutum, quam vt nouandi poteſtatem adimeret inquieto. Non ambitionem, nec impotentem proferendi imperii vires libidinem; ſed ipſum pacis, et cum vicinis Principibus ſtudium quietis Regi induiſſe hæc arma, argumento eſſe, quod paratus ſit CAROLO Iuniori, vel alii ex hac domo principi, bona fide reſtituere agrum Lotharingicum; ſed ſupplicibus, et beneficium Regis agnoſcentibus: qua de re ipſe Legatus Cæſareus in itinere ſuo cum CAROLO vtroque, Moguntiæ item Electore, deliberandi mandatum habere dicitur. Ipſa Lotharingia interim in prouinciæ formam redacta videtur, ſubmiſſo Duce *Crequio*, *præſide*, et neſcio quo alio *quæſtore* *. Nuntiatur iam diu ex Gallia no-

* Quid cauſſæ Gallus prætexuerit, adiecta ſcheda docebit.

noui militis conſcriptio, et ſtrenua veterum copiarum ſupplementa; nec deſunt tamen qui credant, hæc ad terrorem magis fingi, quam reuera bellum parari, cum et Regis auaritia, et *Lionnæi* ac *Colberti*, pace quam bello maiorum, conſilia a turbis abhorreant. Pecuniæ vi bellum in pace gerere, et pecuniæ vi gentes ad Galliæ reuerentiam adigere, viſus eſt hactenus non infelicis ſucceſſus conatus. *Hollandi* ſe illa tempeſtate, ſi erumpat, iri petitum, vix dubii, magnum quidem exercitum pene ſub ſignis habere dicuntur; ſed totum fere ex patribus familias, et nihil minus quam caſtrorum diſciplinam et officia militis edoctum, haud magno vſui futurum. Epiſtolas fratris mei tandem decreuimus cum Ephemeridibus politicis prælo ſubiicere; ſed extra Germaniam, et vt typographus profiteatur, ſe amicorum opera collegiſſe poſthumas chartas, et edidiſſe etc.

CCCCLIV.

Robertus de Grauel, Regis Chriſtianiſſimi Plenipotentiarius, Proceribus Imperii d. 17. Sept. 1670. iuſſu Domini ſignificauit,

Crequium Lotharingiæ inmiſſum aſtringendo Du-

Duci, vt 1. militem reipſa dimitteret; non fraudulenter. 2. Contrauentiones contra tractatus repararet. 3. Caueat Regi Chriſtianiſſimo, non conſpiraturum contra Regis et Regni Galliæ intereſſe, quatenus ad id plurimis titulis teneretur. Inducere conatum quoſdam Principes Chriſtianos ad pacem Aquiſgranenſem infringendam: Regem nullum ex Ducis ſpoliis emolumentum quærere. Quare, ſi Rex eum tertio expellere cogatur, alium Lotharingiæ Principem, dummodo ad Regis gratiam tempeſtiue, decenter et ſubmiſſe confugiat, ſubſtituere non dedignaturum. Vnde patere queat, ſcriptum Lotharingicum, tot querimoniis refertum, nullo iure nixum eſſe.

CCCCLV.

Boineburgius Hanouera *Leibnitianam* epiſtolam mittit *Conringio*.

Hanouera * *d. 22. Febr. 1671.*

Huc

* In hoc receſſu Hanouerano Principi *Leibnizium* impenſe laudatum fuiſſe, dubitandum non eſt, quia ab hoc tempore ad Principem literas dare, einſque largitione aliquo modo frui cœpit, cum mira, et in his *Transſubſtantiationis* demonſtrationem mathematicam, promitteret.

Huc veniens nil perinde in votis habui, quam vt te hic videam. Sed vereor, vt voto illo nunc frui liceat tam cito. Igitur his te volui appellare, tibique fidem meam de integro iterum iterumque obſtringere ad perpetuum nominis tui cultum. Si precari, ſi deſideria mea libraria audenter efferre licet; rogo quæſoque, vt quamprimum, quæ recens apud vos edita ſunt, huc mittas ad *D. Wittium* noſtrum. Et vecturam et omnia libens e veſtigio ſoluam. Annotetur modo pretium.

Mitto epiſtolam hic *D. Leibnizii*, tum eiuſdem aliam ad *Edzardum:* quam vt Hamburgum curare velis, obſecro. Sunt enim penes vos Hamburgenſes *Studioſi*, per quos poſſis. Vale, et manda, ſi qua re tibi hic alibiue prodeſſe queam. Intra octiduum abire paro, aut ocius forſan. Si quid me voles interea, expectabo iuſſa tua. *Vogleri* notitia Scriptorum perplacet in antegreſſum maioris operis. Sodes, amabo te, ſi adhuc tuus libellus, quem olim de omnis generis Scriptoribus dictaſti, haberi poteſt, eum mitte. Deſcribendum curabo, et continuo remittam.

CCCCLVI.

CCCCLVI.

Conringius dolet, quod Hanoueram excurrere nequeat, et reſponſionem ad *Leibnitii* epiſtolam mittit *Boineburgio*.

Helmſtad. d. 17. Febr. 1671.

Pridem mihi per amicum ſpes facta fuit, prope diem fore, vt itinere ad aulas noſtras ſuſcepto nos quoque heic locorum inuiſeres. Illa exſpectatio aliquamdiu magno me gaudio affecit. Ceterum Hanoueram quidem te appuliſſe, ſed iam tum reditum meditari, literæ tuæ ſignificant. Quin imo cum aula noſtra Wolfenbuttelenſis vtroque ſuo Principe ſit vacua, ne illuc quidem te aduenturum, auguror. Vt ego Hanoueram vſque excurram, neque valetudo patitur, neque permittunt negotia, quæ ex Prorectorali Academico munere pluſquam ſunt geminata, ob collapſas nonnihil ſuperioris anni incuria res noſtras. Ac proinde video ſperatam felicitatem decollare, niſi quidem tu, Domine, mutaueris ſententiam. *Vogleriana* placere, gaudeo. Poſt illum librum nihil noſtrum hactenus in lucem prodiit. Sunt nonnulla tamen ſub prælo, forte proximis nundinis apparitura: quæ inter et mea nonnulla ſunt, et quidem, quod miraberis, vnum *de piſcinis*. Simul

mul aliquid horum fuerit confectum, ſaxo vt accipias.

Leibnizii tui, ingenii ſane ignei, epiſtolæ quid reſponderim, videbis. Eius ad *Edzardum* et *Vogelium* literas curabo diligenter. Vale in ſeram ſenectutem, Perilluſtris Domine, et perge fauere! Quid fiet de editione epiſtolarum *Forſtneri* aut *Grotii?*

CCCCLVII.

Conringius nobilem iuuenem commendat *Boineburgio.*

Helmſtad. d. 5. Mai. 1671.

Nihil pridem me ægre adeo habuit, atque repentinus diſceſſus tuus ex terris Ducatus noſtri, præſertim quia ipſemet ſpem mihi feceras, fore, vt iſthac occaſione adeo deſiderato colloquio tandem aliquando frueremur. Nec vero vlla amplius ſpes forte ſupereſt in futurum; cum hæc decollauerit. Accedit, quod ex eo non acceperim, vbinam locorum hodie viuas, apud Agrippinenſes, Francofurtenſes, Moguntinos, an alibi? Quæ incertitudo vetuit vel literarum aliquid ad te dare. Eapropter ſane et haſce exaro, incertus, num ſis accepturus. Quoniam vir nobiliſſimus, iuuenis

ex Bremenſis Ducatus equeſtri ordine, Marquardus Katte, optat in Excellentiæ tuæ gratiam peruenire, ſi fieri id poſſit, neque ego non idem volo, cum iam ſit in alterum annum commenſalis et domeſticus meus; ſcribo haſce, periculum facturus, num forte Francofurti aut Moguntiaci te ſit deprehenſurus. Quod ſi voti fuerit compos iuuenis, rogo, velis illum non tantum alloquio dignari, ſed etiam iubere, quo ipſi aliquis ad Moguntinam et Treuirenſem aulam pateat aditus, cum vtrobique magna tibi ſit autoritas. Ego, ſimulatque id accepero, plurimum gaudebo, habiturus ſcilicet hanc iuueni præſtitam gratiam certum priſtini erga me et animi teſtimonium, et ad literarum commercium perſequendum calcar. Quod ſi fuiſſem certus, recte haſce literas curatum iri, addidiſſem exemplum libri nudius quartus a me publicati *de piſcinis*: quod argumentum non eſſe indecens politicum magiſtrum aut pragmaticum virum, niſi fallor, luculente oſtendi. Vbi defunctus fuero moleſtiſſimo Prorectoris Academici munere, quantum negotia permiſerint, edam alia; ſed magis politica.

CCCCLVIII.

CCCCLVIII.

Boineburgius, morbo Coniugis afflictus, inter alia impellit *Conringium* ad indicem veterum Scriptorum omnium conficiendum, quorum quid ſupereſt.

Moguntiæ d. 15. Iun. 1671.

Nihil mihi literis tuis gratius, cumprimis in hoc meo mœrore, quem patior ex morbo vxoris, vtique dolorum pleno, quales ſolent eſſe rheumatici. Meus e veſtris terris diſceſſus ſatis ſubitus me valde affecit ipſum. Sed differri non poterat ob negotia tum vrgentiſſima. Neque tamen deſperandum eſt de alia occaſione, quæ forte propior eſt atque ipſi credamus. Hactenus, ab triennio ſaltem, ex quo *Schonbornia* familia et mea iunctæ ſunt, hic in domo mea conſtanter habito, ita vt ſic ſcias deinceps, vbi degam. *Veglerus* frequenter ad *Scheſerum* Francofurtum ſcribit. Quidni eadem commoditate vtimur inuicem? *Kattium* excepi tui cauſſa lubenter, quicum et locutus ſum ſat diu, et iuui, qua licuit. *De piſcinis* ſitibundus exſpecto, et omnia tua. Semper faxo paratum ſit pretium, modo ſcribas. Heri demum ab Electore Treuirenſi redux, vxorem offendi valde afflictam ex arthriticis doloribus.

Deus eam iuuet, et illis clementer leuet, ſanitateque priſtina redonet! Noui hinc parum nuntiari poteſt; a vobis plus modo reſciri. Vrbibus æuum hoc per eſt inimicum *. De ſtudiis malim tecum; ſed coram. Videris procul dubio *Ziegleri* et *Oſiandri* Grotiana. Quæſo, de iis quid ſentis? *Baclerum*, vt ſuum opus abſoluat, expugnare non poſſum. *Rachelius* æque reſtitat. *Feldenus* forte cum *Graſwinckelio* deſtitit hoc ſaxum voluere huius obitu. *Vogleri* librum de notitie ſcriptorum cum voluptate legi, meoque filio vtendum commendaui. Vtinam tu exorari poſſes, vt ederes, quæ olim nobiſcum communicaſti de eodem argumento. Sane nil illo libello pulchrius, nil fructuoſius. Amabo cogita, annon ſis ea re multum profuturus iuuentuti, quin et aliis cuiuſuis conditionis hominibus, quorum quanta ſit talium inſcitia, et quantopere errent veterum reliquo-

* Digitum intendit in obſidionem vrbis Brunſuicenſis: cuius rationem reddunt Duces Agnati, miſſa in Aulas vicinas præclara epiſtola; forte a *Conringio* elaborata: quamquam ipſum Sereniſſimum RVDOLPHVM AVGVSTVM ſtilo validum oſtendat ſubſequens autographum.

quorumque autorum ignoratione, vt ſæpe ne vulgaria quidem monumenta vel fando acceperint etiam cetera magni viri, non poteſt ſatis exprimi verbis, nedum ſcripto. Compendium proinde eiuſmodi bibliothecarium, ſeu breuiculum Scriptorum omnium, quorum quid ſupereſt, omnis ordinis hominibus apprime conducet. Noli igitur difficilis eſſe in hoc, vt tuum illud præclarum opuſculum nonnihil locupletes, et edas quamprimum: cui quæ antehac Ariſtoteleæ laudationi ſubiungere occupabas, optime addi queunt, aliaque ad hiſtoriam rei literariæ facientia. Dein rogo, vt politica tua et de Republica Germanica quæ exſtant, vna edas et iunctim. Vereor enim, ne ab aliis in rem ſuam tranſuertantur. Soles vtique inſidiis obnoxius eſſe, erisque magis, vbi aliquando deceſſeris: quod Deus diu prohibeſſit! Vale, et me tuis reſponſis librisque erudi crebro. Deus nos tueatur in pace, et mentis corporisque ſanitate! Veſtra cum *Witeberga* et *Waſmutho* an iam ceſſant diſſidia? Deſitura enim penitus, vix eſt vt credam. Verſio Bibliorum *Auguſta* vernacula an plane incubuit in ſpongiam? *Saubertus* tuus quid agitat? Orientalia etiam me delectare incipiunt. Vale!

 CCCCLIX.

CCCCLIX.

Sereniſſimorum Brunſuicenſium ac Luneburgenſium Ducum ad vicinos Reges data epiſtola.

E caſtris ad Brunſuicum d. 1. Iun. 1671.

Sereniſſime ac Potentiſſime Rex.

Quandoquidem non vno nobis hactenus conſtitit argumento, REGIAM MAIESTEM VESTRAM ſalutem Domus Noſtræ ſingulari plane complecti cura; non facile committendum putamus, vt, quod ad illam pertinet, REGIAM VESTRAM MAIESTATEM latere poſſit. Itaque dum refractariam noſtram ciuitatem Brunſuicum manu militari ad obſequium reducere conſtituimus; REGIAM MAIESTATEM VESTRAM non ſolum de eo, ſed et de cauſſis, quæ ad id nos compulere, certiorem hiſce reddere voluimus.

Diu nimirum eſt, ex quo ciuitas hæc, numero atque opulentia ciuium ferociens, Domus Noſtræ imperium excutere annixa eſt, et in primis iuuit improbum hunc conatum lis, inter Maiores noſtros, lineæ Cellenſis et Guelpherbytanæ Duces, de dominio et iuriſdictione ciuitatis exorta. Ita enim factum, vt, dum quæque pars, ſibi ſtudens, alteram in iure ſuo exercendo impediret, ci-

ciuitas, paullatim obſequendi neceſſitate ſoluta, etiam ea vſurparit, quæ Principum propria, nec a ſubditis attrectari citra nefas poſſe communi gentium bono placuit.

Equidem cum FRIDERICVS VLRICVS, vltimus Ducum lineæ Guelpherbytanæ anno ſeculi huius XXXIV. fato functus eſſet, videri poterat ſublatus hic obex, nec habere vlterius ciuitas, quod ad detrectandum obſequium cauſſari poſſet. Sed fecit licentiæ amor, vt ciuitas nec tum magis bonam fidem agnouerit, tantoque pertinacius imperata ſubire recuſauerit; quanto minus periculi ob acciſas Principatuum Noſtrorum vires ea quidem tempeſtate ſibi imminere credidit. Acceſſit, quod lis, quæ non minus ac linea ſæpius memorata Guelpherbytana exſtincta videbatur, inter noſtros Parentes glorioſæ memoriæ recrudeſcere inciperet. Neque enim tam perſonas, quam Principatus ipſos ſequi videbatur. Quam vero id graue Nobis Noſtriſque ſubditis acciderit, commemorare nimis longum foret.

Nos ſane litigii, quo gliſcente ſecuritati Principatuum noſtrorum numquam ſatis proſpectum, pertæſi, ſic tandem conuenimus, vt ciuitas penes Nos, Ducem RVDOLPHVM AVGVSTVM, maneret;

validis præterea non minus ac legitimis mediis ad recipiendum a nobis militem præſidiarium adigeretur. Nam nec illud diſſimulandum, iam ab initio ſic Nobis viſum, ciues ex diuturna illa licentia tantum in Principis nomen odium et contemtum cepiſſe, vt, niſi ſimul vis adhiberetur, illos ad debita ſubiectionis munia vocare velle nihil aliud foret, ac ius ſuum auctoritatemue illorum ludibrio exponere.

Iuſſimus itaque militem noſtrum appropinquare vrbi; ciues vero, vt quoſdam ex ſuis ordinibus mitterent, qui, quæ pro iure Noſtro poſtularemus, audirent referrentque. Comparuere quoque nonnulli; ceterum relatione facta id tantum reſponſi tulere, ciues omnia prius ac præſidium admittere velle. Vim etiam illico parauerunt, legendo militem, noſtrumque, vbi in conſpectum vrbis ſe dedit, exploſis tormentis infeſtando. Equidem id omne iure inculpatæ tutelæ ſe facere, nec in crimen trahi poſſe obtendunt; ab immemoriali tempore nimirum ciuitatem et hac gaudere immunitate, ne militem recipere cogatur: eſſe præterea ſibi pacta, priuilegia, iudicata, quæ ſidem faciant, non eadem ſe cum ceteris ſubditis viuere ſorte, nec, quod hi præſtare tenentur, ſibi citra iniuriam imponi poſſe. Quam

Quam inania vero hæc atque friuola ſint, demonſtrari in procliui eſſet, ſi operæ pretium foret. Id conſtat, Maiores Noſtros numquam a ciuitate in ius vocatos, aut cum ea de libertate pactos eſſe. Si qua vero inter Duces memoratæ lineæ Guelpherbytanæ et ciuitatem conuenta, illa Nobis officere non potuerunt, quod non tam ex facto illorum, quam prouidentia Maiorum noſtrorum ciuitatem vindicatum imus. Nec priuilegium, quo ius armorum ciuitati indultum, Nobis inſciis aut inuitis concedi potuit, aut conceſſum vmquam docebitur. Ex lapſu vero temporis id petere velle, tam ab omni lege alienum, quam exemplo pernicioſum. Atque hinc etiam Nos firma ſpes tenet, neminem fore, qui cauſſam, quam fouemus, damnare velit, cum non tam noſtra ſit, quam omnium Regum atque Principum, quorum vtique intereſt, nullo vmquam tempore impune ceſſiſſe ſubditis, temeraſſe iura Imperantium.

Quodſi vero quis, odio aut inuidia excitatus, in Noſtrum damnum atque præiudicium quid moliri præſumſerit; a REGIÆ MAIESTATIS VESTRÆ æquanimitate attamen id Nobis promittere audemus, Illam non minus promtam fore ad tuendam cauſ-

ſam iuſtam adeo ac æquam, iuuandoſque, quos hactenus vt amicos ſibi commendatos habere orbi manifeſtauit.

Augebit in eo MAIESTAS VESTRA REGIA gloriam, quam iam dudum ſibi parauit, immortalem non minus, ac in Nobis ſtudium, REGIÆ MAIESTATIS VESTRÆ beneuolentiam quouis officii genere demerendi: cui de cetero vitam longæuam proſperoſque rerum ſucceſſus vouemus. Dabamus in caſtris d. 1. Iunii 1671.

REGIÆ MAIESTATIS VESTRÆ

ad officia paratiſſimi conſanguinei

GEORG. WILHELMVS, IOHANN. FRIDERICVS, RVD. AVGVST.
D. B. et L. D. B. et L. D. B. et L.

CCCCLX.

Doctiſſime Domine Magiſter,
Amice Dilecte.

Quo affectu vſque in me fueris, non adeo quidem gratiſſimæ tuæ, quibus ſalutatum me iuiſti, literæ, quam alia animi tui infucati documenta, teſtes ſunt. Grator ſane Mihi, et grates ago, quod ſuſpiciar, atque in ſpes non leues extollar a talibus Viris, quibus ob merita ſua haud infima de-

debet noſtrum ſeculum. Adſit diuina Clementia pio pro me concepto augurio, et faxit, vt nullo ætatem magis inclareſcam, quam hactenus de me prædicato pio Pietatis elogio. Beati *Hornei* memoriam quod nitida prorſus oratione ab obliuione vindicare, eandemque operam Nomini meo inſcribere voluiſti; iſtud quidem tum ob ſingularem, quo Summum Virum proſecutus ſum, amorem, tum ob meritum virtuti ipſius nunquam intermoriturae debitum mirifice placet. Neque enim negligenda eſt fama eorum, qui, dum vixerunt, nil pararunt niſi immortalia. Vale, Vir Doctiſſime, et me tuo, vt et omnium bonorum, affectui porro altius inſerere ne deſine, qui non ſine digna compenſatione tranſmiſſi muneris literarii perpetuo conſtantique fauore ero, donec ero,

Guelpherbyti
Prid. Cal. Maii
Anno cIↃ IↃ CLVI.

Tuus
RVDOLPH AVGVSTVS.
D. B. et L.

Inſcriptio literarum:

Viro Doctiſſimo, Dilecto Amico noſtro, *Chriſtophoro Schradero*, Philoſophiæ Magiſtro et Eloquentiæ in inclyta Iulia Academia Profeſſori Publico.

Praeſ. d. 2. Maii 1656. CCCCLXI.

CCCCLXI.

Lettre de M. l'Abbé de *Gravel* à M. de *Boineburg* ſur la mort de M. de *Lionne.*

à Wirtzbourg le 19. Sept. 1671.

Monſieur

J'ay appris avec plaiſir de vos nouvelles par la lettre, que vous m'avez faict l'honneur de m'eſcrire du 15me du courant. Je crois, que vous avez perdu auſſy bien que nous, à la mort de M. de Lionne, *parce que je ſçay qu'il connoiſſoit et eſtimoit tout à fait voſtre merite* *. *Les lettres de demain nous apprendront, ſi M. le* Marquis *de* Berny *ſuccedera d'abord à ſa charge, ou ſi quelqu'autre l'exercera par commiſſion encore pendant quelques années, ainſy que le bruict en court. Je ne penſe pas, Monſieur, avoir l'honneur de vous voir à cette foire. Vous pourrez rendre le livre de M. Belin à Meſſ. Barthelz, qui me l'envoyeront icy, avec d'autres choſes qu'ils me feront tenir. Je n'ay rien eu de nouveau depuis la derniere foire; mais j'attens de Paris la reponſe aux entretiens d'Eugene et d'Ariſte, que vous avez* *veu*

* Hæc mihi ſuſpecta reddunt, quæ ſupra *p. 115.* de *Lionneo* narrauit *Puſendorſius.*

*veu et eſtimé. On fait grand cas de cette reſponſe. Il y en aura encore quelques autres, dont je vous feray part tres volontiers lorſque je les auray receu. J'avois deux exemplaires de l'*hiſtoire d' Egipte, *dont j'ay donné l'un à M. l'Electeur, et l'autre à mon Frere, de ſorte que je n'en ay plus; dont je ſuis bien faſché, puiſque je voys que vous auriez eſté bien ayſe de l'avoir. Je n'ay, comme je viens de dire, rien de nouveau, n'y relations, n'y autres choſes. J'ay celle de Monſ.* Thevenot *in* fol. *que vous aurez veu chez moy la derniere fois que vous y fuſtes. Si vous la voulez neantmoins, je vous l'envoyeray **. J'ay laiſſé M. le Plenipotentiaire en bonne ſanté à* Ratiſbonne, *d'où je ſuis revenu il n'y a pas longtemps. Je vous aſſeure, qu'il n'eſt pas moins, que moy, etc.*

CCCCLXII.

Excerpta ex literis *Danielis Georgii Morhofii*, Profeſſo-

** E regione huius loci manu Boineburgii adſcripta ſunt hæc verba: *Si vis, faxo mittat.* Et paullo infra *H. D. Leibniiz.* Vnde patet, *Boineburgium* autographum hocce *Leibnitio* miſiſſe, officiaque ſua ad impetrandum *Thevenoti* librum a *Grauelio* obtuliſſe, exciſo tamen prius in ſubſcriptione Abbatis huius nomine.

ſeſſoris Chilonienſis, ad *Ericum Mauritium*, Cameræ Spirenſis Adſeſſorem datis, et ab hoc cum *Boineburgio* communicatis, de facie Aulæ Academiæque Chilonienſis, et de iterato itinere ſuo Belgico et Anglicano *.

Chilonii d. Octobr. 1671.

Ich habe mich anizo mit eines Raths-Herren zu Lübeck, Caſpars von Deginck, *Tochter ehlich verlobt. Deſſen Vater, Burgermeiſter in Dortmunde, ward von Ferdinando III. mit ſeiner gantzen Familie geadelt. Sein Bruder iſt Rath in Oſt-Frieſsland, und Landrichter. D.* Martini *iſt Ordinarius Profeſſor Facultatis Iuridicæ zum Kiel worden, ea conditione, daſs er Ordinarius in Philoſophia bleibt; den Rang aber in Iuridica hat. D.* Waſmuth *und* Franck *hat man erhoben, und über die Iuriſten geſetzet. Man ſagt, D.* Martini *habe 500 Rthlr. ſpendirt; etliche ſagen von 1000. Er kriegt nur 50. Thl. zu, und mus 2 Stunden des*

* Iter ingreſſus eſt media æſtate 1670. Chilonium rediit 1671. vbi a. d. 23. Octobr. vxorem duxit *Margaretam Deginkiam.* Vid. Molleri *Cimbria literat. t. 3. p. 460.* Vnde menſe Octobri anni 1671. ſcriptam eſſe hanc apparet epiſtolam.

des Tags leſen. Wir ſolten unſer iudicium wider Muſæi *Buch de fugiendo Syncretiſmo geben, und wer es nicht billigt, ſoll nach Hoff kommen, und mit ihm diſputiren.* D. Reiher *iſt mit des Groſs-Vogten Tochter zu Schleſswig verlobt: wird extraordinarius iuris werden; D.* Graunn *extraordinarius Medicinæ;* Tribechouius *nach Lübeck zum Prediger-Dienſt befördert werden. D.* Waſmuth *wird ein Buch ediren, genant Apodeictica temporum reſtitutio contra omnes Chronologos, Aſtrologos etc. darinn er 9. Tabulis einen ganz andern motum ſolis demonſtriren will, als bisher von den Mathematicis gehalten, vt fidem faciat principiis Rauianis. D.* March *und D.* Reiher *ſind nicht mit ihm eins; er iſt nach Hamburg, und hat mit D.* Vogel *und* Kirſtenius *conferiret. Iactirt conſenſum. Er hat uns mit dem M.* Opiz *in unſerer Facultæt wunderliche Händel gemacht. Dieſer* Opiz *wolte pro Adiunctura diſputiren, und hatte einen Medicum zu Stade,* Hanemann, *hart angegriffen: ſo unſere Facultæt und das gantze Conſiſtorium nicht leiden wollen, ſondern ihm verbothen. Darauf ſchreibt* Waſmuth *einen injuriöſen Brief gegen alle und jede nach Hofe; iſt aber von uns maſcule beantwortet.* Opiz *ob er gleich nicht*

præ-

praſtanda praſtiret, noch das Geld pro Adiunctura, ſo ihm zurück geſchickt, geben, ſchreibt ſich einen Adiunctum Facultatis, und, wo wirs nicht leiden, drohet er wider uns zu ſchreiben. D. Rachel *iſt nach Braunſchweig gereiſet, umb Præſident daſelbſt zu werden; hat aber einen bloſſen geſchlagen. Man ſagt wieder ſtarck, daſs* D. Rüdeker *zu Roſtock primarium profeſſoratum haben ſoll:, nebenſt 600 Thl. Salarii, und Raths Titul; gab zu verſtehen, daſs er dahin inclinire.* Herr Gudius *verwaltet noch die Rathſtelle, und beſucht fleiſſig die Cantzeley, und läſſet ſeine andere Dinge liegen, damit er ſich ex parte exhibire, quia alii ſequius de eo iudicant. Multi dubitant, ob er noch mit dem Præſidenten in der Harmonie ſtehe. Man hat geſagt von ſeinem vormahligen Cameraden, einem Hollandiſchen von Adel, daſs er heraus kommen, und eine vornehme Heyrath (mit des Præſidenten Tochter) treffen werde; aber dieſes ſcheinet wieder zurück zu gehen: dann er jetzo nicht kommen wird. Der Amtman von Ciſsmar ſoll abgeſetzet werden, und iſt die Urſach wegen eines Duels zwiſchen ſeinem und des Probſten von Pren Sohn. Dieſer, des Probſten Sohn, ſoll des Herrn Præſidenten Tochter heyrathen. In Schleſ-*

wig

wig hat das Wetter in den Altar geſchlagen, das Tuch zerriſſen, und ein ſilbern Bild, ſo der Herr Præſident dahin machen laſſen, touchiret, und gantz ſchwartz gemacht. Was zwiſchen Ihro May. und Ihro Durchl. vorgangen, wird Ihnen ſchon bekand ſeyn; mag nicht alles der Feder vertrauen. Es haben Ihro Durchl. den Vergleich wegen Oldenburg unterſchrieben, der Ihro ſehr præiudicirlich; denn man Ihro pro toto eius iure zwey Aemter geben hat. Dieſes hat der Herr Præſident hefftig empfunden, und ſolches Ihro Durchl. remonſtriret, auch ſeinen Abſchied begehret, wenn getreue Diener nicht ſolten gehöret werden. Man hat auch Abgeſandten nach Dennemarck geſchicket, umb dasjenige, ſo paſſirt, zu redreſſiren. Dieſe ſind Kalendis Aprilibus allda angekommen, und deſſelben Tages ohne einige Audienz wieder dimittiret worden. Mag nicht ſchreiben, was ſonſt für Worte dabey vorgefallen. Endlich hat man den Biſchoff von Eutin aufgemacht, daſs er pro iure ſuo internenirt. Es iſt aber biſshero fruchtlos geweſen. Nun ſagt man, daſs der Hertzog von Plön confirmation vom Kayſer erhalten. Wie das Ding ablauffen werde, wird die Zeit lehren. Man hält dafür, daſs man von Schweden verſichert ſey, im

Fall von Däniſcher Seite etwas angefangen würde, mit 30000 Mann zu ſuccurriren. Der Herr Præſident hat alle ſeine beſte Sachen von Schleſswig nach Hamburg in Sicherheit gebracht, und zwar heimlich in der Nacht. Unſer Herr hat in Coppenhagen bey 16000 Thl. verſpielet. Ietzo wird der König in Schleſswig erwartet. Neulich iſt einer zu Schleſswig geweſen von Dännemarck (der Moht, *plagiarius meus) und hat vier Wochen lang die Archiven durchgeſehen, umb was darinn zu finden wider die Städte Hamburg und Lübeck. Auf dieſe ſoll was gemüntzet werden, und machen dieſelbe gute Anſtalt zur Gegenwehr. D.* Wedderkopf *und* Rachel *können nicht zuſammen ſtallen; hingegen ſind* Wedderkopf *und* Martini *gute Freunde. Man ſagt, es ſoll ein ſynodus gehalten werden ratione ſyncretiſmi.* Calouius *ſoll wider* Muſæum *etwas vorhaben.*

Meine Reiſe betreffend, mag billig vor den Haupt-Nutzen achten, daſs ich mit Herrn Gudio *bekannt worden. Magna eſt viri iſtius eruditio. Er hat eine überaus trefliche Bibliothek, die wegen der MStorum mit* Voſſii *ſeiner ſtreitet; ob dieſe gleich deren bey 1000 hat. Er hat treffliche Inſcriptiones, die a* Grutero *und* Reineſio *vorbey gegan-*

gangen; herrliche nummos. Er hat ſo viele literas clarorum virorum prioris etiam ſeculi, die ſie mit ihren eignen Händen geſchrieben, daſs ich mich verwundere, wie er hinter alle dieſe Dinge kommen. Er hat noch 58 literas ineditas von Eraſmo. *Der Herr Præſident will, daſs er etwas in hiſtoria patria ſchreiben ſoll; aber er wird woll nicht gern daran wollen.* Voſſii *Bibliothek hat mir* Franciſcus Iunius *im Haag gezeigt. Ich habe darinnen bey die 40 Folianten von MStis Chymicis gefunden, die ex bibliotheca Imperatoria* Rudolfi ** *gekommen, deren Catalogum ich wol ſchaffen kan, wenn er begehret wird. Der* Iunius *hat mir ſein Buch* de pictoribus *gewieſen, welches ſehr groſs; will gern einen Verleger dazu haben. Bey dem Herren Feldmarſchall* Deuren *bin faſt täglich zur Tafel geweſen, der meines HochgeEhrten Herren rühmlich gedacht. Herr* Hugenius *tam ſenior, quam iunior, haben mir groſſe faveur erwieſen. Bey einem Medico* Kerkringio *habe ich überaus curiöſe Dinge in Anatomicis geſehen; auch in anderen Dingen. Er hat ein Buch geſchrieben,* Spicilegium anatomicum *genant, und* Oſteogeniam fœ-

 tu-

** Hos libros vnde et *Voſſius*, narratum ſupra quomodo nactus ſit *p. 1002.*

tuum, *daraus er faſt alles aufnotiret hat. Er hat die Kunſt den Bernſtein zu ſchmeltzen, und gantze cadauera hinein zu legen, welche dadurch a putredine conſeruiret worden. Er hat mir auch 4 Stücke Metall gezeiget: deren das erſte wie Zinn; das andere wie Silber; das dritte etwas gelb; das vierdte gantz Goldgelb. Dieſes, gab er zu verſtehen, hatte er ex argento viuo, exiguo quodam addito, welches, wie ich coniicire, ex antimonio war, per diuturnam coctionem gemacht, und gab es auch für wahrhafftig Gold und Silber aus; es wäre aber kein profit dabey. Es ſcheinet, daſs viel vaniloquentz mit unterläufft, und wird in einer artigen Satyra, die zur ſelben Zeit in Medicos aliquot Belgas gemacht war, die ich auch habe, beſchuldigt, quod ſuo aere aliorum artificia redemerit. Mit* Borri *ſoll er viel umbgangen ſeyn. Es iſt auch zu Hamburg eine Satyra geſchrieben contra quendam Caprimulgum, Profeſſorem Hamburgenſem, die überaus artig iſt.* Birrium *habe ich auch geſprochen, der mir ſeine Steine gewieſen, welche nichts anders ſeyn, als Criſtalli ex ſale nitri; denn ex metallico principio geben dieſelbe nicht. Der Vitulus aureus iſt ein vvahrhafftiger Groſsſprecher und Betrieger. Quantum ego rem*

iu-

iudico, pro mera ſabula habeo: vvird auch von keinem rechtſchaffenen Medico vvas auf ihn gehalten. Der Sylvius *iſt horribiliter in ſatyra iſta angegriffen, und iſt ihm unter andern obiicirt, quod pro carpis ægrotorum puellarum inguina, - - - - - - - ne quid dicam de aliis magis obſcœnis. Bey* D. Schwammerdam *habe ich eine überaus köſtliche Raritäten-Cammer geſehen, mit vvelcher der Hertzog von Florentz etliche Tage zu beſehen zugebracht. Dieſer hat ſolchen Fleiſs auf die Inſecta gevvand, daſs ich nicht glaube, daſs ein Menſch lebe, der ein mehrers darinn gethan habe. Er hat alle Claſſes derſelben in ſeinen Schachteln auf Nadeln ſtehen, und dieſelben mit Balſam angeſtrichen, damit ſie unvervesslich ſeyn. Die generalem deſcriptionem derſelben hat er in Holländiſcher Sprache ausgegeben, vvelches in England ſehr æſtimirt vvird. Er könte aber noch vvohl 100 Bücher davon ſchreiben, vvenn er alle ſpecies durchgehen vvolte. Er hat ſie aus allen Orten, ja gar India und America zuſammen geholet. Von groſſen Bienen vvird er einen eigenen Tractat ſchreiben, und bevveiſen, daſs die man für Könige hält, nicht Mänlein, ſondern Weiblein ſeyn.*

In Amſterdam habe ich bey einem geſehen, daſs er einen Hailbrunner Römer mit Schreyen zerbrechen können: vvelches alſo zugieng. Er nam die Octav über den ordinari Thon des Glaſes, und continuirte denſelben abſque vlla variatione ein Vater unſer lang, admouendo os vitro; ſo klingte es ad ſtridorem vſque, und brach endlich in Stücken: ſo ich in England in conſeſſu Societatis Regiæ erzehlen muſte, die es mit Vervvunderung angehöret, und mich haben verſuchen laſſen.

Ich habe in Amſterdam des Vanini und Ochini dialogos geſehen und geleſen. Von des Bodini dialogo habe keine Nachricht erhalten, als daſs ich ohngefehr über des Sarranii epiſtolas gekommen, darinn ich ſehe, daſs der Iſaacus Voſſius an den Sarranium dieſsfals geſchrieben, der es der Königin Chriſtinæ hat verſchaff[illegible]llen, vvelcher es aber nicht habe bekommen; meldet doch den Ort in Franckreich mit der litera initiali M. da man es als ein cimelium aſſervire ***.

Vor den Auctorem des Tractatus Theologico-politici hält man einen excommunicirten Iuden, Spinoſa ge-

*** Memniana ſcilicet in bibliotheca; quæ tamen inquirentem feſellit opinio. Vid. p. 1120.

genant; vvie mich D. Lipſtorp *verſichern vvollen. Herr* Græuius *hat mir von einem Medico*, Braunio, *geſagt. Er hat mich verſichert, daſs noch mehr ſolcher ſcriptorum vorhanden vvären. Ietzo iſt eine Refutation deſſelben heraus kommen; ſo mir aber nicht anſtehen vvill. Es iſt in Amſterdam ein Buch-Händler, genant* Andreas Friſius, *der viel auf Italien handelt. Dieſer hat mir berichtet, daſs ein Cardinal an ihn geſchrieben umb die Chronologiam des* Rauii, *motus horribili illo titulo in Catalogo Francofurtenſi; hat aber vvieder geantvvortet:* Ravius e vn grande aſino. *Ietzo ſchreibt* Rauius, *der ſich zu Berlin aufhält, contra* Calouii *diſcuſſionem, darinnen er gevvaltig ſchmählen ſoll; nennet ihn Abrahamum Wittebergenſem, patrem mendaciorum, calumniarum etc. Mich verlanget die ſchöne Geburt zu ſehen. Hiermit iſt D.* Waſmuth *gantz nicht zufrieden, und hat nun ſelbſt die principia Rauiana reformiret; hat auch* Rauio *gedrohet, vvenn er fortfahren vverde ſeine Dinge contra* Calouium *drucken zu laſſen, und herfür zu geben, vvolle er ſelber vvider ihn ſchreiben. Ergo hi erunt Cadmæi fratres etc.*

In Amſterdam habe auch bey D. van der Linden, *des* Io. Antonides *van der Linden, Profeſſoris Leidenſis filio, geſehen eine laminam auri factitii, ſo von dem* Alexandro Sidonio, *nobili Scoto, poſſeſſore vero* L. P. **** *davon viel Hiſtorien ſeyn, in Enckhuyſen gemacht worden in ædibus nautæ alicuius, cuius nomen appoſitum erat in ſcheda circumuoluta. Der Vater des* Iohannis Antonides *Practicus Enchuſanus hatte dieſe Worte dazu geſchrieben:* Anno 1602. 17. Martii hora quarta pomeridiana hoc aurum factum eſt a nobili Scoto in ædibus Iacobi Hanſen *vel Hans Iacobſen (nomen enim oblitus ſum.) Der* Iohann Antonides *hatte auch einen Zeddel dazu geſchrieben mit dieſen Worten:* Hæc auri lamina tradita mihi eſt a parente meo etc. *Die Occaſion dieſer Transmutation ſoll dieſe geweſen ſeyn. Dieſer Schiffer iſt*

per

**** *Lapidis Philoſophorum.* Huius amore et propter reliqua, quæ hic narrantur, Chemica tam longam epiſtolam deſcripſiſſe *Leibnitium* puto. At cum vel in vulgus notum ſit, quam credulus, quod ad Chemica attinet, fuerit *Morhofius;* narrationes eius mirificæ et aurificæ cum grano ſalis ſunt accipiendæ; ſi non prorſus ſpernendæ et exſibilandæ.

per naufragium einmahl ad litora Scotiæ, da dieſer Sidonius *gewohnet, angeſchlagen, der ihn aufgenommen, gütlich gethan, und wohl gekleidet nach Hauſs geſand, auch dabey verheiſſen, daſs er ihn dermaleins beſuchen wolte; welches er hernach gethan, und in ſeinem Hauſe dieſes Gold gemacht, davon er ihm einen Theil gegeben; unde ad Medicum peruenit.*

In England habe ich groſs Contentement von dem Herren Boyle *gehabt, cuius domus ſemper affluit peregrinis viſitatoribus von allen Ecken und Enden. Mit ihm habe ich viel diſcurriret. Der Mann iſt ſehr ſchwächlich und kräncklich, und hat viele ſchedas liegen von ſeinen Büchern, die er concipiret hat, welche er anietzo hervorgiebt. Denn er ſorgt, daſs er nicht darüber dahin ſterbe. Er hat, wie ich darin geweſen, ein Buch de Coſmicis qualitatibus heraus gegeben, welches ich ins Latein vertiret, und* Schultz *drucken laſſen; habe aber meinen Nahmen nicht dafür geſetzet. Es iſt auch ſehr falſch gedruckt. Der Herr* Boyle *hat unter vielen curiöſen Dingen mir auch unterſchiedene hiſtorias tranſmutationis metallicæ erzehlet, welche wohl werth zu notiren, und die ich niemahls gehört habe, von* Kellæo *und* Butlero. *Ich habe ſie*

ex ore eius aufgeſetzet, und will ſie bona fide, vt retulit ille, communiciren.

De *Eduardo Kellæo*, Anglo, res eſt notiſſima, eum coram Imperatore *Rudolfo* Pragæ in ædibus *Thaddæi Hagecii* tinxiſſe, referente etiam *Gaſſendo libro de metallis cap.* 7. Habitus erat vulgo pro vero poſſeſſore; ſed impoſtor fuit, et tincturam aliunde habuit. Hiſtoriam eius notabilem, quam narro, *Boylius* a *famulo* eius * habet. Fuit *Kellæus* non nobilis Anglus, vt quidam putarunt, ac ipſe *Elias Aſchmol*, qui theatrum chymicum Britannicum edidit; ſed homo plebeius, Notarius et Aduocatus Londinenſis. Is, quia linguæ veteris Anglicæ peritiſſimus fuit, in aliquorum gratiam vetera quædam inſtrumenta anniſus eſt corrumpere: cuius criminis conuictus, auribus abſciſſis, Londini relegatus eſt. Profectus ergo *Kellæus* verſus Walliam, Angliæ prouinciam, in oppido aliquo **, cuius nomen mihi excidit, apud cauponem eius loci diuertit. Hic ante feneſtram poſitum inuenit librum antiquiſſima lingua Wallica, cuius ille erat peritiſſimus, ſcriptum,

* Egregio ſcilicet auctore.

** En alterum veridicæ narrationis criterium!

ptum, ex cuius lectione arcana quædam ſuſpicatus eſt. Cum itaque quæreret e caupone, vnde hunc librum haberet; reſpondit ille, repertum fuiſſe in ſepulcro *S. Anſelmi* Epiſcopi, quod eſſet in vicino templo. Res autem ita geſta erat. Cum fureret plebs in ſacras imagines et cruces eo in loco, fama magnarum opum in ſepulchro Epiſcopi reconditarum commota, illud aperuit; at nihil aliud quam librum iſtum et duos globos eburneos inuenit. Cum ergo ob ſpem eluſam indignarentur, e globis aliquem fregerunt, in quo rubicundiſſimus ac ponderoſiſſimus puluis inuentus, cuius magna pars, cum guſtu et odore deſtitueretur, reiecta ac pedibus conculcata fuit. Caupo vero iſte, vt antiquitatis aliquod documentum, ſecum tulerat et librum et alterum globum integrum, in quo tinctura alba, cum parte pulueris rubicundi ſuperſtite. Rogante itaque *Kellæo*, vt puluerem ſibi oſtenderet, alterumque globum eburneum, quo ad luſus iam vſi fuerant pueri; protulit omnia, ac denique libram Sterlingicam offerenti *Kellæo* vendidit, vt res vſui ſibi non futuras. *Kelleus* vero cum multa magnifica et ſplendida in iſto libro legeret, ac dira in eos, qui abuterentur hoc theſauro, Londinum reuerſus eſt, ac in ſuburbio

ſub-

ſubſiſtens, nuntium ad *Io. Dee* ***, D. Theologiæ, vicinum quondam ſuum, inſignem mathematicum, et rerum chymicarum æſtimatorem, miſit, quo is quam citiſſime ad ſe veniret, magnum et memorabile aliquod viſurus. Aduolauit ille, a *Kellæo* ſtatim compellatus: *Tu vero dic mihi, quid eſt proiectio.* Subridens *Ioannes Dee: Tu vero*, ait, *rem illam mihi trade, qua proiectio inſtitui poteſt, ac ſtatim te docebo.* Tum ille, re omni narrata, ac puluere prolato, ad aurifabrum cum *Io. Dee* abiit, facturus eius rei experimentum, ac reuera tunc plumbum in aurum mutatum hac tinctura viderunt. In ſpem itaque addiſcendi iſtius arcani *Io. Dee* erectus, vna cum *Kellæo* ac tota familia in Germaniam, ac prius Pragam, commigrauit. At *Kellæus*, ſplendida iſta fortuna elatus, ac parum circumſpectus in *proiectionibus*, publice et coram magnatibus faciendis, magnam primo exiſtimationem ſibi acquiſiuit, mactatus plus quam regiis largitionibus, quas recenſet *Elias Aſchmol* in *Theatro Chymico Anglico*, *notis*

*** Vitam huius *Io. Dee* ſcripſit et edidit *Thomas Smithus*, in *Vitis eruditor. part. vlt.* vbi quædam aliter narrantur; reliqua omnia ſatis prolixe.

cis ad librum Eduardi Kellai. Cum itaque iam ſera eſſet in fundo parſimonia, et Imperator, cui antea, quam ipſe neſciebat, manifeſtationem *Kellæus* promiſerat, illum vrgeret, carcereque minaretur; ad artes magicas confugit, et ſpiritus coniurans, rationes tincturæ parandæ ab iis diſcere voluit. Quotidie fere inſtituta cum ſpiritibus colloquia, quæ quam diligentiſſime notauit omnia *Io. Dee* ſingulari diario, quod poſt mortem eius in manus *Merici Caſauboni* incidit, qui illud edidit, vt conuinceret homines Atheos de ſpirituum exiſtentia. Liber ſpiſſus eſt in *folio*, meris nugis, precibus, coniurationibus, ſomniis refertus****; ſed

**** Libri in Germania ſaltem rariſſimi titulus integer hic eſt: *A true and faithfull Relation of what paſſed for many Years between Dr.* Iohn Dee, *a Mathematician of great fame in* Q. Elizabeth *and* King Iames *their Reigns, and ſome Spirits, tending (had it ſucceeded) to a general alteration of moſt States and Kingdoms in the World. His private Conferences with* Rodolphe, *Emperor of Germany*, Stephen, *King of Poland and divers other Princes about it. The Particulars of his Cauſe, as it was agitated in the Emperours Court by the Pope's Intervention; his*

ſed e quo perfecte omnem hiſtoriam illorum hominum diſcas. Peruenit iſtorum hominum fama ad *Eliſabetham*, Angliæ Reginam, quæ cum *Kellæum* fruſtra inuitaſſet, *Ioannem Dee* precibus ſuis in Angliam reuocatum lautæ conditioni præfecit. Is

his Banniſhment and Reſtoration in part. As alſo the Letters of ſundry Great Men and Princes (ſome vvhereof vvere preſent at ſome of theſe Conferences and Apparitions of Spirits) to the ſaid Dr. Dee. *Out of the Original Copy, vvritten vvith Dr* Dee's *ovvn Hand, kept in the Library of Sir* Tho. Cotton, *Knight Baronet. With a Preface confirming the Reality (as to the Point of Spirits) of this Relation, and ſhevving the ſeveral good Uſes, that a ſober Chriſtian may make of All. By* Meric Caſaubon, *D D. London printed by D.Maxvvell for T.Garthvvait, and ſold at the little North-Door of S.Paul's, and by other Stationers. 1659.* Pellegit *Leibnitius* librum cum cura, et in compendium miſit, interſperſo ſuo paſſim iudicio. Ea excerpta quidem in promtu ſunt; ſed quia prolixiora, quam vt hic locum inuenire queant, ſufficiat nunc quidem, quam adiungimus, epiſtola, vel ad *Boineburgium*, vel ad *Iobum Ludolfum*, a quo librum mutuatus erat, ſcripta. In *Iobi Ludolfi* certe rariorum codicum ſupellectile etiamnum Gothæ ſuperſtites audio eſſe volumen iſtud.

Is vero ſpem eius implere non potuit, ac mortuus demum eſt in Anglia, cum *Kellæus* antea ex crure fracto, dum funiculis ſe ex carcere demittere voluit, obierit. Habet et *Elias Aſchmol* aliud quoddam diarium *Ioannis Dee*, quod ipſe mihi oſtendit, e quo multa citat in theatro ſuo.

Die andere Hiſtoria von Butlero, *davon* Helmontius *eine eigene Diſſertation gemacht*, *lautet alſo:* Fuit *Butlerus* nobilis Hybernus, cumque iuuenis in Africam nauigaturus eſſet, a piratis captus regulo cuidam Arabi pro mancipio venditus eſt. Is poſſeſſor magni arcani fuit, et huius ſerui ſui miniſterio ad opera quædam vulgaria chymica vſus eſt. Qui cum eſſet ſagaciſſimus; ſubolfecit ſecretiores heri ſui labores, ac in pyxidem incidit, qua recondebatur magnus ille naturæ theſaurus. Cuius rei cum iam certus eſſet, cum mercatore Anglo illic viuente pactus eſt, vt ſe ab hero ſuo redimeret. Redemit ille. *Butlerus* vero pyxidem tanti arcani cuſtodem furto ſurripuit, atque in Angliam nauigauit, ibique priuatim aliquot *proiectiones* fecit. Ea fama peruenit ad Medicum quendam Hybernum, quem permouit, vt relicta familia ſua et praxi Medica, ipſe *Butlero* ſpe arcani potiundi famularetur. Multum tempo-

poris interceſſerat, cum nihil deprehendere potuit Medicus, et omnia clanculum ageret *Butlerus*. Tranſegit itaque cum hoſpite pretio dato, vt locum aliquem obſcurum poſt *Butleri* conclaue ſibi concederet, quo per rimas aut foramina quædam obſeruare illum poſſet. Accidit autem, cum aliquando plumbi et hydrargyri quantitatem emere iuſſiſſet *Butlerus*, ac ſtatim in vicinam vrbem negotii cauſſa Medicum ablegaſſet, vt ille, tempus iam idoneum ſuſpicatus, ſimulato quidem abitu, domi remanſerit. Quare poſt conclaue in ſellis duabus vel tribus ſibi ſuperimpoſitis conſtitit, vt per foramina prius a ſe facta diſpicere in conclaue *Butleri* poſſet. Vidit itaque furnum parare *Butlerum*, plumbum ac hydrargyrum igni apponere: vidit de pauimento extracto lapide producentem pyxidem aliquam rubicundo puluere plenam. Cumque, quantum ſatis erat, e pyxide ceperat *Butlerus*, ac iam liquefacto plumbo ac hydrargyro calido immiſſurus erat, Medicus, nimio videndi deſiderio incenſus, propius ſe foramini admouit, cum corporis ſui pondere ſella ſuperna inclinata præcipitem illum dedit. Quo ſtrepitu attonitus *Butlerus* obſeruatorem ſuum pene transfixiſſet, niſi interceſſiſſet hoſpes. Medicus

vero

vero herum ſuum coram magiſtratu Londinenſi, vt monetæ falſarium, accuſauit. Quo in carcerem coniecto, ac ſupellectile eius perluſtrata, nihil quidem inſtrumentorum monetariorum, ſed quadraginta auri libræ inuentæ ſunt. Quod cum falſum primo ſuſpicarentur iudices, genuinum omni examine deprehenderunt. Quoniam itaque documenta non eſſent, quibus conuinci poſſet *Butlerus*, e carcere iterum dimiſſus eſt. Idem *Butlerus* Ducem de *Buckingham*, cum iter ſuum in peregrinas regiones inſtiturus eſſet, (narrabo, quæ ex ipſius Ducis œconomi ore accepit *Boylius)* adiit, ac aliquam cambii ſchedulam ad mercatorem Batauum vltro obtulit, ſi forte apud peregrinos pecunia illum aliquando deficeret. Riſit Dux: Sed ne inofficioſus videretur, ſchedulam, vt rem inanem et nullius momenti, accepit. Accidit autem, vt Ducem Amſtelodami viuentem mercator aliquis *Butleri* nomine ſalutaret, ac ducenties mille aureorum *Butleri* nomine offerret, ſi pecunia egeret. Obſtupuit ſumma iſta oblata Dux; ſed accipere detrectauit. Cum vero poſtea innotuiſſet per Angliam de *Butleri* diuitiis per artem chemicam paratis, ac is ſaluti ſuæ diffideret; in Hiſpaniam nauigans vna cum tinctura aquis ſubmerſus eſt.

Medicus vero ille laqueo poſtea mulctatus eſt, quod populares ſuos pulueris pyrii conficiendi rationem docuerit. Atque ita *Butlerus*, ſimiliter et Medicus, ſuæ proditionis pœnas dedit. Hanc hiſtoriam ex ore ipſius Medici Hyberni *Boylius* habuit.

Incidit hic etiam in mentem ſingulare aliquod artificium chymicum circa gemmas, de cuius paratione *Boylius* hæc: peregrinator aliquis Londini in diuerſorio in Medici Angli colloquio ac compotatione poculum aqua plenum afferri iuſſit, cui puluerem albiſſimum indidit, ac ſepoſuit. Poſt horam cum abitum vterque pararet, peregrinus, quaſi oblitus eſſet: *At at*, inquit, *videamus quid aqua noſtra factum ſit.* Obſtupuit vero Medicus Anglus, cum vidit aquam totam in ſolidam materiam conuerſam: quam in fruſta contudit peregrinus, et aliquot ex iis Medico Anglo donauit cuius ipſius partem aliquam *Boylius* a Medico accepit. Erat illa friabilis. Idem ille peregrinus *Boylium* accedens gemmas aliquot factitias monſtrauit elegantiſſimas, quas, niſi ipſe tales dixiſſet, ipſi artifices pro genuinis habuiſſent. Cum earum nitorem, nec vel minimas exiguas maculas adeſſe miraretur *Boylius*, is reſpondet: *Quia nunquam ignem illa ſenſerunt.* Cum magis miraretur, ſubiun-

iunxit: *per aquam facta ſunt; ſpecificum puluerem habeo, qui certum liquorem in ſolidiſſimam ſubſtantiam conuertere poſſit.* Cum vero rumor iſte Londini increbeſceret, et ad Magnatum etiam notitiam perueniſſet, fuga is ſibi conſuluit: cuius nomen et locum, vbi nunc viueret, ſcire ſe aſſeuerabat *Boylius*.

Der Herr Boyle *gedachte auch von Anonymo* Philalethe, *einem Anglo, welcher annoch lebe, qui verus eſſet poſſeſſor. Dieſer iſt in Indien einmal gekommen, wo er in Kundſchafft eines Apothekers*, Georgii Staricii, *gerathen; deſſen Sohn hat von ihm die Tinctur gekriegt, und hernach in England die proiection gethan. Er hat etliche Bücher geſchrieben, als: Introitus apertus ad occluſum Regis palatium, welches in Holland edirt; aber es iſt nicht gantz, ſondern fehlet viel daran. Vidi ego MStum. Ich bin etliche mal in conſeſſu Societatis geweſen. Damals hat man erſtlich die an die Societät geſandten Bücher producirt, und gewiſſen Perſonen die zu leſen geben: zum andern etliche noua inuenta in mechanicis examinirt; und drittens die Briefe aus allen Orten geleſen. Damahls war eben der junge* Helmontius *darinnen,*

den ich geſprochen habe. Dieſer hat viel mit dem Printzen Rupert * *zu thun, welche gar heimlich zuſammen laboriren. Er iſt ſonſt ein ſelzamer Heiliger. Zu Amſterdam hat er viel conuerſation mit einem Meniſtiſchen Medico, D.* Galeno. *Dieſer ſagte zu mir, daſs er ſeine überaus ſtarcke praxin angeben, und mit dem Herren* Helmont *laboriren wolle. Dieſe müſſen gewiſs was ſonderlichs vorhaben etc.*

CCCCLXIII.

Leibnitii iudicium ** de *Io. Deei* conuerſatione cum Spiritibus, a *Merico Caſaubono* publicata.

Mon-

* RVPERTVS Princeps Palatinus, CAROLI LVDOVICI Electoris frater, Anglorum Archithalaſſus, Chemicis laboribus multum pecuniæ et temporis impendit; non ſemper in caſſum. Nobile artis ſpecimen exhibebimus poſtea ex quadam *Henrici Oldenburgi* epiſtola ad *Leibnitium* ſcripta.

** Huic ob argumenti affinitatem iungimus duo alia, communicata a Sereniſſimo Principe ERNESTO, Haſſiæ Landgrauio, cui quantopere diſſentientium circa ſacra Chriſtianorum conciliatio curæ cordique fuerit, oſtendit ſcriptus ab eo *verus, ſincerus et diſcretus Catholicus:* liber in rariſſimis cenſendus.

Monſieur.

Je vous renvoye la Converſation du Dr. Dee *avec les eſprits pretendus, et je vous en remercie beaucoup. Je crois d'avoir decouvert le Myſtere de toute cette fourberie, et je tiens, qu'elle doit être attribuée pluſtoſt à la malice des Hommes qu'à l'addreſſe des Demons, qui à mon avis n'y avoient point d'autre part que celle qu'ils prennent à tout ce qui ſe fait de mauvais dans le Monde. Je croy fermement, que le pauvre Dr.* Dee *a eſté la duppe de* Kelley, *de ſa propre femme et de quelques autres, qui tachoient de tromper le monde par le Credit et la Reputation de ce bon homme, (dont la Vie et le Sçavoir eſtoient ſans reproche) après l'avoir trompé le premier. Je m'étonne, que Monſ.* Meric Cataubon, *qui a publié ce Livre, n'y a pas aſſez pris garde, puiſqu'il ne manquoit ny d'erudition, ny de Jugement. Je ſuis avec paſſion et zéle*

Monſieur

Votre treshumble et tres obeiſſant Serviteur

Leibniz.

 CCCCLXIV.

CCCCLXIV.

Cautio Catholica circa miracula, viſiones et apparitiones Spirituum.

Quemadmodum duodecim ad minus articulis ſummarie complecti quis poſſet tam ea, quæ deplorandæ Catholicos inter et Proteſtantes ſeparationi cauſſam dedere, quam illa, quæ reuniendis illorum animis adhuc obſtant; ita haud poſtremo loco cenſenda eſt nimia illa atque exceſſiua miraculorum, apparitionum atque viſionum credulitas. Nam inter cetera, quæ grauiſſimum, fere dixerim irreparabile, Eccleſiæ DEI damnum attulerunt, et adhuc adferunt, multarumque animarum reditum impediunt, numerari merito debet nimia illa ac ſæpenumero ridicula credulitas, qua tam multifaria ſæpiuſque incredibilia miracula, apparitiones viſioneſque à permultis Catholicorum pro veris habentur: imo et a vulgo tamquam *de fide* creduntur. Id quod aduerſariis noſtris maximam haud raro anſam præbet, non vt irrideant modo et conuitientur, ſed vna cum illis reliqua etiam fidei noſtræ dogmata in dubium vocent atque reiiciant.

Sane cum haud abſque labore et difficultate ſit, Chriſtianæ fidei noſtræ irriſoribus credibilia illa reddere, quæ tametſi Scripturis Canonicis conſignata,

ac conſequenter *de fide* ſint, ab humana tamen ratione non ita facile agnoſcuntur et abſurditatem contradictionemue aliquam inuoluere videntur; non difficulter hinc licet coniicere, quam fidem apud illos inuentura ſint ea, quæ ſimili authoritate deſtituta, nec non interdum variis ſuſpicionibus infirmata, multiſque caſibus, ſuppoſitionibus ac fraudibus obnoxia ſunt. Quis enim credat ea, quæ de *Chriſto* cum Sancta *Roſa* chartis ludente, quæque de baptiſmo *Eliæ* et *Enoch* a Chriſto in Paradiſo terreſtri collato, a religioſis quibuſdam neſcio qua veri ſpecieie narrantur? Nam quemadmodum vniuerſo mundo vtiliſſimum foret, ingentem librorum inutilium ac noxiorum numerum Vulcano tradi, ſeu ingentes vrbium foſſas illis expleri; ita haud aliter de innumeris miraculorum, apparitionum atque viſionum hiſtoriis ſentiendum eſt: quibus ſi non omnino fidem detrahi, ſaltem eas vix aut ne vix quidem commendari, et ſenſim aboleri conſultius eſſet. Neque in tam notorio abuſu locum vllum habere deberet regula illa, quæ vult, vt quæcunque Pietatis ſpeciem habentia, ad ædificationem conducibilia, et a ſpectatis authoribus enarrata, tametſi *de fide* non ſint, audacter tamen et confidenter credi tradique poſſint. Nam et

hæc regula ſuas patitur exceptiones, et cum grano ſalis intelligenda eſt.

Enim vero tantum abeſt quin vero Eccleſiæ emolumento et Hæreticorum Infideliumque conuerſioni obfuturum ſit, ſi factis poſt tempora Apoſtolica miraculis fides nulla * adhibeatur, vt lubentius citiuſque regreſſuri ſint, vbi candide ſecum agi, et eorum loco, quæ fabuloſa videbantur, pauca quidem ſibi, ſed ſolida firmiterque fundata, proponi videbunt. Equidem mira res eſt; iis in locis, vbi Acatholicis intermixti, aut vicini viuimus, multo rariorem eſſe ** miraculorum, apparitionum ac viſionum auditum: cuius rationem non difficulter dari poſſe, et cuiuis rem exacte perſcrutanti obuiam exiſtimo.

Verum enim vero non eo hæc dicuntur, quaſi manus Dei abbreuiata ſit, aut vera hodiedum adhuc miracula contingere nequeant, vel reuera nonnullis in locis contingant, minorque, quam olim, deuotarum et vere ſanctarum animarum numerus exiſtat; ſed eo tantum collimatur, vt, quia per ni-

* Pro *nulla* manus aliena ſuperſcripſit *non niſi humana.*

** Eadem manus *talium* hic interſeruit.

nimiam credulitatem fere in exceſſum abuſumque deflexum ſit, modo hac in re cautius agatur, et per eiuſmodi media (Deus enim non indiget mendacio, neque multis, quæ carnem magis quam Spiritum ſapiunt) Eccleſia non deſtruatur potius, quam ædificetur. Sane multum ignoret oportet, qui neſciat, quam affabre malitioſi illi diſſenſionis inter Chriſtianos miniſtri, Acatholici ſcilicet *Prædicantes*, hac re apud ſuos vtantur, et præſertim vulgo indoctæque plebi religionem Catholicam ridiculam reddant.

Multo expeditius foret, Infidelibus et Hæreticis libere dicere, præter ea, quæ de miraculis canonicæ Scripturæ teſtantur, hac in materia nihil *de fide* eſſe, quidquid apud nos Catholicos de miraculis, apparitionibus et viſionibus poſt ea tempora narretur: et quamuis vnum præ altero maiori probabilitate gaudeat; ſola tamen humana authoritate firmari. Hæc ſi apud nos Catholicos candide ſimpliciterque docerentur, et vulgus diligentius inſtrueretur (nam, bone Deus! quantum hic deſideratur tam apud Italos, quam Hiſpanos!) certum quidem eſt, in multis peregrinationibus populi concurſum, adeoque alimentum religioſis quibuſdam, et iis potiſſimum, qui nihil haben-

tes omnia poſſident, vt et hoſpitibus inibi degentibus, lucrum diminutum iri. Sed an propterea vero rectæ religionis et Eccleſiæ Catholicæ emolumento vel quidquam deceſſurum ſit, omnino dubito.

Nullatenus autem hæc in Acatholicorum aut Proteſtantium gratiam; ſed Catholicæ potius Eccleſiæ religioniſque vtilitatem ſcribuntur, quo pateſcat heterodoxis, poſſe quem eſſe Catholicum; etiamſi ab vno ad aliud extremum non tranſiliat. Quantos enim ſatis æqui ceteroquin animi viros, Lutheranæ Caluinianæque hæreſi addictos, ipſemet audiui, dicentes: *Si Romanam religionem amplecterer, omnia hæc credere deberem, quæ mihi præſertim a Religioſis proponerentur?* His vt facilior ad regreſſum via reddatur, hæc præcipue ſcripſimus.

CCCCLXV.

Benedicti Leodii, Capucini epiſtola de Energumenis Paderbornenſibus contra P. *Loperum* e Societate Ieſu Exorciſtam *.

Ad-

* De *Benedicto Leodio* non habeo, quod dicam. Licet enim *Lucæ Waddingii* bibliotheca

Admodum Venerande Pater! Amorem, ſolatium et gratiam in Chriſto Ieſu.

Ad veſtras et aliquot aliorum Patrum noſtrorum et amicorum, qui Ordini noſtro Seraphico bene volunt, et pro nobis patrocinantur, vt omnibus ſimul et breuiter reſpondeam; ſciat Veſtra Reuerentia, me ex intimo cordis compati veſtris tribulationibus, quæ vobis a malis geniis et ingeniis maleuolis inferuntur, vbi probis viris et religioſis nullæ induciæ, pax nulla; vbi neque odii, nec perſecutionis et diffamationis modus aut finis vllus. Dæmonum, Dei et Iuſtorum hominum hoſtium, ſuperbia aſcendit ſemper, inuidia augetur, malitia inualeſcit. Vbi naturæ ordo ſublimior, occulti conatus ſpirituum malignorum, qui

theca Fratrum Minorum nuper ſit in XVII. Volumina diffuſa et Tomo XVIII. aucta; nec tamen vel ea, vel noua acceſſio deſcendit ad res et viros ſeculi ſuperioris recenſendos. Epiſtola *Leodii*, cum de *Ferdinando*, Colonienſi Archiepiſcopo, tamquam mortuo, et de P. *Lapero*, quem d. 29. Maii 1670. deceſſiſſe conſtat, tamquam ſuperſtite, loquatur; ſcripta videtur circa annum 1668. ſedente in Paderbornenſi cathedra *Ferdinando Furſtenbergio*.

qui amant tributa metere, dum nobis Capucinis probiſque viris ſerant ſpinas: quorum principium voluntas nocendi; media perſonæ viles, pauperculæ, leuioris ſexus (et vtinam honeſtæ conditionis!) fallaces, mobiles, mendaces mulierculæ, ſi credere liceat, Energumenæ, et quid ni in vnum bonorum excidium, et ad turbandam pacem publicam et famam innocentium alias illæſam apud commune vulgus proſtituendam vnanimem conſpirationem, mille quidem nouæ et inuſitatæ nocendi artes, et finis horum omnium, ſi Deus permitteret, ruina hominum iuſtorum et interitus. Sileo hic proh dolor! P. *Loperi* **, Societatis Ieſu

** *Bernardus Loper*, Paderbornæ anno 1609. in lucem editus, Societati Ieſu ſe addixit anno 1629. in qua duabus rebus ſuper collegas ceteros eminuit. Primum eſt, quod magnam ætatis partem inter Proteſtantes exegit, eoſque comminus argumentis, eminus libellis impetiit atque laceſſiuit. Alterum, quod huc in primis pertinet, malo *Sotuelli*, quam meis, verbis enuntiare: *Contra dæmones, humana corpora inſidentes, mirum exercuit imperium Recklinghuſii, Dattelenæ, Mellæ, Meppenæ, Paderbornæ viciniſque locis,*

ſu Exorciſtæ, potius Extortiſtæ, periculoſum, damnoſum de mulierculis ſupra dictis et diabolis ipſis ſuper veritate dicenda, interrogandi, credendi modum curioſum, ſuperfluum, non neceſſarium; imo, ſi ſic progreditur, Reipublicæ et Eccleſiæ Paderbornenſi, quin imo vniuerſali Romanæ, ſucceſſiue et maxime periculoſum. Quis enim hic tutus, ſaltem apud credulum vulgus, in honore, in fama, in vita, ſtatu, fortunis, quando leuicula perſona pro libitu affectus, veluti forte energumena, interrogatur ſub titulo exorciſmi nugaliter, aniliter ſuggeritur, inepte reſpondet ſiue ipſa vel diabolus, et vtriuſque, ſaltem alterius, reſponſum pro Oraculo ſumitur, fides huic habetur, et in odium religionis et diffamationem Cleri et Religioſorum ac vitæ hactenus integræ optimorum virorum læſionem, per verba, per literas, per oppida, per patrias, per nationes pu-

cis, adeo, vt plures LXX inhoſpitales ſpiritus, præſcriptis a Romana Eccleſia exorciſmis, et Sanctorum ſacris reliquiis adhibitis, partim ita coërcuerit, vt ferociam, qua corpus inſeſſum diris noctu diuque infeſtabant modis, poſuiſſe viderentur. Vid. *bibliotb. ſcriptor. Soc. Ieſu p. 122.*

publicatur, proclamatur? Et hæc legi ex literis admodum venerandi Patris, et ex adiunctis diuerſis exorciſtæ quæſitis et fatis dictarum mulierucularum ſeu diabulorum. Et in his quidem dixerim iure merito, Extortiſta ſuadet populo, ſe Exorciſtam, et in exorciſmo nunquam mentiri diabolum. Legatur illius aſſertum ſæpe repetitum in ipſius prothocollis et relatis, quæ diuulgat; ſed erronee, quaſi vero is ſit omnis exorciſmi effectus infallibilis, vt a dæmone vel a muliercula extorqueat ſemper in dicendo veritatem exorciſta; nunquam falſitatem, et quare non etiam ex energumenis expulſionem efficacem? Dic mihi, credule exorciſta, vbi hæc Eccleſia docuit, determinauit? Vbi SS. Patres, Canones, Leges figmentum tuum, abuſus tuos et defectus experientiæ et ſcientiæ? qui Chriſto auſus fuit mentiri, cum dixit: hæc omnia dabo, ſi procidens adoraueris me, ſcilicet! A mendacii patre, Deo permittente aut cogente, poſſe interdum, ſed raro, exſpectari veritatem, fateor; ſed ſemper efficaciter, dementia eſt. Nonne Ieſus ait de illo *Ioh. 8. v. 14.* non eſt veritas in eo: cum loquitur mendacium, e propriis loquitur, quia mendax eſt, et pater eiu Ipſe graſſatur dolis et fraudibus et pietatis ſimul

tion

tione, vt docet *Athanaſius* ad Aegypti et Lybiæ Epiſcopos ſcribens. Stulti ergo ſunt, qui ei fidunt, et immemores eius, quod Spiritus per *Iob. c. 40.* nos admonuit, impoſſibile eſſe illi ſuperbiæ vertici ſe vnquam ſubiicere. Numquid, ait, multiplicabit ad te preces, aut loquetur mollia ex bona fide, vt tibi complaceat? numquid fecit tecum pactum, vt accipias eum quaſi ſeruum ſempiternum? numquid illudes ei? aut ligabis eum anulis tuis, mulierulis energumenis, quas numeroſe ſatis exorciſta *Neubuſium* et ad alia publica loca ducit, ſicut gallina pullos ſuos, quæ intendunt arcum ſuum in pharetra, vt ſagittent in obſcuro rectos corde.

Tædet me diutius immorari. Petitur a me conſilium et remedium in re tam ardua et periculoſa. Fateor quidem in hoc meam inſufficientiam; dicam tamen, ſeruato ad omnes, quorum intereſt, iudicio meliori et reſpectu. Cum ſit hoc malum periculoſum, vergens in Eccleſiæ et pacis publicæ detrimentum, tria ſuggeram. Primo confratribus meis Capucinis commendo, vt contra has diaboli inſidias regulariter viuant, ſobrii ſint et vigilent *1 Petri v. 8. 9.* Quia aduerſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens, circumit, quærens,

rens, quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide. Fidelis Deus, qui permittet vos non tentari ſuper id, quod poteſtis. Et *Eph. VI. 11. 12.* Induite vos armatura fidei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli, quoniam non eſt vobis colluctatio ſolum aduerſus homines, mulierculas leues et fallaces; ſed aduerſus principes et poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum, quorum ſpiritualis nequitia in cœleſtibus. Fratres itaque, iuxta monitum *S. Franciſci*, attendant, quod ſuper omnia deſiderare debent habere ſpiritum Domini et ſanctam eius operationem; orare ſemper Deum puro corde, et habere humilitatem et patientiam in perſecutione et infirmitate. Diligite inimicos veſtros, et orate pro perſequentibus et calumniantibus vos. Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam iſtorum eſt regnum cœlorum, et ſciant, quod hoc genus dæmoniorum eiicitur in ieiunio et oratione.

Tum moneo, cum omni Reuerentia et ſubiectione in Chriſto Ieſu, Reuerendiſſimum et illuſtriſſimum dominum Epiſcopum et Principem, vt diſſipet hoc malum, quod ſerpit. Auferat de populo illas mulierculas, quæ prætenduntur *Energumenæ*, et ponat in diuerſis locis et cuſtodiis ſe

para

paratim diſiunctas. Benedicatur locus, panis et aqua, quibus arcte viuant, denegeturque illis acceſſus, niſi forte interdum ab aliquo probo, maturo, indifferente ſacerdote. Paucis verbis viſitentur, quia, vt loquar citra vllius præiudicium, mihi ex transſcriptis cauſſant non modicam ſuſpicionem, quod non multum valeant, in quantum mulierculæ leues et ex natura fallaces, et quæ ob mollitiem ſexus facile a diabolo decipiuntur. Recordor, me a triginta annis Exorciſtam cum plurimis energumenis Coloniæ egiſſe; quarum pars ex pacto aliarum veneficarum poſſidebatur; nonnullæ a ſe ipſis proprio pacto, quia ſagæ erant, et ad illudendum eo fortius ſiue Eccleſiæ aut Exorciſtæ, ſiue ad bene viuendum, cum pauperes aut ſaltem conditione viles eſſent, aut ſaltem nocendum proximo in fama, vita, honoribus, ſicut ipſis diabolus immittebat. Cumque vnius diei plures ad me ex diuerſis patriis et partibus ſic male affectatæ, tanquam energumenæ, confluxerant; reſpondi illis, Sereniſſimum Principem tum FERDINANDVM Archiepiſcopum et Electorem Colonienſem decreuiſſe, quod omnes eiuſmodi perſonæ, antequam exorcizarentur a ſacerdote, per medium annum in carcerem intruderentur,

et alternis diebus virgis cæderentur. Quo audito, omnes euanuerunt, et nunquam redierunt. Hæc cum retuliſſem Sereniſſimo Principi, arriſit, dicens: placet decretum. Et ſic liber fui.

Tertium, quod authoritate Reuerendiſſimi et Illuſtriſſimi Domini Epiſcopi et Principis, ac Illuſtriſſimorum dominorum Capituli Cathedralis Paderbornenſis, et aliorum, quorum intererit, venerandus Dominus Pater *Lopers*, Exorciſta, ad aliam prouinciam ſiue diœceſin dimittatur. Et ſic, Deo adiuuante, ceſſabit illa tempeſtas. His valeat et viuat Reuerentia veſtra in Chriſto Ieſu, cum reliquis fratribus noſtris etc. Seruus obſequentiſſimus,

P. *Benedictus Leodius*, Capucinus, Rhenanæ Prouinciæ miniſter prouincialis indignus.

CCCCLXVI.

Lettre de Mr. *du Fraiſne* * à Mr. de *Boinebourg*, ſur ſon voyage projeté en France, ſur un écrit de M. *Leibniz*, et ſur l'empriſonement de M. le Comte de *Lauzun*.

A Paris le 27. Nov. 1671.

Ce

* *La Copie de M.* Leibniz *porte* du Freſne, *comme ſi c'étoit l'illuſtre M.* du Cange. *Mais*

- - - - *Ce Voyage, Monſieur, ne pourroit ſelon mon ſens ſe faire plus à propos pour les affaires publiques et pour les votres. Et je ſuis certain, que vos Converſations avec l'illuſtre Monſieur* Arnauld *auront des douceurs, qui ne ſe goutent que par les grands hommes avec une communication des Richeſſes, qui ſont au delà de tout ce que la fortune peut fournir de precieux. Je crois, qu'il ſuffira, que vous arriviez ici dans le mois de Janvier. Car vous trouverez alors Monſieur le Marechal de* Grammont *reſtabli dans ſa ſanté pour la Cour, et Monſieur* Arnauld *de* Pompone *eſtabli dans ſon Miniſtere, et hors des premiers embarras, qu'on a couſtume de recontrer aux entrées des grandes charges. Cependant, Monſieur, nous verrons à voſtre logement et accommodement, et nous vous donnerons avis de ce que nous en aurons reconnu, en vous dreſſant un inventaire des Livres nouveaux, comme je le pretens au premier jour, afin*

Ssss 2 *que*

Mais j'ay trouvé, qu' un certain Conſeiller de commerce du Fraiſne *ſe tint quelque tems à la Cour de Mayence, auquel le contenu de cette Lettre parois mieux convenir, qu'au célèbre Treſorier d'Amiens.*

que votre gout y ſoit preparé quand ils vous ſeront preſentés. Surquoy nous diſpoſerons les choſes ſelon les ordres qu'il vous plaira de nous en envoyer.

Si Monſieur Arnauld *n'avoit point fait un petit voyage à la campagne, je n'attendrois pas juſques à l'ordinaire ſuivant à faire ſavoir ſes ſentiments à votre Excellence touchant les penſées de ce merveilleux Saxon**, qu'Elle m'à addreſſé pour les luy preſenter. C'eſt un prodige d'eſprit à eſtonner les autres.*

Je Vous garde icy, Monſieur, un Eleu, qui eſt Secretaire du Roy prés de Mr. le Chancellier, qui connoit les Livres, qui en a une bonne bibliotheque à luy, et qui aura ſoin de ſuivre et de ſervir Voſtre Excellence en ſes nobles et ſçavantes Curioſités. C'eſt Monſieur D'alence *, qui a l'honneur d'eſtre connu de Mr. le Baron de* Schonborn*,*

vo-

** *Ce merveilleux Saxon eſt* M. Leibniz, *et la merveille, qu'il propoſa alors à* M. Arnaud *au plus fort de ſes diſputes contre* M. Claude, *eſt celle, dont j'ay touché quelque choſe à la page* 1326. *Il en parlera lui même plus amplement dans une Lettre addreſſée à ſon Prince, que nous publierons dans le Tome ſuivant.*

voſtre Gendre, auſſi bien que de Son Alteſſe Electorale. Je n'ay rien de meilleur que luy de deça Monſieur le Marquis de Piquilin, *Comte de* Lauzun, *auprès du Roy. C'eſt un Gentilhomme de tres bonne maiſon, de* Caumont, *qui fait les branches* de la Force, Lauzun *et* Guitri. *Il touche de parenté à Mr. le Marquis de* Grammont. *Il a eſté elevé chez luy à ſon avenement à la Cour, et y avoit ſi bien reuſſi, qu'il pretendoit y epouſer* Mademoiſelle d'Orleans ***. *Il eſtoit en grande grace auprés de Sa Majeſté avec la charge de Capitaine de ſes Gardes du Corps; mais enfin diſgracié, arreſté par l'ordre de ſon Maiſtre avantbier, et conduit à Lion pour y eſtre tenu dans le Chateau de Pierre-Enciſe. Veritablement il n'en avoit pas bien uſé dans ſa faveur à l'egard de Mr. le Marechal de* Grammont, *de qui il n'avoit jamais receu que du bien et de l'honneur.*

Le Mariage avec la fille de Mr. l'Electeur Pala-

*** *Fille du premier lit de* Gaſton, *Duc d'Orleans, Frere unique de* Louis XIII, *Princeſſe mieux connue ſous le nom de Mademoiſelle de* Montpenſier.

tin n'eſt pas de grand myſtere en cette Cour qu'autant que le porte le ſacrement. Ou ne le regarde pour la ſuite que par la fecondité, qu'on s'en promet etc.

CCCCLXVII.

Boineburgius graphice pingit deſiderium ſuum literarum et ſcriptorum Helmſtadienſium.

Moguntiæ d. 5. Dec. 1671.

Per eſt diu, ex quo neque de, nec a te vel tantillum literarum vidi. Nemo ſcribit Helmſtadio amplius; neſcio quo meo malo; forte et dehoneſtamento. Tanti vero pretii amicitias, quales mihi ſunt veſtratres, negligere ego nunquam auſim; neque ſalua conſcientiæ religione, nec inoffenſa verecundia poſſim. A *Voglera* nihil; perinde nihil a te: quin nequidem vel pauxillulum, an viuas, quoue modo viuas? Igitur iam ecce! venio quæſitum fauſtos de te nuntios. Simul rogo, vt Domino de *Grot* Hanoueram mittere tua, imo veſtra, hactenus edita velis, puta, quæ inde a ſeſquianno. Numerata pecunia omnia redimam. Tum nec obliuiſceris programmata, indices lectionum, orationes, diſputationes varii

vtique

vtique argumenti. Cumprimis autem requiro, teque rogo, vt notitiem Scriptorum per omnia retro ſecula, cuiuſmodi quid antehac ſcripſiſti, et ego amiſi, mihi deſcribendam hucque mittendam cures, addaſque ei, quæ filio meo præterea fore ad auctorum, librariæ et bibliothecariæ rei cognitionem vtilia iudicaueris. Ea me re ſumme tibi obligaueris. Viciſſim manda, ſi qua apud Sereniſſimum IO. FRIDERICVM meo ſtudio pro te tuiſque fieri poſſe arbitrere. Cuncta fide optima perficiam pro modulis meis. Quæ ad me voles accuranda, ea mitte Domino *Grot*, qui in Eichſfeldiam mittet, porro amandanda huc vſque manus in meas. *Ariſtotelis* laudationem an notis illuſtraris; qualiter olim animo deſtinaueras, itidem perquam auebo ex temetipſo condiſcere. Vale et reſcribe, meque exaudi! Sum quippe conſtanter Tuus *Boineburg*.

CCCCLXVIII.

Conringius per Lampadiana claudere ianuam conſtituit meditationum politicarum, et ſcribere literaria, a quibus minus periculi.

Helmſtad. d. 20. Ian. 1672.

Non minus ego doleo, perquam raras inter nos, idque præter ſolitum, literas commeare. Quo minus autem abs me literæ veniant, fecit hactenus, quod neſcierim, quo certo loco viuas, ex quo terras haſce viſitaſti. Quod ſi perrexeris Moguntiaci vel Francofurti, vti antehac, te continere, priſtino equidem geram me more; quanquam malim in vicinia te degere, quo poſſis curas, quas hic rerum ſtatus parit, diſcutere. Quos ſuperiore anno edidi libros, ſaltem proximæ nundinæ Francofurtenſes exhibebunt. Sunt autem non niſi ex parte a mea manu: et tamen deſidero quam maxime iudicium tuum ſuper iis annotatis ad *Lampadium*, quæ prodierunt in lucem. Perficere opus nec negotia patiuntur, nec Reipublicæ ſtatus. Procul enim eſt a meo ingenio *Friſico*, laudare omnia, quæ aguntur, aut ſupina ſententia dimittere. Ita autem video habere ſeſe res noſtras, vt vel narrationem liberam non ferant, ſine narrantis periculo; emendationem autem nullam admittant, quæ non ſit coniuncta cum huius ſtatus exitio. Quam rem deploratam vel leuiter mouere et producere in lucem, non videtur eſſe opus hominis prudentis. Faciant id illi, qui-

quibus maiores animos ſiue ætas, ſiue dignitas, addit. Mihi videtur tutiſſimum, intra pelliculam continere, quod annorum forte ſupererit, in ſpecula quamuis triſti; et ea agere, quæ ſecure licet tractare cum aliquo domeſticæ rei fructu, atque ex voto illorum, quibus ſacramento ſum adſtrictus. Non poteris, ſcio, improbare conſilium, quoniam, niſi valde fallor, etiam tu geris te modo eodem. Quin imo, ne quid diſſimulem, vereor, iam tum abs me dicta complura, quæ multorum in me odium in gratiæ vicem excitabunt, vt non poſſim non malle indicta. Cur libellum de propagatione literarum, quem ante hos triginta quinque annos in tyronum gratiam ad calamum dictaui, in filii vſum petas, nihil equidem video cauſſæ. Nec enim is eſt, qui mereatur in conſpectum eruditorum prodire, et iam dudum meis quoque excidit manibus, nunquam ſcilicet a me alicuius pretii æſtimatus. Poſſunt vero talia longe rectius et plenius peti ex Scriptoribus variis, qui enumerarunt ſigillatim Scriptores Theologos, Iuridicos, Medicos, Philoſophicos. Si ita tamen videatur, faxo, vt exemplar libelli adipiſcar alicunde, et recenſitum mittam.

tam *. Nunc adeo nouam editionem inſtituo libri antehac editi de *Antiquitatibus Academicis*, addito *ſupplemento :* vnde multa fuerit diſcere, quæ ad rei literariæ faciunt propagationem. Conſtitui autem hunc librum conſecrare memoriæ eius fauoris, quo me proſequitur incomparabilis Princeps Paderbornenſis ; ad cuius mores vtinam ſe componerent Mimigardeuordicus ** et Argentoratenſis, aliique! Prodibunt autem fortaſſe mea etiam alia propediem, itidem nullum mihi creatura periculum: quorum nihil non confeſtim habebis. Deum veneror, vti hic annus ſaltem tibi tuiſque fluat

* Verſatur adhuc in manibus eorum, quorum, patres *Conringium* docentem audierant, *de vniuerſæ eruditionis propagatione et ſcriptoribus commentarius chronologicus.* In illo a nato Chriſto vſque ad exitum ſeculi XVI. recenſet *Conringius* vniuſcuiuſque ſeculi primo ſcriptores *eccleſiaſticos* et *Iudaicos ;* deinde ſcriptores *philoſophicos :* tum *Iuris* Romani *conſultos ;* poſt *Medicos ;* denique *Hiſtoricos*, *Oratores* et *Poëtas.* Quæ diſcipulis in calamum dictata viua voce vberius explicuit. Exemplo, quod nuper in manus incidit, adſcriptum video annum 1664.

** *Monaſterienſem* vero nomine appellare non audet; timidior nunc, quam olim.

fluat feliciter, ſi non liceat ſtatui publico ea bona exſpectare.

CCCCLXIX.

Conringius nouam ſpem concipit, fore, vt *Boineburgius* Hanoueram veniat.

Helmſtad. d. 26. Mart. 1672.

Literæ tuæ, quamuis exiguæ, multo mihi fuerunt gaudio. Inprimis quod ſpem fecerint aduentus tui. Vbi ſane Hanoueram redieris, nihil mihi acceptius erit, atque miſcere tecum ſermones de publicis priuatiſque; id quod a multis annis fuit negatum. Cum itaque Sereniſſimus Princeps IOHANNES FRIDERICVS iam domi verſetur; ſpero equidem propediem etiam iſthoc meo deſiderio ſatisfactum iri. Simul ſane aduentum ſignificaueris, adero, niſi quidem intellexero, Principi aut Aulæ Magnatibus id fore ingratum. Lampadiana mittere nullum duxi operæ pretium futurum, cum ne Hanoueram quidem curari poſſint ſine magno impendio, et nundinæ Francofurtenſes præ foribus ſint, imo ipſemet tu proxime nobis aderis. Indubie vero nec tibi fuerit nunc tantum otii a turbidis Reipublicæ negotiis, vt illorum lectioni queas vacare. Libellum meum

de

de Scriptoribus omnis æui nondum quidem reperi; ſpero tamen me breui nacturum. Interim plurimum gaudeo de *Filii* indole pariter, et ad paternam gloriam propenſione. Reliqua differo in colloquia noſtra familiaria.

CCCCLXX.

Boineburgius initiis quibuſdam aſthmaticis tentatur, et *Conringii* medicum conſilium petit.

Moguntiæ d. 9. Aug. 1672.

Vir optime! Vel tua cauſſa peroptem morem gerere, modo poſſim, Sereniſſimo noſtro IO. FRIDERICO. Quanto enim ardore videre te expetam, dici non poteſt ſatis. Attineor hic tamen neceſſariis perquam rebus, dum vnæ ſuper alias ſubinde occupationes e vicinia turbarum occurrunt, quæ me peregre abeſſe haud ſinunt impræſentia. *Lampadiana* et cetera tua exſpecto cum auiditate maxima. Dominus *Grot* omnia curabit, egoque reddam, quicquid impenderis. Excurram item ad Vos proxime *, puta, quampri-

* His deſtinatis mors improuiſa interceſſit menſe Decembri huius anni, cum paullo ante

primum occaſio alluxerit. Libellus de Scriptoribus vt tuapte lima expoliatur, et ad editionem comparetur, obnixe contendo. Poſſit enim, ni hoc fiat, protrudi foras ab alio. Sane *filio* meo, qui adhuc Argentorati cum *Baeclero* eſt, ſpem feci de illo, qua anxius ſingulos per veredarios me fodicat, ne diutius differatur. Per omnia te ſacra oro, Veſtratium Academicarum Amoenitatum me miſſu laetifica, et propediem plura exſpecta a tuo B. Affligor multa ſicca tuſſi, et initiis quibuſdam aſthmaticis. Vtor ſcillitico aceto, nonnihil mitigato. Sentio leuationis aliquid; ſed tuum requiro amanter conſilium: quo vt me exhilares, enixe rogo. Cetera bene valens et ſanus, hoc malo vno peſſime afficior.

APPEN-

---

ante, ſeptimo ſcilicet Nouembris die, filium vnicum Argentorato ex ſchola Boecleriana reuocatum Pariſios miſſet; quorſum menſe Martio *Leibnitium* iam ablegauerat. Tempus mortis *Struuium*, qui vitam ſcripſit, *praefat. ad faſc. 3. Coll. MSS.* latebat. Reſtant tamen de immortalis memoriae viro plura dicenda in Leibnitianis noſtris.

APPENDIX

CONRINGIANA.

CCCCLXXI.

Io. Heringius, Conſiliarius Oldenburgicus, ***Bartoldo Nibuſio*** narrat, Collegam ſuum, ***Io. Gryphiandrum***, a ***Conringio*** iniuriam paſſum eſſe, et de feminis doctis ſcripturus, in ***Schurmanniæ*** conditionem inquirit *.

Oldenburgi ex Arce d. 22. Mart. ſtil. vet. 1647.

Perreuerende et clariſſime Vir,
Domine plurimum honorande.

Aliquot menſes ſunt elabſi, in quibus tuas reſponſorias nondum accepi. Quid in cauſſa ſit, ignoro; attamen hiſce paucis indagare lubet. Inter cetera ſcripſeram, quæ fortaſſis deſideras circa Chronica iſtius Epiſcopi Vltraiectini, ex illuſtri Comitum Oldenburgenſium domo oriundi; ſalutem quoque dixi meo adfini, Domino Doctori *Iohanni Gryphiandro*, quæ ipſi valde grata fuit; idque eo magis, poſtquam audiuit, quæ veſtra ſit de *Lothario* Imperatore ſententia. Idem haut

æquo

* Hanc epiſtolam quomodo nactus ſit *Conringius*, oſtenditur ſupra *p. 430.*

æquo animo tulit ea, quæ *Conringius* Helmæſtadii protulit de iure vel legibus Germanorum, inque eo genere putat ſua ſcribta valde imitabili ſtylo, ſuppreſſo tamen nomine, ab eo eſſe repetita, vel ſiniſtre intellecta. Quare videtur eorum defenſionem ſe velle ſuſcipere, et tuum ſimul libellum perlegere. Præterea iſtius Vltraiecti mentio mihi reuocat in memoriam, ibi iam exſiſtere Virginem quandam perdoctam, nomine *Annam Mariam a Schurman* **. Ita fama ad nos venit, cum libello alterius tranſlato, et ipſiuſmet quadam epiſtola; ſed ante ſeptennium exarata. Num adhuc in viuis ſit, et quid rerum agat, ac vbi nunc habitet, et num in eodem vel alio ſtatu ſit, nondum reſcire potui. Haut grauatim inquiras, rogo: quod eo facilius eſt, cum locus non procul diſtet. Hiſce diebus paululum otioſus conſcribſi diſcurſum de Virginibus et vxoribus doctis. Si quæ habueris illuc ſpectantia, mecum communices, peto. Publica quod attinet, tam politica quam militaria, adhuc in ambiguo ſunt ſtatu, et tractatus ille pacis Monaſterio-Oſnabrugicæ vltra tertium fere annum protractus monſtri aliquid ale-

re

** Quid Conringius de ea ſenſerit, ſubiecta epiſtola oſtendet.

re videtur, ni Deus altiſſimus alia dederit media, vel Coronæ Europææ tam ſibimetipſis, quam nobis Germanis ſinceriorem quæſiuerint concordiam, vel ipſe hoſtis Turca mutuam in ſe concitauerit operam. In tam perplexo ſtatu hærent non modo res publicæ in vniuerſum; ſed quoque particulares in vicinis illis Epiſcopatibus, Bremenſi ac Verdenſi, vbi locum mutare coactus fui, et nonnihil me ad tutiora recepi. Hæreo tamen adhuc Bremæ; ſed per interualla, velut iam hoc ipſo tempore iterum, quo hæc ſcribo, Oldenburgum migro, cuius Comes prudentiſſimus ac celeberrimus me denuo in Conſiliarium adoptauit. Hæc vice hac ſignificare volui, indies reſponſum exſpectans. Vale et ſalue, Clariſſime Vir.

Inſcriptio literarum:

Viro perreuerendo et clariſſimo, Dn. *Bartoldo Nibuſio*, Theologo et Philoſopho celebri, Dno ſuo plurimum honorando. Amſterdam bey dem Herrn Elzeviren, Buchführern, abzugeben.

CCCCLXXII.

Couringii iudicium de *Annæ Schurmanniæ* optimæ partis electione, et *de Io. Labbadio.*

Helmſtad. d. 9. Mart. 1675.

Pri-

Pridem tibi reſponſum debeo, Nobiliſſime et Ampliſſime *Ackenbuſi*; pridem quoque leuaſſem me alieno hoc ære, niſi fama me ſeduxiſſet, miſſum ſcilicet te in Galliam a Principe, nec forte breui rediturum. Quia vero certiorem me iam reddit noſter *Erberfeldius* de præſentia tua: itaque ſaltem nunc gratias tibi ago pro donato libello perquam accepto. Et vero peraceptus eſt libellus multis nominibus, cumprimis autem quod videam pergere te in me amando: quod non poteſt non mihi eſſe longe gratiſſimum. Quem non etiam delectet doctæ ſine exemplo feminæ ſcriptum, quodcunque etiam oblatum fuerit? Mihi autem hic libellus perplacet etiam inuſitato ſanctimoniæ ſtudio: nec enim non ſuperauit meam exſpectationem. Enimuero perexiguus eſt illorum numerus, qui laborent peruenire ad excellentem ſanctitatis apicem; eniti tamen iſthuc iuſſi ſumus, et inuitati ampliſſimo in cœlis propoſito præmio. Hoc quando agit, et exemplo ſuo aliis præit viam *Schurmannia*, vere gloriari poteſt, optimam ſe partem elegiſſe, et admirationem meretur, non vituperium. Vereor tamen vt non interdum excedat modum, collocans omnem Eccleſiæ ambitum in vno illo ſanctitatis faſtigio. Leuior tamen hæc longe culpa eſt, quam

ſi ſupine omnem illum ſanctitatis laborem quis contemnat cum pleraque multitudine eorum, qui Chriſtiani ſalutantur. Si non aliud quoque voluit illius, cui *Schurmannia* nomen dedit, conuentus inſtitutor *Labadius*, grauiſſime hactenus peccauerunt eius viri obtrectatores. Ego ſane, ne quid diſſimulem, etiam illum arbitror virum fuiſſe eximie ſanctum, et confirmauit mihi hanc ſententiam viri obitus rariſſimi exempli, qui nec tibi poteſt eſſe ignotus, quoniam contigit Altonæ in vicinia tua. Vt ad donum igitur tuum redeam, gratias tibi ago pro tam præſtante libello, in redhoſtimentum aliquid meum redditurus, ſimulac mittendi fuerit commoditas. Laudauit vero libellum noſter quoque *Titius*, cuius iudicium quam ſit exactum, haud ignoras. Vale, mi Amice et porro, quod facis, me ama!

Inſcriptio literarum:

Nobiliſſimo Ampliſſimoque Viro, *Chriſtiano Dieterico Ackenhauſen*, Conſiliario et in Hadeleria Locumtenenti Sereniſſimi Saxoniæ Ducis.

CCCCLXXIII.

Conringii epiſtola * ad *D. Georgium Calixtum* apolo-

* Ad hanc prouocauerat *Conringius* ſupra *p. 214.*

logetica contra plagium a *Io. Gryphiandro* ſibi impactum.

Propridie Kal. April. 1647.

Plurimum Reuerende, Clariſſime et Excellentiſſime Vir, Collega, Compater et Amice honorande.

Quas tradidiſti literas quatuor *Iohannis Gryphiandri*, legi tandem; at non ſine ſtupore legi. Vidi enim, me accuſari non leuis ſed grauiſſimi criminis, furti nimirum, et nominatim quidem, quod tranſſumpſerim in meum de Origine iuris Germanici librum ex ipſius opere de Weichbildis Saxonicis, vt in prima epiſtola loquitur, *integra fere capita cum allegatis auctoribus: forte etiam demonſtrari poſſe* (verba ipſius ſunt epiſtola tertia) *totum opuſculum meum ex tribus aut quatuor auctoribus, D. Calixto, cui merito primas partes et fortaſſe totam diſpoſitionem debeam, et Friderico Lindenbrogio, et Melchiore Goldaſto, quibus ſe quoque annumerabat, conſarcinatum eſſe.* Tantas, inquam, calumnias et tam atrocem innocentiæ meæ factam iniuriam non ſine ſtupore legi. Quid agendum mihi ſit in negotio prorſus inſperato, nondum poſſum conſtituere. Neque enim iuſta indignatione occupato mentis iudicio meo auſim fidere.

 Pro-

Propendet animus cum calumniatore ex lege *diffamari* agere. Verum propediem certius omnia definiam, vbi rem cum amicis, et comprimis ſocero meo, D. *Stuckio*, communicauero. Id doleo, tamdiu a Reuerenda tua dignitate hanc famæ meæ accuſationem ſilentio preſſam. Certe meo magno malo id factum eſt. Neque enim hac in re mihi opus eſt conciliatore aliquo, aut qui ſeſe interponat, et meo nomine errorem aliquem apud *Gryphiandrum* deprecetur: quas te partes ſuſcepturum indicat ſubinde calumniator. Vt dicam quod ſentio, conſilium illud diſplicet, quod pro fomento mendaciis eſt. De re ipſa ita habe. Si ego librum *Gryphiandri* vnquam vidi quod meminerim quidem; certe ſi ego vnquam legi; ſi excerpta illius libri vnquam venerunt in manus meas; ſi ſententias *Gryphiandri* a quoquam mortalium accepi: non ſit mihi propitius DEVS in extremo iudicio! Bonam igitur partem libri mei ex ſuo eſſe traductam, aut integra capita cum allegatis auctoribus de ſuo tranſſcripta, calumnioſe mentitur *Gryphiander*. An ſententiis, an teſtibus adductis conueniamus, nec ne, perinde noui atque illud, quod ne quidem per ſomnium mihi in mentem venit. Proinde mendacium quo-

que

que purum eſt, me *annisum* inductiones eius occulte vellicare et refutare. Mentitur etiam *Gryphiander*, totum opuſculum meum ex tribus aut quatuor auctoribus conſarcinatum eſſe. Reuerendæ tuæ Dignitati, et *Lindenbrogio*, et *Goldaſto* multum me debere, profeſſus ſum, et profitebor ſemper. Illi cum ne quidem gry debeam, quid ſe permiſcet Achinis? Ceterum tibi me debere *diſpoſitionem operis*, quam mendax ſit ſuſpicio, ipſe omnium rectiſſime noſti. An me iuueris toto illo in opere aliter, quam illa publica diſſertatione de Iuris Romani in foro reductione, quam epitomæ Theologiæ Moralis inſeruiſti, tuo ore ſi pronunties, ſcio calumniæ iſti confutandæ ſatis fore. *Lindenbrogii* et *Goldaſti* ſententias, quæ placuerunt, nuſquam diſſimulaui. Vſus ſum interdum, fateor, eorum opera ad ſcrutanda quædam dicta variorum ſcriptorum, quæ, abſque illis fuiſſet, non temere de iis forte cogitaſſem. Hanc me operam non ſemper nominatim laudaſſe, non diffiteor. Cur non fecerim, in cauſſa fuit, quod iam tum ſcripta illa commendaſſem, quodque dicta illa ſedulo ipſemet ipſis in auctoribus ſcrutatus, et meo indicio cenſita ac digeſta ipſo cultu in meam poſſeſſionem tranſtuliſſem. Si

hac in re commiſſum a me plagium eſt, nemo hodie ſcriptorum ab illo ſcelere alienus eſt. Quam in multis a *Goldaſti* et *Lindenbrogii* ſententiis receſſerim, norunt, quibus et mea et illorum lecta ſunt omnia. Gloriam primæ inuentionis me toto in opere vllibi *ambitioſe affectaſſe*, mentitur *Gryphiander*. Gloriari me, quod opus illud, nulla adiutus præuia ſcriptione, extemporanea opera ex aduerſariis ad calamum dictauerim, atque ita alienas laudes mihi tribuens, et patronis et auditoribus et lectoribus impoſuerim, itidem ille mentitur. Primum operis rudimentum ita natum eſſe teſtes ſunt, qui ex dictantis ore exceperunt; quos inter vnum Clariſſimum et Ampliſſimum virum, *Chriſtianum Wilhelmum Engelbrecht* I. V. L. Prouinciæ Calenbergenſis et oppidi *Eimbeccæ* Syndicum, ſatis fuerit nunc nominaſſe. *Goldaſti* ſcripta, quæ huc faciunt, aut opus *Lindenbrogii* integrum legum antiquarum, mihi tum temporis ne quidem fuiſſe viſa, nouit DEVS. Memoriter dictatum a me commentarium de Origine iuris, qualis eſt editus, nuſpiam dixi: qui id me gloriari dicit, malitioſe mentitur. Quantum ex deſignatione capitulorum meorum hariolari eſt, in hiſtoriæ iuris Saxonici ſententiis quibuſdam et te-

ſti-

ſtimoniis omnis mea cum *Gryphiandro* conſenſio eſt, quam ille furti nomine traducit, quod prior illam narrauerit. Miror vero, Reuerendam tuam Dignitatem ab illo non poſtulatam huius facinoris, quoniam duodecim annis te prior hiſtoriam magorum narrauit, in effectu, vt loquitur, cum tua conuenientem. Forte etiam hoc plagium debuit toti mundo patere additione Orationum ad tuam hiſtoriam, vt meum e capitulorum mutuo oppoſitu ac publicatione ſperat manifeſtum iri. Verum capitula illa quidem ſua et mea ſi ediderit *Gryphiander*, arridebo ego. Ita enim etiam mihi dabitur facultas nonnihil eius legendi, quod hactenus negatum, et bonus et doctus quiſque recte iudicabit, quam ego ſim innocens, et quam ſuperbus calumniator *Gryphiander*. Quanta enim illa ſuperbia, credere, neminem vel legere poſſe monumenta paſſim obuia, vnde veritas hiſtoriæ iuris Saxonici petenda eſt, vel ex eorum lectione neminem rem adeo tenuem poſſe aſſequi, niſi ductore *Gryphiandro* fuerit vſus? Igitur, abſque *Rolandis Gryphiandreis* eſſet, perpetuo fuiſſet in errore toti orbi verſandum. Bonum factum, ſcilicet! Nouerit autem ille ad id, vt fortaſſis in eadem nonnulla teſtimonia, aut in eaſdem nonnul-

las ſententias ſecum inciderim, non propterea me aut diuinum hominem eſſe, aut ſpiritu aliquo ſuggerente vſum; ſed factum id, vt plurima ſolent forte fortuna contingere. Legi ipſe, nullo duce, quæ huc facere viſa ſunt monumenta, et legi illa, meo vſus iudicio, quo, citra arrogantiam dixerim, longiſſime his obſcuriora expendi et aſſecutus ſum. Librum ipſius nunquam contempſi, neque enim vidi. Cum verſarer in ſcriptione commentarii mei, petii illius vſuram (titulus enim libri erat auditus) ab vno et altero; ſed fruſtra. Si legiſſe licuiſſet, laudaſſem; vtut potuiſſem aliis videri mea inde petiiſſe. Ingenuitatem *Plinio* laudatam nemo vel per calumnias, quod ſciam, hactenus in me deſiderauit: illam ſemper amaui, et in ſcriptis meis prodidi. Te et alios omnes bonos, qui me norunt, innocentiæ teſtes appello. Sed quid moror tua tempora meis querelis, cum nondum conſtituerim, muſſitandane ſit mihi hæc iniuria, an pro merito vindicanda. Certe ſi iure egero, pœnitebit *Gryphiandrum* facti. Epiſtolas hominis quod non reddam, ſpero, haud te laturum ægre. Fama mea vt quid detrimenti patiatur, me viuo et conſcio, non patiar. Ad calumnias, quas reſciuero, non ſilebo.

Di-

Didici, ſilentio illas foveri, et bonis quoque ſic imponi. Vale, Virorum optime, et mihi multis nominibus collega et amice venerande!

T. T.

Herman. Conringius, D.

CCCCLXXIV.

Io. Gryphiander Bartoldi Nibuſii Irnerium ſibi expetit, Conringii plagium vlturus.

Oldenburgi d. 10. April. 1647.

S. P. et Officia.

Reuerende et Clariſſime Vir, Domine et amice ſperatiſſime.

Cum nuper ampliſſimus Dn. *Ioannes Heringius*, ICtus et Conſiliarius Oldenburgicus, affinis et amicus meus ſingularis, in litteris veſtris adſcriptam ſalutem mihi communicaret; admodum gauiſus ſum equidem, ſimulque mihi in memoriam reuocaui tempora iuuentutis noſtræ, quando in Academia Iulia, poſtea etiam Ienenſi, bonis litteris ambo operam dedimus. Et Ienæ quidem te noui Principum Iuniorum Saxoniæ, lineæ Altenburgenſis, præceptorem; licet arctioris amicitiæ nexu tum coniuncti non fuerimus. Ex quo au-

tem inter vos et Dn. *Georgium Calixtum*, Profeſſorem Helmæſtadienſem, de controuerſiis quibuſdam Philoſophicis et Theologicis ſcripta quædam publica permutata et typis edita ſunt; memini me aliquid in iis obiter legiſſe; ſed quia res meæ profeſſionis non erat, fateor, me in ſtatum controuerſiæ debito modo non inquiſiuiſſe. Poſtquam autem *Hermannus Conringius*, *Friſius*, Profeſſor Medicinæ, ante triennium tractatum hiſtoricum de *Origine iuris Germanici* Helmæſtadii ex typographeio Calixtino publice edidit, eumque ego paulo ſerius nactus peruoluerem; deprehendi, non ſolum plurima ex meo tractatu de *Weichbildis Saxonicis*, Francofurti impenſis Petri Kopſii anno 1625. impreſſo, ſuis inſerta eſſe, nulla mei nominis mentione facta; ſed etiam in ipſius *cap. 20.* et aliquot ſequentibus examinari, et falſitatis argui hiſtoriam renouati a *Lothario* Saxone Cæſare, et in ſcholas reproducti iuris Iuſtinianei, quam ego quoque in dicto meo tractatu de *Weichbildis Saxonicis cap. 41. u. 9. et cap. 48. in principio*, ſecutus communem ICtorum traditionem, non quidem ex profeſſo aſſerui, ſed obiter narraui. Eam autem veterum opinionem, cum a vobis in *Irnerio* veſtro aliiſque opuſculis editis contra

tra D. *Calixtum* et *Conringium* ex profeſſo propugnatam intelligam; ſcripſi propterea ad vicinas vrbes, Hamburgum et Bremam, earumque bibliopolas, comparaturus mihi exemplar aliquod, ſi quidem illic ſint venalia. Verum hactenus voti mei compos fieri non potui. Itaque a te peterem copiam *Irnerii* tui, ſi quidem adhuc exſtaret, vt collatis vtriuſque partis ſcriptis, et argumentis ponderatis, de hac controuerſia hiſtorica aliquid certi cognoſcere et ſtatuere apud me poſſim. Ego quidem iure debitæ gratitudinis libentiſſime meum tractatum remitterem, niſi omnia eius exemplaria penitus eſſent diſtracta, vt nec Francofurti amplius reperiantur. Itaque de iteranda editione nunc cogito, ſimulque quo pacto *Conringii* ſiue furtum, ſiue plagium vindicem, quo mihi obnoxius eſt. Neque quicquam mihi obſtat, niſi quod hominem indignum eo honore iudico, contra quem calamum ſtringam. Si forte facultatem vtriuſque tractatus habes, conferas, quæſo, *Conringii cap. 13. 18. 19. 25. 28. 29. 30. 31.* cum meis prædicti tractatus *cap. 37. 48. 50. 51. 52. 53. 54. 74. et 79.* vt alias ſententias meas ſuis paſſim interſperſas omittam; deque eo facto iudicium tuum abſque partialitate mihi communices. Quæ certe non

non primum ab ipſo, nulla adiuto præuia ſcriptione, inuenta ſunt, ſicuti gloriatur *Conringius* in epiſtola dedicatoria; ſed octadecim annis ante publici iuris a me facta fuerunt. Quodſi ad dictam recenſitionem libelli mei aliquid mihi conferre velis; poteris autem haut dubie, pro tua patriæ antiquitatis cognitione: facies mihi rem longe gratiſſimam, quamque ego viciſſim demereri omnibus modis ſtudebo. Bene et feliciter vale, mihique paucis mentem tuam reuela!

CCCCLXXV.

Idem poſt longam plagii narrationem *Nibuſio* aperit propoſitum ſubiiciendi viris doctis hoc negotium arbitrandum *.

Oldenburgi d. 5. Aug. 1648.

S. P. et Officia.

Admodum reuerende et clariſſime vir, fautor et amice honorande.

Dici non poteſt, quam grata mihi fuerit epiſtola veſtra prorſus inſperata, tum quia ego primus

* Scripta eſt hæc a *Gryphiandro* epiſtola, poſtquam ei *Calixtus Conringii* apologiam miſerat, quæ hic ad incudem reuocatur. Confer. *ſupra p. 212.*

mus officium ſcribendi reciprocum deſerui, neque ad poſteriores veſtras anno hoc integro reſpondi; tum quia etiam munuſculo chartaceo hypodigmatis veſtri me locupletant, quod ego ſtatim legendo peruolui. Agnoſco non ſolum tarditatem, ſed etiam ingratitudinem meam, qui pro duplici munere, *Irnerio* ſcilicet et *hypodigmate*, ne gratias quidem egi; tantum abeſt, quod paria reddiderim. Moram ſcribendi condones, quæſo, prolixitati occupationum, qua ratione officii mei ſtudiorumque diſtringor, quam nunc litterarum præſentium vbertate penſabo; ingratitudinem autem inopiæ, qui tractatuum, quos edidi, nullam amplius habeo copiam, præter vnicam *euthanaſiam*, quam anno climacterico meo 1643. edidi, et proxima occaſione miſſurus ſum, licet fortaſſe ingratam vobis. Scriptum *hypodigmatis* ad me miſſum, licet eruditum eſſe fatear, vt nihil ipſi addi poſſe videatur; tamen quia res eccleſiaſticas tractat illas, quæ captum meum excedunt, neque ad profeſſionem meam pertinent, dabis mihi veniam, ſi de iis iudicium meum ſuſpendam. Tantum, quæ in præfationis §. 8. ſeq. de D. *Calixto* et *Conringio* allata mihi pro nouellis ſunt, admiror, et cognoſcere auide deſidero.

Ne

Neque enim hactenus aut vidi, aut legi exercitationem de maieſtatis ciuilis auctoritate et officio circa ſacra, a prædicto *Conringio* editam; licet pleroſque ipſius tractatus mihi compararim. Inter illos eſt aliquis de corporum Germanorum veterum habitu et proceritate, forſan occaſione mei *cap. 7. et 70. de Weichbildis Saxonicis* conflatus. Cuius titulo lecto vix riſum tenere potui, hominem puſillum, et alterum *Zachæum*, vt vocauit *Iohannes Andreas* in gloſſis, auſum de illa materia ſcribere, et commendare maiores noſtros ſeptipedes, qui ipſe vix eſt quintipes, vt audio. *Matthias* certe Hungariæ Rex, dictus *Coruinus*, præconium giganteæ fortitudinis ſibi adulatorie tributum pro ludibrio habuit, cum ipſe mediocris ſtaturæ eſſet, vt refertur in Valerio Maximo *Exneri*. Neque intelligit homo vaniloquus, dedecus mutati habitus Germanorum in ſeipſum redundare, cum eum vitiis parentum degenerantium tribuit. Quod ſi autem prædictam materiam de officio Principum circa ſacra digne tractauit ex antiquitate; non dubito, quin argumenta ipſi ſuppeditarit D. *Calixtus*, perinde vt factum in tractatu de origine iuris Germanici. In quem etiam ex meo quædam conieciſſe *Conringium*, nulla mei nominis facta mentione, ſcripſi ante-

antehac. Qua de re dum diſputo cum D. *Calixto*, cauſſam ipſius propugnante, per litterarum commercium, ſcripſi, videri mihi totum opuſculum *Conringii* ex quatuor auctoribus compilatum eſſe, nempe D. *Calixti* Theologia morali, cui merito primas et fortaſſe totam diſpoſitionem debeat; D. *Friderici Lindenbrogii* prolegomenis ad Codicem legum antiquarum, et Dn. *Melchioris Goldaſti* Conſtitutionibus: quibus *me* meumque tractatum pro quarto adiunxi. Reſpondit ad hæc *Conringius* in litteris, ad D. *Calixtum* propridie Calendarum Aprilis anni elapſi datis, quas ille ad me miſit (nam neque ego ad *Conringium*, neque ipſe ad me ſcripſit) primos tres auctores, vt libelli ſui ſuffarcinatores, reipſa concedens: „Reuerendæ Dignitati „tuæ et *Lindenbrogio* et *Goldaſto* multum me debere profeſſus ſum, et profitebor ſemper. Illi „cum ne gry quidem debeam, quid ſe permiſcet „Achiuis? Ceterum tibi me debere diſpoſitionem „operis, quam mendax ſit ſuſpicio, ipſe omnium „rectiſſime noſti. An me iuueris toto illo opere „aliter, quam illa publica diſſertatione de iuris „Romani reductione, quam Moralis Theologiæ „epitomæ inſeruiſti, tuo ore ſi pronunties, ſcio „calumniæ iſti refutandæ ſatis fore. *Lindenbrogii*

„ et

„ et *Goldaſti* ſententias, quæ placuerunt, num-„ quam diſſimulaui. Vſus ſum interdum, fateor, „ eorum opera, ad ſcrutanda quædam dicta vario-„ rum Scriptorum, quæ abſque illis fuiſſet, non „ temere de iis forte cogitaſſem. Hanc me operam „ non ſemper laudaſſe nominatim, non diffiteor. „ Cur non fecerim, in cauſſa fuit, quod iam tum „ ſcripta illa commendaſſem, quodque dicta illa „ ſedulo ipſemet ipſis in auctoribus ſcrutatus, et „ meo iudicio cenſita et digeſta ipſo cultu in meam „ poſſeſſionem tranſtuliſſem. Si hac in re com-„ miſſum a me plagium eſt, nemo hodie ſcripto-„ rum ab eo ſcelere alienus eſt. " Hæc *Conringius*, in quibus, quod ad tres hoſce auctores, me ab omni calumnia abſoluit. Quoad meum tractatum autem negat in totum, imo ſe nec vidiſſe, nec legiſſe periurat. „ Si ego librum *Gryphiandri* vmquam vidi, inquit, quod meminerim quidem; „ certe, ſi ego vmquam legi; ſi excerpta illius li-„ bri vmquam venerunt in manus meas; ſi ſenten-„ tias Gryphiandri a quoquam mortalium accepi: „ non ſit mihi propitius Deus in extremo iudicio." Hæc *Conringius* ſatis confidenter; ſi non æquiuocatio aliqua ſubeſt. Quis enim non exhorreat ad huiuſmodi maledictionem? Ego autem confeſſio-

nem

nem iſtam iuratam vtiliter acceptando, reſcripſi, alterutrum exinde neceſſario ſequi, aut *Conringium* verum auctorem totius libri non eſſe, vt titulus præfert, aut ſaltem mendacem et periurum, quia certum ſit, illum ipſum auctorem tractatus de Origine iuris Germanici, quicunque etiam ſit, vidiſſe et legiſſe prædictum meum libellum de *Weichbildis Saxonicis*, quod ipſa rei euidentia teſtatum faciat in capitibus a me annotatis. Quod ſi is eſt D. *Calixtus*, etiam in illa parte, quam mihi tribuo, non adeo *Conringio* fit iniuria, ſi plagii accuſetur, quia ſeipſum auctorem totius libri facit. Ita enim in iure noſtro mendax ſæpiſſime punitur, vt confeſſio contra ſeipſum acceptetur, atque in pœnam ipſi fides contra ſe habeatur. Neque tamen diffitetur, ineſſe quædam vtrique libro communia, quæ non a me, ſed ex ſuo cerebro habeat ipſe. „ Quanta illa ſuperbia „ eſt, inquit in prædicta epiſtola, credere, ne„ minem vel legere poſſe monumenta paſſim ob„ uia, vnde veritas hiſtoriæ iuris Saxonici petenda „ eſt, vel ex eorum lectione neminem rem adeo „ tenuem poſſe aſſequi, niſi ductore *Gryphiandro* „ fuerit vſus? Igitur abſque Rulandis Gryphian„ dreis eſſet, perpetuo fuiſſet in errore toti orbi

BIBLIOTECA ROM VITTORIO EM

„ verſandum. Bonum factum, ſcilicet! Nouerit „ vero ille ad id, vt fortaſſis in eadem nonnulla „ teſtimonia, aut in eaſdem nonnullas ſententias „ ſecum inciderim, non propterea me aut diui„ num hominem eſſe, aut ſpiritu aliquo ſugge„ rente vſum, ſed factum id, vt plurima ſolent „ forte fortuna contingere. Legi ipſe nullo duce, „ quæ huc facere viſa ſunt, monumenta, et legi, „ illo meo vſus iudicio, quo, citra arrogantiam „ dixerim, longiſſime his obſcuriora expendi et „ aſſecutus ſum." Eſt hoc argumentum *a poſſe ad eſſe*, quod Logici non admittunt, præſertim cum de poſſe *Conringii* iure meritoque dubitetur; quia Medicus eſt, cuius profeſſio nihil ad noſtrum negotium facit. Quod ICtus quoque ſit, antiquariuſque excellens, cras credam; hodie nihil. Maxime, cum ipſe *Conringius* in præfatione ſua fateatur, ſibi a rei medicæ operibus niſi exiguum admodum otii ſupereſſe. Hiſtoricum autem ſtudium ſuperficiarie tractari non vult, ſed totum hominem requirit, ſi perfectus artifex eſſe velit. Quodſi numerentur auctores omnis generis, quos ille ex Conciliis, decretis, canoniſtis, legiſtis, Scriptoribus Eccleſiaſticis et profanis hiſtoricis vltra centum allegat, et ſimul ſupputetur tempus,

quo

quo confectus tractatus ille fuit; certe abſque miraculo id fieri non potuit ab homine etiam exercitato, multo minus eorum auctorum nullam notitiam antea habente. *Irnerius* enim veſter, cui oppoſitus eſt tractatus Conringii, poſt cenſuram D. *Sierſtorphii* menſe Aprili anno 1642. Coloniæ impreſſus, et ad illuſtriſſimum Ducem Brunſuicenſem tranſmiſſus, non niſi menſe Iulio elapſo ad D. *Calixtum* peruenit. Cui ipſe ſtatim oppoſuit iteratam compellationem ad Academiam Colonienſem, cum præfatione ad iam nominatum Ducem AVGVSTVM; item appendice eodem anno 1642. menſe Octobri, Nouembri et Decembri ſucceſſiue elaborata, et Helmæſtadii publicata. Quorum magna pars in epiſtola dedicatoria *Conringii* ſummatim reperitur. Anno ſequenti 1643. confectus eſt ſæpedictus tractatus de Origine iuris Germanici, cuius epiſtola dedicatoria data eſt Calendis Martiis, ſiue primo eiuſdem menſis die. Ergo conſequens eſſet, tractatum illum intra duos aut tres menſes compilatum eſſe, a tirone non ſolum iuris et hiſtoriarum, ſed etiam aliis negotiis medicis occupato, cum illa *Calixti* iterata compellatio ad ſui perfectionem quatuor menſes abſumſerit. Quod, vt dixi, aut impoſſibile, aut

pro miraculo habendum, ſicuti hæc et alia abſurda in vindiciis pro meo, et contra *Conringii* tractatum latius deduco: vbi ad euidentiam facti plagiique commiſſi prouocans, ad ſingula ipſius capita additis notis monſtrabo loca ex meis deſumpta. Fundamentum pono in *capite 29.* ipſius in fine, vbi recenſet fabulas de legibus, quæ ad Cæſares Conſtantinum, Carolum et Ottonem M. vulgo referuntur, de inſtitutis ab Ottone III. Electoribus, de Rulandinis coloſſis iuſſu Caroli M. in ſymbolum libertatis erectis, et ſimilibus. Ego illarum fabularum quinque capita facio, quorum primum circa leges Carolinas verſatur, excuſſum a me in *cap. 22. et ſeq. cap. 33. 35. 41. et ſeq.* Secundum genus de OTTONE I. et II. examinatur a me in *cap. 51. et ſeq.* De inſtitutis ab OTTONE III. Imperii electoribus dixi *cap. 36.* De Coloſſis Rulandinis, eorumque putatiua libertate dixi *cap. 1.* et deduxi per totum tractatum. Tertium et quartum genus, circa collectionem Speculi Saxonici et iuris Weichbildici, tractatur in meo *cap. 37. 50. 51. et ſeq.* et denique quintum genus circa ius *Vemicum* tractatur in *cap. 54.* Quomodo ergo non fabulas iſtas, earumque examen ex meo habet? Et ſi forte ſortuna ipſi quoque poſt lapſum

ſepten-

ſeptendecim annorum in mentem venerunt; de quo tamen fortunæ euentu dubito; quomodo gloriari poterit ipſe, a nullo ante ſcriptore inuenta aut obſeruata eſſe? Prima ſua capita vſque ad *cap. XIII.* deſumſit *Conringius* ex prolegomenis *Lindenbrogii*, Codici ſuo præfixis; ſed quæ ipſe latius extendit. Quæ vero in ſequentibus *capitibus 14. 15. 16. et 17.* ex legibus eccleſiaſticis CAROLI M. deducuntur, non dubito, quin a *Calixto* profecta ſint. At quia omnia ipſius ſcripta non habeo, non poſſum in fontes inquirere, ſi forte huiuſmodi teſtimonia in *Calixti* ſcriptis iam collecta inueniantur. Quæſo te, vir eruditiſſime, inquiras, et ſiquid deprehenderis, communices. Ita quoque *Conringii cap. 20. 21. 22. et 24.* de Cæſaris LOTHARII conſtitutionibus, iuriſque ciuilis reductione agunt, quam partem ipſe in dicta epiſtola ſua D. *Calixto* ex epitome Moralis Theologiæ acceptam refert. Ceterum refutationem horum capitum ego ad te remitto. In prioribus tuis litteris requiris a me, vt locum Chronici, iuri Weichbildico præfixi, in *cap. 48. n. 4.* allegatum, clarius explicem, et quo tempore is liber ſit excuſus. Reſpondeo autem, codicem germanicum iuris *Weichbildici* et *Feudalis Saxonici*, cui præ-

fixum eſt Chronicon *Magdeburgenſe*, quod allegaui, et quo ego vtor, excuſum eſſe *Budiſſini* anno 1557. ſed, vt ibidem titulo ſubiicitur, exemplar illud multis in locis correctum et reſtitutum eſſe. Vnde colligitur, non tum de nouo editum, ſed antea exſtitiſſe. Quo autem tempore ius illud conditum, aut chronicon confectum ſit, quia nullibi expreſſe ponitur, exiſtimaui in *cap.52. n.16.* poſt tempora *Rudolphi a Dingelſtet*, Epiſcopi Magdeburgenſis, qui anno 1255. vixit, id collectum eſſe. Chronicon autem *Carionis*, quo vtor, excuſum eſt Baſileæ anno 1552. conuerſum in latinum ſermonem ab *Hermanno Bonno*, Rectore Lubecenſi. Deſinit autem in anno 1532. a quo incipit appendix vſque ad annum 1551. quæ eſt alterius auctoris: vt exiſtimem, Chronicon iſtud *Magdeburgicum* ratione originis multo antiquius eſſe Chronico Carionis. Denique conſilium veſtrum expeto mihi impertiendum, ſi forſan annotata mea contra *Conringium* non omnibus lectoribus, quorum plures ſunt ſemidocti, quam docti, ita manifeſta videri poſſint, vt mihi aſſenſum præbeant. Mallem vel collegio alicui celebri Coloniæ aut Lugduni, vel etiam certis eruditis viris, præſertim hiſtoricis, ea cenſenda et indicanda offerre,

ferre, experturus, an etiam album calculum ab iis reportare poſſim: quomodo memini, vos duo collegia, *Bononienſe* et *Louanienſe*, de hiſtoria LOTHARII Cæſaris non abſque fructu conſuluiſſe. Quid Reuerendæ Dominationi Veſtræ in hoc negotio vtilius videatur, exſpecto. Plura non addam, ne vos ab aliis grauioribus ſtudiis nimis diu detineam. Dn. *Heringius*, pro Legato in Holſatiam miſſus, nunc abeſt, cui redeunti ſalutem veſtram annuntiabo. Bene et longum valete!

CCCCLXXVI.

Idem *Nibuſio* Euthanaſiam ſuam mittens ſententiam eius de nupera pace exquirit.

Oldenburgi d. 9. Octobr. 1648.

S. P. et Officia promtiſſima.

Reuerende et clariſſime vir, Fautor et amice Honorande.

Binas veſtras litteras vna cum adiunctis munuſculis chartaceis accepi, agoque gratias maximas; licet hac vice nihil, quod reponam, habeam. Fateor, ea, quæ pro *Lothario* Cæſare contra D. *Calixtum* elaborata a vobis ſunt, eſſe talia, vt nihil ipſis opponi poſſit, niſi verba et crambe bis

cocta. Vt non videam, quid ipſe quoque veſtris iam allatis addere poſſim, niſi forte ICtorum noſtrorum teſtimonia, quæ tamen *Conringius*, aut etiam *Calixtus*, non magni fecit. Qua de re alias pluribus agam. Nunc autem occupatiſſimus ſum in expediendo filio meo ſecundo genito, *Chriſtophoro*, qui cum Nobilibus duobus *a Burgh* iter ingreditur ad vos in Hollandiam, commoraturus hac hyeme ſtudiorum gratia Lugduni Batauorum; a quo exemplar *euthanaſiæ* meæ recipies. Quæ licet vobis fortaſſe non omnino arrideat, ſaltem propter obitum Dn. *Lutheri*, quem commendaui; tamen ſpero, te non improbaturum ſententiam D. *Calixti*, qui omnibus Chriſtianis ſpem ſalutis æternæ tribuit, modo principia fidei Chriſtianæ agnoſcant; iuxta tria ſymbola, Apoſtolicum, Nicænum et Athanaſianum credant; teneant catecheſin, neque ſe peccatis grauioribus implicent. Quod ſi verum eſt, ſiquidem in hoc fundamento Chriſtianæ religionis conuenimus; putarem, nos ſaluari vtrimque poſſe, etiamſi in aliis controuerſiis, et maxime parergis, diſſentiamus. Qua de re alio tempore mentem meam declaraturus ſum. Nunc ſcire cuperem, quæ ſit veſtra de pace publica, Oſnabrugæ et Monaſterii aliquot iam annos

tra-

tractata, et nuper concluſa, ſententia, quam magno vtriuſque partis bono initam eſſe Germani omnes, qui ſalutem patriæ amant, ſtatuere debent. Faxit Deus, vt bene concluſa propediem exſecutioni tradantur! Alioqui metus eſt, vt ſanguinis fundendi non tam finis, quam principium ſtatuatur. Bene vale, vir clariſſime, et tumultuariæ ſcriptioni propter feſtinationem ignoſce.

CCCCLXXVII.

Conringius mittit Dn. *Geſenio* fundamentorum fidei Pontificiæ *concuſſionem*, occaſione defectionis Blumianæ ſcriptam *.

Helmſtad. d. 11. Mart. 1654.

Quæ nuper *Blumio* obiecta a me, et mutum et pallidum illum reddiderunt, cum Ratiſbonæ reſponſum ſe meditaturum dixerit, illa calamo comprehenſa duxi operæ pretium publicare, cum vt ille habeat, ad quæ vel ipſe, vel alii cum illo col-

Vvvv 5 lata

* Relege ſis, quæ dicta ſunt ſupra *p. 95. 96. 97.* nec non *p. 777.* Patet hinc, memoria lapſum *Leibnitium*, cum in *epiſtol. Kortholt.* alicubi ſcribit, *Honorato Fabri* hunc librum oppoſuiſſe *Conringium*.

lata opera reſpondeant, omni diuerticulo remoto; tum vt calumniis eatur obuiam; forte vero et alii nutantes retineantur in via regia. A te exſpecto iudicium omni affectu ſepoſito, ſimul etiam aliorum ſententiam. Itaque velim exempla libelli facias communia cum Cancellario, *Buloujo*, Marſcallo, Conſiliariis, *Conerdingio* et *Vito*: vno tibi retento. Obſeruabis, a me et alio modo et alia mente nonnulla diſputata, quam apud nos ſolet. Et tamen, niſi fallor, placuit opuſculum etiam Theologis noſtris; quamuis de vnius ſententia aliquantulum ſubdubitem. Si ratio hæc diſputandi mathematica haud diſplicuerit, eodem modo ad communium axiomatum normam reuocabo principia fidei Proteſtantium: vtpote quæ axiomatibus illis, ceu certiſſimis ſciendi fundamentis, innitantur. Cœpi nuper conſcribere reſponſionem ad duo ſophiſmata Pontificiorum, a ſucceſſione petita, iamque operæ typographicæ quatuor plagulas abſoluerant; ſed cum publicatio operis de *finibus imperii* impediri opuſculo illo conquereretur typographus, coactus fui laborem illum ſeponere, donec alterum illud prodierit. Mitto interim tibi ea, quæ prodierunt, viciſſim cenſuram tuam deſiderans. Calixtus noſter in dies

ani-

animo et corpore magis magiſque videtur dificere, vt hunc annum forte ipſe ſit numeraturus vltimum. De aduentu Principis ſi quid certi acceperis, velim ſignifices etiam nobis. Vale, mi Amice, et ſalue plurimum a tuo *H. Conringio.*

Inſcriptio literarum:

Perquam Reuerendo Clariſſimo Viro, D. *Iuſto Geſenio*, SS. Theolog. D. Eccleſiarum Diœceſis Hanoueranæ Superintendenti Generaliſſimo, Domino et Amico meo plurimum honorando.

CCCCLXXVIII.

Samuel Puſendorſius ſignificat *Conringio*, ſe Iuris naturæ et gentium opus, octo libris comprehenſum, ad prœlum paratum habere *.

Holmiæ d. 8. Mai. 1670.

Vir Celeberrime atque Ampliſſime.

Dudum eſt, ex quo coram, aut per literas exprimere deſideraui, qua veneratione te proſequerer, cum ob eximia in rem literariam merita, tum quod multis indiciis mihi conſtat, qua æquitate qua-

* Adfero quatuor has epiſtolas, ex autographis deſcriptas, vt amplius pateat, errasſe *Leibnitium*, paſſim contendentem, de Puſendorfianis humiliter ſenſiſſe *Conringium*.

qualeſcunque meos conatus exceperis. Sed neque vnquam videndi tui copia fuit facta, et neſcio quo torpore oppreſſus literis te ſalutare diſtuli, contentus per ambages quaſdam cultum nomini tuo debitum expreſſiſſe. Aſt nunc neceſſitas mihi admonetur, vt, quod tam diu debui, tandem vtcunque exſoluam. Generoſus hic adoleſcens, qui haſce tibi tradet, cui nomen *Chriſtophorus Martinus a Schwalch*, fratri meo affinitate iunctus, in Academiam veſtram ſe conferre conſtituit, tua potiſſimum fama allectus. Eius cognati magnopere a me contenderunt, vt literis meis aditum ipſi ad tui notitiam ſtruerem. Quibus ego tantillum officii negare nec debui, nec volui, præſertim cum non minus mea interſit, deuotum animum aduerſus tantum fautorem hoc velut chirographo conſignaſſe, quam ipſius, tuam eruditionem cominus deguſtare potuiſſe. Si igitur humanitas illa tua, omnibus vltra obuia, in mei gratiam huic paulo pronior allubuerit, certiſſimum pignus tuæ in me beneuolentiæ adeptum me lætabor. Ita Deus tibi extremum vitæ ſpatium molliter exigere largiatur! Ego ante aliquot dies huc me contuli, tum ad alia negotia expedienda, tum vt cenſuræ offerrem ſcriptum meum de iure naturæ et gentium,

octo

octo libris conſtans; propediem, rebus ex voto confectis, ad lares meos rediturus. An iſto ſcripto operæ pretium fecerim, penes te tuique ſimiles iudicium erit. Vix tamen intra annum a typographo exſcribi poterit. Optime vale!

Celeberrimo Tuo Nomini deuotiſſimus

Samuel Puſendorf.

Inſcriptio literarum:

Viro Celeberrimo atque Ampliſſimo, Domino *Hermanno Conringio.* Helmſtadium.

CCCCLXXIX.

Conringius gratulatur *Puſendorfio* ſuſceptum Iuris naturæ et gentium opus.

Helmſtad. d. 13. Octobr. 1670.

Nobiliſſime, Ampliſſime et Conſultiſſime Vir.

Iam pridem magni te æſtimaui, inſpectis *elementis* tuis, peritiæ naturæ et gentium iuris nomine. *Monzambaniana* tua eſſe, demum ex Illuſtri *Boineburgio* accepi; cum iam tum paſſim a me fuiſſent laudata, et quidem cumprimis eorum cauſſa, quæ binis vltimis capitibus continentur, et mihi nulla debentur ex parte. Vbi tu auctor innotuiſti, ex eo habitus ſane fuiſti mihi pretio in

ma-

maximo. Igitur incendiſti profecto me promiſſo grandi illo opere *Iuris Philoſophiæ*, idque potiſſimum, quoniam pauci ad philoſophiam illam hactenus animum appulerunt; nemo ex dignitate integram eſt perſecutus. Tu autem illi perficiendæ eris omnium aptiſſimus. Ego ſane adhuc valde iuuenis perſpexi doctrinæ illius præſtantiam amplitudinemque; nec non pariter dolui eius in vulgo, imo doctorum quoque in claſſe, neglectum. Sed per negotia illam excolere, non licuit mihi. Faxint hoc alii, quibus plus eſt otii. Apprime vero lætor, tibi illud cordi eſſe, eoque iam tum magnis illis conatibus applaudo. Mihi animus iam eſt legiſlatoriam artem condere ſucciſiuis Academiæ noſtræ curis, vbi ſimul et de principiis naturalis iuris dabitur diſſerendi occaſio. Sed non eſt cur illorum elaboratio tuorum editionem remoretur. Imo vero opto, vti prima quaque hora tua prodeant, et publicam ignorantiam diſpellant. Vale et ſalue, Vir magne, ac perge fauere tui cultori, H. Conringio.

CCCCLXXX.

Puſendorfius ad *Conringium* defert querelas de aduerſariis ſuis in Germania.

Lon-

Londini in Scania d. 25. Nov. 1674.

Non eo minoris facies venerationem, qua nomen Conringianum proſecutus ſum ab eo tempore, quo aliquis mihi illuſtrium ingeniorum fuit intellectus, quod priuatis eam literis minus teſtari ſtudui. Nam ne iſtud literarum commercium inter nos exerceretur, in cauſſa fuit locorum diſtantia, et quod mihi nulla fuit occaſio, coram fœdus amicitiæ tecum ineundi. Quæ ipſa tamen inter abſentes quoque et facie inuicem ignotos coli intelligitur ſimilitudine ſtudiorum, ac ardore profuturas publice literas promouendi. Sed cum tam commoda ſcribendi occaſio ſeſe offerret, piaculum duxi eadem non vti ſignificando, quo te amplector, affectui, præſertim cum lator harum literarum, Dn. *Nicolaus Pylbergius*, adoleſcenti illuſtri peregrinationis ſocius additus, optaret ſibi per eas commodiorem viam parari ad te adeundum. Quæ vt in mei gratiam tanto promtior ſit, etſi alias tua humanitas vltro quibuſuis bonis ſit quam maxime expoſita, vehementer rogo. De cetero quam improba ac fœda ratione indocti quidam et maleuoli homines negotium mihi faceſſere ſint anſi, tibi non erit incognitum. Eorum ruditatem et malitiam, ni fallor, ſatis depexam dedi

di in Apologia mea, quæ tibi ſine dubio lecta f
it. In qua ſi nimium acerbitatis adhibuiſſe vid
bor, æqui tamen lectores cogitabunt, ad captu
ſcabiei lixiuium fuiſſe temperandum. Putaban
eo ſcripto edito me hoc bello defunctum eſſ
Sed alium ſurrexiſſe video aduerſarium, oppic
quam rudem et impudentem, *Giſenium*, Superi
tendentem Garlebienſem, qui *Vigilii* nomen
ctum ſibi indidit: cui tamen ſua veſania non pl
ne impunita abibit; etſi de cetero cum huiuſm
di farinæ hominibus colluctari non conſtituerim
ſed ſatius ducam, ſilentio et contemtu eoſdem v
ciſci. Maxime tamen moleſtum eſt, vnius Theo
logi Lipſienſis inſtinctu, Conſiſtorium eccleſiaſt
cum Dresdenſe tam iniquam et abſurdam ſuper l
bro meo miſiſſe cenſuram, nullo alio nixam fun
damento, quam deteſtabili *Indice Nouitatum.* Ne
credo, vnquam abs tam graui collegio eiuſmoc
erratum admiſſum, vt ex libello famoſo ſupe
ſcripto, ab ſe fere nondum lecto, ſententia fe
retur. Eorum iniquitas omnino orbi erudito a m
paulo liquidius deducenda erit: cui rei occaſi
quamprimum ſuppeditabitur: ſaltem vt conſtet
ibi locorum non ſemper oracula fundi. Ceterum
in hocce negotio, quantum ratio pro me milita
rc

re viſa fuerit, tuum mihi fauorem, Vir celeberrime, adfuturum eo minus dubito, quod et tibi cum importunis hominibus controuerſiæ interceſſerunt, quos et ipſos liuore aut intemperie animi laboraſſe, iam dudum eruditi agnouerunt. Sed et ceteros tuos collegas in eo bello, quod aduerſus Lipſienſes mihi gerendum erit, mihi æquiores fore confido, quod et ipſis iſtorum hominum arrogantia dudum viſa ſit intolerabilis, qui ne Dictaturam quamdam in ceteros omnes exerceant, omnium ceterorum intereſt. Quod ſupereſt, ſenium tibi molle, ſimulque vt aliquem fructum tui ingenii nobis adhuc capere liceat, exopto. Optime vale, et mihi fauere perge!

Celeberrimo Tuo Nomini addictiſſimus

Samuel Pufendorf.

Lator harum literarum exiguum quoddam negotium pro me ſuſcepit expediendum: in quo ſi fortaſſe conſilium aut ſubſidium tuum expetiuerit, quæſo, vt idem ipſi ne deneges.

CCCCLXXXI.

Conringius ſolatur *Pufendorfium* exemplo ſuo, eiuſque cauſſæ oſtendit ſe fauentiſſimum.

Helmſtad. d. 23. Dec. 1674.

Nobiliſſimo et Celeberrimo Viro, D. *Samue* *Puſendorfio*, Iuris Naturæ et Gentium, ne non Ethices et Politices in Regia Carolina A cademia Profeſſori Primario, Fautori et Am co meo S. P. D.

Longe gratiſſimæ fuerunt literæ tuæ, Nobiliſſ me et Celeberrime *Puſendorfi*, quoniam prider te ex merito et æſtimaui et amaui; hactenus tame in complementum amicitiæ defuit commercium li terarum. Quodſi ſane impoſterum hoc quoqu acceſſerit, plurimum gaudebo. Ego equidem hau patiar huius officii quidquam in me deſiderari. D ea, quæ tibi mota eſt, lite atque iniuria audieran nonnihil iam antehac; libellorum etiam aliquid vi deram. Sed bona ex parte latuit me negotium il lud hactenus. Ea enim fuit proxima æſtate omn valetudinis ratio, vt non licuerit ex more ad cauſ ſas rei literariæ animum aduertere. *Chriſtiani* au tem *Vigilis* nænias ſtatim ſpreui, vt lectu indi gnas, et tua Apologia ſero huc aduenit. Te, au Ampliſſimum Fratrem tuum, auctorem eſſe Dialo gi de Polygamia, nemo, quod ſciam, hic vel ſu ſpicatus eſt. Luſum eſſe credidi laſciuientis et pe tulantis alicuius iuuenis, et nunc quoque arbitror. Nouiſſimum libellum ſuum *Vigil* voluit clanculum

hic

hic typis excudi curare. Etſi autem iam duæ priores plagulæ eſſent impreſſæ; ſimulac tamen hoc agi audiiſſem, conſenſu Senatus Academici iuſſus eſt typographus non pergere in inſtituto. Vſque adeo viſum omnibus indignum, famam tuam hic lacerari ab homine rudi et inficeto.

Vt in tua ad *Scherzerum* epiſtola excudenda alacriter pergeret academicus typographus, ſtrenuus ſuaſor adfui. Haud dubie etiam nemo temere factum improbabit; etſi Leges vetent quidquam hic edi diſſimulato loci nomine. *Scherzerum* male habebit epiſtola, vt ingenio eſt elato, et Conſiſtorii Electoralis Dreſdenſis fauore tumidus. Nihil tamen temere moturum arbitror, vbi viderit munitum te et Regia et Regni Procerum auctoritate. Veſtros Londinates auſos aduerſari Regiis mandatis, et vſque adeo proteruire, equidem mirarer, niſi pridem didiciſſem, quam ſacrum illud hominum genus ſit promptum ad hæreſes intentandas, et vibranda anathematum fulmina, ne lectis quidem aliorum ſcriptis, multo minus præ inſcitia et faſtu intellectis, tantum vt auctoritatem ſibi in vulgo concilient, et ruditatem pallient in primis annis contractam. Obſeruaſſe ſane mihi videor ſaltem in *Nigrino* tuo indolem *Caluuianam*, quam ſibi

præ aliis vindicat *Scherzerus*, *Calouii* acumine iam hebetato. Et vero etſi cauſſam turbonis illius Dantiſcani, Conſenſualis Noui Euangelii feruidi Apoſtoli, ipſimet Witebergenſes damnaſſent; *Scherzerus* tamen cum ſuis ſociis non dubitauit approbare: Male compoſitus hic ſtatus Eccleſiæ noſtræ magno frequenter dolore animum áfficit. Solatio eſt, quod non ſint noua mala, quæ nos premunt; ſed vetera, et Eccleſiæ ipſi coæua, eamque tantum non ſemper comitata. Mihi illatas iniurias contemptu vindicare impoſterum conſilium eſt. Nec vero vacat cum hominibus otioſis atque improbis indoctiſque contendere. Niſi fallor, hoc propoſitum etiam ipſemet ſequeris in re tua. Laudo tamen interea, quod calumniatoribus probes, te non edentulum eſſe, et, niſi deſinant iniuriarum, etiam mordere te poſſe. Abſit tamen vt hæc remorentur præclara tua ſtudia. Quin potius tu pergas eo alacrius viam minus licet tritam decurrere. Faxo idem et ego, quantum valetudo permiſerit et ætas ingraueſcens. Et vero ipſo hoc anno publicaui volumen integrum Academicarum de Republica Imperii Exercitationum; diſſertationes item meas de Antiquitatibus Academicis cum eiuſdem argumenti libro ſupplementorum; diſſertationes denique

nique binas alias de Academicis rebus. Alia iam paro in annum ſequentem, modo Deus fauerit. Obſecro autem ſanctiſſimum illud Numen, vti in multos ſecuturos annos ſoſpitem te ſeruet bono publico.

Rebus tuis addictiſſimus

H. Conringius.

Pro tranſmiſſis theſium libellis ago gratias. Tantum obiter voluere eas hactenus licuit, et placuerunt.

CCCCLXXXII.

Excerpta * ex literis *Conringii* ad *Robertum Grauellum*, Regis Chriſtianiſſimi in Germania Oratorem, quibus nimium in res Gallicas ſtudium prodit plurimis modis.

Helmſtad. d. 16. April. 1670.

- - Et vero nuperrime iterum Regium mihi munus obtulit Illuſtriſſimus *Colbertus*, idque addita epiſtola, quam dixeris Gratias ipſas calamo dictitaſſe. Placuerunt Heroi iſti, quæ in laudem dixi Chriſtianiſſimi Regis, præfatus cis paucos menſes in Hermeticum opus meum, Colbertiano nomini conſecratum. Quantillum vero hoc eſt, ſi con-

* Excerpta damus, quia, quæ damus, multo ſunt quæ omiſimus, his, delicatiora.

tendas cum Regiis donis? Enimuero pudet me ingratitudinis meæ. Itaque nihil eſt perinde in votis, quam præberi mihi ſiue ab Illuſtriſſima Excellentia Veſtra, ſiue a maximis illis Regiis Miniſtris, *Lionneo* et *Colberto*, qui ſoli in præſens me non omnem ignorant, occaſionem, reapſe præſtandi aliquid in Chriſtianiſſimi Regis vſus. Eo ſane animo conſcriptus abs me iam pridem eſt libellus de inualida Renunciatione Chriſtianiſſimæ Reginæ; ſed pace cum Hiſpano compoſita ſuppreſſus. Hoc etiam ipſo tempore conſicio librum *de Maris Mediterranei dominio et commerciis Chriſtianiſſimo Regi vindicandis* **, quem manuſcriptum propediem Illuſtriſſimo *Colberto*, cui talia præ aliis ſunt curæ, tranſmittam. Sed et iam tum affecta habeo nonnulla pro Imperii Romano-Germanici Corona eidem Chriſtianiſſimo Regi concilianda, præſertim quia iſthuc multa adeo ſuapte quaſi ſponte iam conſpirent, paratus illa perficere et exhibere, ſi iuſſus fuero. - - - - - -

Rationes ſententiæ meæ non diſſimulabo, ſi promere

** Hunc librum ante incognitum et latentem Operum Conringianorum *tomo 1. pag. 989 ſeq.* inſeruit nuperus editor. Quomodo acceptus fuerit, vid. *p. 1436.*

mere eas iubear. Nec vero eſt cur iis recenſendis Illuſtriſſimæ Excellentiæ Veſtræ nunc ſim moleſtus; cumprimis quia nullo hactenus ſacramento Chriſtianiſſimi Regis ſeruitio adſtrictus, minus forte merear fidei. Rogo autem maiorem in modum Illuſtriſſimam Excellentiam Veſtram, velit et ipſa tuto credere, et Illuſtriſſimis *Lionneo* et *Colberto* perſuadere, me iam tum eſſe in numero eorum, qui Regiis vſibus, quantum licet, inſeruiunt. Ero autem ſimul, quoad vixero etc.

Helmſtad. d. 31. Mai. 1670.

Enimuero non vlterius pergere in conſcribendis variis meis pro Chriſtianiſſimi Regis vſu cum alias, tum præcipue circa Res Germanicas atque ad Imperii coronam impetrandam inſtitutis meditationibus certum mihi eſt, priusquam ab Excellentia Veſtra intellexero, pretiumne operæ facturus ſim, nec ne. Et vero quoniam iniuſſus hoc feci hactenus, et nullo ſacramento in ſeruitium Chriſtianiſſimi Regis adſtrictus, metus me tenet, ne fides mihi denegetur, quamuis animo maxime ſincero in medium nonnulla adduxero. Sed et haud ignoro vetus illud: *ad conſilium non acceſſeris, niſi vocatus.* Quod cumprimis in conſultationibus de rebus Imperii mihi attendendum cenſeo; etſi

 iuſſus

iuſſus qualemcumque operam meam Chriſtianiſſimi Regis commodo impendere ſim paratiſſimus. Soli Daniæ et Norwegiæ Regi, vt et Sereniſſimæ Domui Brunſuico-Lyneburgenſium Ducum, hodie ſum obſtrictus iuramento. Sueciæ et Oſtfriſiæ ſeruitiis me liberaui. Quod adiicio, quoniam viſa eſt Excellentia Veſtra huius notitiam exſpectare.

CCCCLXXXIII.

Robertus Grauellus a ſuſceptis conſiliis, vtpote Regi Galliæ noxiis, dehortatur *Conringium.*

Ratiſbonne ce 17. Juill. 16-c.

- - *Puiſque Vous me temoignez de vouloir auſſi ſçavoir mes ſentimens ſur quelques autres Ouvrages, que vous meditez, qui regardent les affaires et la Couronne de l'Empire, et dont vous aviez deſja fait quelque mention dans voſtre lettre du 16. Apvril par les paroles ſuivantes:* ſed et iam tum affecta habeo nonnulla pro Imperii Romano Germanici Corona etc. *Je vous les diray avec la confiance, que merite le zéle, que vous teſmoignez pour la gloire et pour les intereſt du Roy, mon Maiſtre. Il ne me ſemble pas qu'il ſoit du bien du ſervice de Sa Majeſté, de toucher cet article, ny de le mettre au jour. Car quoy qu'Elle ne penſe*

au-

aujourdhui qu'à maintenir ſon Royaume dans l'Eſtat floriſſant, où il a plu à Dieu le mettre, et à employer ſes moyens tant pour la conſervation du repos de la Chreſtienté que pour le ſouſtien de ſes Alliéz et bons Amys; les Envieux de ſa gloire ne laiſſeroient pas ſans doute de mal interpreter ce que vous eſcririez ſur ce point là en ſa faveur. Je croirois, à vous parler avec la meſme confiance, qu'il ſeroit beaucoup mieux, que dans les Ouvrages, que vous deſirez rendre publics, Vous fiſſiez cognoiſtre, combien ſeroit advantageuſe à l'Allemagne et à tous les Electeurs et Princes, qui la compoſent, meſme au Chef, la bonne intelligence, qui a eſté ſi bien eſtablie entre la France et l'Empire par les Traittéz de Weſtphalie, eſtant tres certain qu'auſſy long temps que cette meſme bonne intelligence ſubſiſtera, il ny aura rien à craindre pour l'un et pour l'autre party par pluſieurs raiſons, qui ſe peuvent apporter là deſſus, et dont les perſonnes, qui ne ſont pas préoccupéz, tomberont ſans doute d'accord. L'experience des choſes paſſées, et la prudence feront voir aſſez evidemment, que ce fondement eſt d'une nature à ne pouvoir pas eſtre facilement ebranlé, et que c'eſt un champ fort ample, où une belle plume, comme la

voſtre, peut s'eſtendre ſans crainte, que qui que ce ſoit y puiſſe trouver à redire, par ce qu'il eſt appuyé ſur une loy, qui ne ſçauroit eſtre renverſée ſans que l'Empire en ſouffre un prejudice irreparable. Vous voyez, Monſieur, que je vous parle librement, comme à un amy que j'eſtime par pluſieurs titres, et ſur tout par le zele, que je vois que vous avez pour la gloire et pour la dignité du Roy, mon Maiſtre, dont je puis bien vous aſſeurer, que Sa Majeſté eſt tres bien informée etc.

CCCCLXXXIV.

Excerpta ex ceteris *Conringii* literis ad eumdem *Grauellum.*

Helmſtad. d. 8. Sept. 1670.

Quæ miſi, ſaltem argumento et obiter inſpecta non diſplicuiſſe, equidem plurimum gratulor mihi. Vtinam diligentius ex eo tempore et potuerint per grauiora negotia excuti, et excuſſa Excellentiæ Veſtræ accuratiſſimo iudicio haud reiectanea fuerint viſa. Illud vnice gaudeo, quod hebdomadariis nouellis acceperim, idem illud, quod ſuaſi, iam tum agitari, et quidem non leui cura. Etſi haud conſtet mihi, num mea in vniuerſum omnia fuerint perſuaſa; minimum, quæ de Indicanis commerciis per ſinum Arabicum inſtituendis diſſerui, du-

dubito, num probauerim Illuſtriſſimo *Colberto* aliiſque hoc agentibus; quantumuis ne nunc quidem habeam, quod me dimoueat a concepta ſententia. Interim ſatis me felicem prædicabo, modo Excellentiæ Veſtræ ſaltem ex parte ſatisfecerim, præſertim, cum videam meo conſilio non eſſe locum in ea ſapientum copia; magis vero, ſi Illuſtriſſimo *Lionneo* animum Chriſtianiſſimi Regis commodorum ſtudioſum Excellentia Veſtra laudare haud dedignata fuerit. Non eſſe tempeſtiuum, quidquam edere de Imperii rebus in Chriſtianiſſimæ Maieſtatis vſum, credo admonitus. Neſcio tamen, num ne illud quidem liceat noſtris hominibus ſuadere: *neque legibus, neque conſuetudini aduerſari, imo et ea re fieri poſſe, vt quis peregrinus Imperii ſceptro admoueatur.* Id quod, niſi fallor, poteſt optimis rationibus oſtendi. Vbi Excellentia Veſtra, finitis tandem aliquando moroſis noſtris Comitiis, domum reuerſa fuerit, fortaſſis dabitur occaſio huius quoque mei inſtituti apud Illuſtriſſimum *Lionneum* mentionem faciendi. Cumprimis vero gratum fuerit, id quod in commodum - - - - - - - - - - - -

Excellentia Veſtra effectum iri ſpem fecit, reapſe vbi ſubſequutum fuerit, idque quoniam - -

- -

- - - - - - - - - - - - res Chriſtia-
niſſimi Regis - - - - - - - - - - - -
firmo ſtabunt talo.

Helmſtad. d. 1. April. 1671.

Quod Excellentia Veſtra monet de ſcripto aliquo a me conficiendo pro Chriſtianiſſimi Regis iure in pellendo Lotharingo, id fateor non graue mihi futurum: iamque tum omnia mihi forte ſunt ad manum, quæ huc pertinent, præter Cæſaream Pacis Pyrenææ confirmationem, quæ exigitur articulo 78. et vltima hoc decennio proximo cum Lotharingo pacta. Verumtamen manum operi admouere non fui auſus hactenus, quia Illuſtriſſimi *Lionnei* mandatum nondum accepi, nec in tutelam Regiam ſum ſuſceptus: qua omnino mihi opus erit aduerſus vim clancularium pariter et apertam. Accedit, quod, ſi iniuſſus tale quid egerim, mihi fortaſſis Illuſtriſſimi *Lionnei* offenſa fuerit, ſubeunda, qualem, quantum intelligo, maleuoli quidam apud Illuſtriſſimum *Colbertum*, ſummum ceteroquin patronum meum, in præmium ſubmiſſi *Conſilii de Dominio Maris Mediterranei* mihi excitarunt, vt, cum hactenus ſtatim initio anni munificentia Regia fuerim mactatus, forte mihi impoſterum ea ſit carendum. Hoc ſane inopi-

opinatum infortunium cautum me eſſe iubet, et nihil iniuſſum agere aut incertum Regiæ tutelæ. Non dubito, Illuſtriſſimam Excellentiam Veſtram, qua valet ſumma prudentia, non ægre laturam; aut improbaturam meam hanc in futurum circumſpectionem. Alioquin paratum me eſſe pro virili commodis Regiis inſeruire, et iam tum ſæpe profeſſus ſum, et denuo profiteor.

Helmſtad. d. $\frac{4.}{14.}$ *Mart. 1672.*

Duo ſunt quæ me nunc adeo ad ſcribendum quam maxime impellunt. Alterum eſt, quod, quandoquidem, deficiente maſcula Auſtriacæ domus ſobole in Germania, et ex Principum noſtrorum ordine idoneo Imperii ſucceſſore, vis Turcica Hungariæ imminens de nouo Rege Romanorum eligendo Electores indubie habeat ſollicitos; quamplures autem ineptis rationibus perſuaſi exiſtiment, fas non eſſe peregrinum Principem Imperio præficere; ego contra nihil periude Imperii rebus arbitrer fore conſultius, quam ſi ipſemet Chriſtianiſſimus Rex, ſiue *Delphinus*, habenas Imperii moderetur: quod, inquam, videatur futurum ex re, ſi libello aliquo vanæ iſtæ perſuaſiones animis hominum eximantur. Et ſunt quidem ad manum mi-

mihi iam congeſta, idonea cedere in argumentum libri: *De Imperatoris Romano-Germanici legitima gente, patria, ætate, ſexu, virtute.* Sed huic rei calamum admouere non auſim, niſi Chriſtianiſſimæ Regiæ Maieſtati id placere certus fuerim redditus. Multo minus nunc id audeo, quia anno proximo Illuſtriſſima Excellentia tua non ſatis tunc adhuc tempeſtiuum eſſe iudicauit. Cuicunque vero tandem Chriſtianiſſimus Rex tale aliquid docere mandauerit; ego tamen maneo in ſententia, nunc adeo libelli huius editionem ad obſtacula eiuſmodi remouenda peropportunam futuram. Ac proinde officii mei eſſe duxi, iterum id ipſum monere.

Alterum eſt, quod verear, ne Monaſterienſis ſaltem, ſi non et Colonienſis, fiduciam Chriſtianiſſimi Regis tempore inſperato, et in medio armorum æſtu, ſit fruſtraturus. Si propius abeſſem, poſſem fortaſſis indicare non leues metus mei cauſſas. Non poſſum interea ſaltem non ſignificare, quidnam ego verear. Illuſtriſſimi *Lionnei* obitus multum etiam me afflixit, priuans ſcilicet me magno patrono: præſertim quia Illuſtriſſimo *Pomponio*, ſucceſſori, forte totus ignotus ſum, nec vlla patet via illum mihi conciliandi. Non dubito

bito equidem Illuſtriſſimæ Excelentiæ tuæ laudationem plurimum poſſe mihi prodeſſe; ſed vtrum merear, neſcio, nec audeo hanc moleſtiam rogare. Si fiat tamen, felicem me prædicauero. Quam Chriſtianiſſimus Rex aliquandiu munificentiam in literatos atque adeo in me etiam exercuit, an Mars abſorbuerit, equidem neſcio. Quod ſi tamen non mutauerit priſtina beneficentia, rogo, Illuſtriſſima tua Excellentia ne grauetur mei apud Illuſtriſſimum *Colbertum* meminiſſe, ſi forte eius occupationes infinitæ obſcurauerint præteriti memoriam, aut in commoda Chriſtianiſſimi Regis propenſam meam voluntatem. Deum veneror, vti Magnanimo Regi pacis conſilia inſpiret; ſaltem infelicem belli aleam experiri prohibeat!

Helmſtad. d. 28. Iul. 1672.

Quas quarto Martii exaraui, eas recte curatas eſſe Reginoburgum -- non audeo equidem dubitare. Spero etiam, ſaltem meum animum haud improbatum; etſi, qua valet Excellentia tua inſigni prudentia, intempeſtiuum, aut etiam noxium, cenſeatur conſilium meum. Mihi tamen, fateor, manet ſententia, ex re futurum, ſi quaſi aliud agendo animis hominum eximentur in tempore prauæ illæ opiniones de peregrino Imperatore eligendo,

do, quandoquidem ex ipſa Romana Curia illæ magno iam tum ſtudio perſuadentur paſſim, et Chriſtianiſſimi Regis inexſpectata armorum felicitas terrori magis eſt compluribus, quam conciliandæ beneuolentiæ. Nihil tamen agam, niſi ſaltem nutu excitatus tuo.

Helmſtad. d. 9. Dec. 1672.

Pace conſtituta equidem arbitror expedita futura omnia ad nouam Romanorum Regis electionem; quam tempeſtiue edito libro iuuare pro virili, certo conſtitui.

Helmſtad. d. 4. Mart. 1673.

Quod Excellentiæ tuæ Frater * etiam mea nonnihil æſtimat, id indubie tuæ debeo commendationi. Vereor autem, vt poſſim exſpectationi ſatisfacere. Mittam tamen propediem, quæ expetuntur — Habeo nunc ſub prœlo alia: quæ inter forte haud diſplicebunt exercitationes meæ de Republica Imperii Germanici, vnde pleraque ſua mutuatus eſt *Monzambanus.* — In literis mittendis, quo periculum omne euitetur, placet impoſterum haud ſubſcribere meum nomen, aut meo vti ſigno in literis aſſignandis. Optarim quoque Excellentiæ

* Abbas ſcilicet *Grauellus*, in aula Moguntina tum hærens.

tiæ tuæ haud diſplicere, literis ad me exaratis curari inſcribi nomen filii mei germanice **, quemadmodum in ſchedulam conieci.

Helmſtad. d. 26. Mart. 1673.

Sententiam Excellentiæ tuæ de iis, quæ in laudem Chriſtianiſſimi Regis ad Illuſtriſſimum *Colbertum* ſui in Hermetica mea præfatus, auide exſpecto, quo maior mihi apud malignos hinc nata eſt calumnia. Ea, quæ nunc mitto, vtinam probent ſeſe Excellentiæ tuæ pariter et Perilluſtris D. Abbatis acribus iudiciis! — Si alia inciderint tempora, quando ſi non in publico, tamen in arcano apud prudentes liceat omnia non diſſimulanter proloqui, in commodum rectius conſtituendæ reipublicæ iuſſus (vtinam a Rege Chriſtianiſſimo iam Imperatore!) ſententiam dicere, non deero officio. — Si per Excellentiam tuam etiam hoc anno patebit mihi Regia priſtina munificentia, velim pecuniam ſolui Norimbergæ aut Francofurti, idque mihi tempeſtiue ſignificari. — Perilluſtri D. Abbati, Legato Regio, me meaque quam officioſiſſime com-

** Alio tempore et loco literis ad ſe directis a Gallis inſcribi voluit *A Monſieur Monſieur Pierre Henry etc. à Helmſtadt.*

commendo. -- Feruntur, quantum apparet, haud vani rumores; - - - - luxatæ mentis vitio laborare. Non mirum id fuerit poſt infelicem ſucceſſum ſuperborum conatuum: præſertim quia hic morbus aliquamdiu familiæ illi, iſthac qua Princeps eſt ætate, ſolet, proh dolor! eſſe familiaris.

CCCCLXXXV.

Excerpta ex *Conringii* literis, ad *Verjuſium*, *Grauelli* collegam et ſucceſſorem, ſcriptis.

Helmſtad. d. 10. Sept. 1672.

Laboraui omnibus viribus pro pace ſeruanda; ſed, quantum intelligo, fruſtra. Quæ res animum vehementer cruciat. Præuideo enim ingens hiſce terris malum imminere. Saltem itaque meis rebus vt aliquatenus caueam, rogo, Excellentiſſime Domine, cures literas *Saluægardiæ*, quas vocant, ad ſecuritatem et corporum familiæ meæ omnis et bonorum, quæ ſiue in agro ſiue in oppidis poſſideo, conciliandam. Idem petit ſibi indulgeri Nobiliſſimus - - -, Conſiliarius Principis mei, pacis iuxta mecum ſtudioſiſſimus. Dignus ſane eſt et ipſe Regia tutela.

Helmſtad. d. 19. Octobr. 1672.

Ne quid diſſimulem, domi me continet nunc maleuolorum calumnia. Paſſim ſcilicet non in

no-

noſtris duntaxat Principum meorum, ſed etiam vicina Brandenburgica Aula traducor, tamquam Chriſtianiſſimi Regis miniſter conductus, quique etiam agitet conſilia cum Regiis Legatis aduerſa Aularum iſtarum ſententiis. Eoque vitanda mihi conuerſatio Excellentiæ Veſtræ, ne ſcilicet praua illa ſuſpicio augeretur. Cauſſa calumniæ fuit beneficentia Chriſtianiſſimi Regis aliquot annis erga me exercita, cumprimis vero, quod omnibus modis diſſuaſerim auxilia Hollandis ſubminiſtranda, et Brandenburgicum illud Cæſareumque cum Batauis initum fœdus improbauerim haud diſſimulanter. Quantumuis vero grauis mihi ſit calumnia iſthæc; non omittam tamen etiam impoſterum pacem noſtris ſuadere. Quin etiam ſpero, voti me tandem futurum compotem, idque quandoquidem mihi iam aſſentitur magnæ prudentiæ et auctoritatis Princeps, et noſtræ Aulæ a Conſiliis vir perquam eximius, cuius nomen iam indicaui, alibique vnus et alter non e minimo ordine. - - - Cuius ego libelli conſcribendi ſpem etiam feci tuæ Excellentiæ in cauſſa Cæſarea, illum deſiderat quidem Illuſtriſſimus *Colbertus*; prudenter tamen indicat, non eſſe tempeſtiuum, iam tum publici illum iuris facere. Illuſtriſſimus *Grauellus* mauult a me

ſcribi libellum de iniquitate auxiliorum Batauiæ ab Imperii Ordinibus præſtandorum. Quod facile quidem mihi; aſt cum capitis periculo coniunctum. Sed et quia breui, meo iudicio, definent hi motus, nec ab aliis Imperii Ordinibus temere ſimile quid metuendum ſit, opera iſthæc videtur fore fruſtranea. Quod bonis meis Regiam tutelam promiſerit tua Excellentia, plurimum lætor. Spero tamen iuxta tecum, illam haud fore neceſſariam. Non dubito tamen, res meas Excellentiæ tuæ futuras curæ, etiamſi illud periculum defuerit. - - Literas haſce liberius ſcripſi, quoniam Paderbornam mittendæ in Principis illius tutelam recipientur, et ſecure Coloniam curabuntur. Abſque eo eſſet, neutiquam mihi eam licentiam ſumere fuiſſem auſus.

Helmſtad. d. 24. Dec. 1672.

Non dubito, moderate vſurum Regem felicitate ſua ad conciliandum ſibi animos, vt ſponte colant ſceptrum, quod tantopere formidauerunt hactenus. In Germania equidem noſtra poſt pacem moderate conſtitutam ſcio nihil refragaturum temere, quo minus Imperialis Corona cedat Chriſtianiſſimo Capiti.

Helm-

Helmſtad. d. 24. April. 1673.

Calamum aperte ſtringere pro Rege Chriſtianiſſimo, vetuit capitis periculum; et cum tantum non omnes quieſcerent, duxi id fore ſine pretio operæ. — Quodſi placuerit Excellentiæ tuæ haud aſpernari, vbi interdum aliquid monuero haud inutile inter pacis negotia Chriſtianiſſimi Regis rebus, ex mea quidem ſententia; faxo, ne quid in me deſideretur. Semper nihilominus in animo mihi eſt illud: *ad conſilium non acceſſeris, niſi vocatus.* Itaque nihil agam iniuſſus. Id etiam atque etiam obſecro, digneris meum animum etiam Magnatibus illis, qui pacis negotium agitabunt, de meliore commendare, ſimulque cauſſam meam apud Illuſtriſſimum *Colbertum* hac etiam vice patrocinio tuo adiuuare. Quem promiſi libellum de iis, quæ in eligendo Cæſare requiruntur, legitimis qualitatibus, ſtatim mittam, ſimulac pace compoſita viſum fuerit tempeſtiuum, mouere aliquid de eligendo Romanorum Rege. Propoſitum enim eſt occurrere omnibus illis, quæ fortaſſis poſſint obiici electioni ſiue ipſiuſmet Chriſtianiſſimi Regis, ſiue Delphini.

Helmſtad. prid. Kl. Iun. 1673.

Lutetia nuper ſignificauit Ill. *Capellanus*, Re-

giam in Literatos munificentiam ſumtibus Martiis exhauſtam, adeoque nec mihi impoſterum aliquid ſperandum amplius. Quod ſane præter exſpectationem accidit, quia ſtudui hactenus etiam Regiis commodis inſeruire; pergere etiam in illo inſtituto conſtitueram, ſi placuiſſet mea opera. Fortaſſis autem, Excellentiſſime *Verjuſi* *, tibi hoc omne rectius eſt notum, eoque abs te certiora exſpecto.

CCCCLXXXVI.

---

* Publicata paullo poſt a *Verjuſio* ad certum Principem data epiſtola, ſignata *Himelſtad d. 10. Aug. 1673.* quo ſub loco aliquid latere myſterii videtur, interrupit hoc commercium: ſiquidem ex aula illa, quam in petierat, *ſalſa* prodiit reſponſio, argutiſſime inſcripta: *Sauce au Verjus.* Neque tamen vel illo lixiuio tinctus cautior factus eſt *Verjuſius*, qui ipſis in Comitiis tam craſſo filo neuit opus, vt anno inſecuto non Comitiis ſolum, ſed et omni exceſſe iuberetur Germania, ringentibus Gallorum Regis in Germania mancipiis. Ceterum vti *Robertus Grauellus* in Germania legationis comitem habuit fratrem Abbatem; ita *Verjuſium* quoque, qui domum redux Comitis de *Crecy* titulum aſſumſit, frater *Antonius* e Societate Ieſu, in Germaniam ſecutus eſt, Abbati *Grauello* vitæ integritate haud ſecundus. Namque poſt re-

CCCCLXXXVI.

Conringii **ad** ***Petrum Homſeldium*****, I. V. D. Ienenſem, indicium de Chronico Abbatis Vrſpergenſis, et laus ſtudii hiſtoriæ medii æui.**

Helmſtad. d. 18. Dec. 1674.

Quoniam diſtrahor occupationibus, ad quæſitum tuum, Nobiliſſime et Conſultiſſime Vir, paucis duntaxat reſpondebo. Pridem mihi viſus et lectus eſt liber, qui pleraque totidem verbis refert, quæ habentur in Chronico, Vrſpergenſis Abbatis nomine edito. Etiamnum ille ſuperat in bibliotheca Auguſta; ſed manuſcriptus et anonymus. Eundem, aut certe ſimilem, ſolet *Goldaſtus* adſcribere neſcio cui Abbati Swartzahenſi. Quis ille ſit, quem *Bambergenſem* appellat Clariſſimus *Thomaſius*, neſcio. Haud dubie autem ille titulus de *Dagoberto* eſt ab imperita manu additus, occaſio-

reditum in Galliam, ſtudio propagandæ cognitionis Chriſti apud Indos et Garamantas, Pariſiis in ſe ſuſcepit onus emittendi et nutriendi Euangelii præcones, eoque in officio, quod *Direction des Miſſions étrangeres* vocant, ad vltimum fere vitæ halitum perſeuerauit. Vnde in poſterum quoque multus de eo nobis ſermo erit, quippe internuntio commercii epiſtolici, quod *Leibnitius* cum Patribus S. I. Indicis coluit.

ne præbita a libello, veſtro codici adiecto, de *Dagoberto* Francorum Rege *. Alia nunc docere non poſſum. Gaudeo vero, eruendi res veteres ſtudium etiam apud vos accendi. Nec enim ſiue eccleſiæ ſiue reipublicæ ſtatus recte poterit cognoſci, niſi antiquis monumentis conſultis: vtpote quæ æque ſint neceſſaria ad res iſtas cognoſcendas, atque inſpectio Actorum ad decernendam aliquam forenſem controuerſiam. Vale, et meo nomine collegas omnes tam præclari inſtituti ſaluta diligenter!

CCCCLXXXVII.

Ad eundem de eadem re.

Helmſtad. d. 15. Ian. 1675.

Parum fortaſſis refert ſcire, cuinam debeantur multa eorum, quæ Chronico Vrſpergiano continentur, numne plagium ** *Conradus* commiſerit, nec ne: modo narrationum fides bene ſibi conſtet; qua de video paucos dubitare. In Abbatum officio olim fuiſſe, ſuorum temporum hiſtoriam con-

* Hunc libellum de Dagoberto Rege ex codice Academiæ Ienenſis vulgauit Cl. *Struuius coll. MSS. t. 1. p. 45. ſeq.*

** Legeſis, quam ſubiicimus, plagulam.

contexere, non arbitror. Certe in nulla Regularum, quas vocant, cœnobiticarum hoc legere eſt Abbatibus eſſe iniunctum, nec id qui dixerit, mihi quiſquam lectus eſt. Pauciſſima porro hiſtorica monumenta Abbates nobis reliquerunt in omni ſequiore illa tempeſtate etiam, qua penes ſolos fere cœnobitas fuit hiſtoriæ aliquod ſtudium per Europam. Quod placeat cura ſcrutandi etiam res veteres, laudo. Suaſerim vero, vt operam impendas iis, quæ ad reipublicæ vel eccleſiæ ſtatum attinent. Qua in re viam fortaſſis præiui in variis meis ſcriptis.

CCCCLXXXVIII.

Mea de vulgo iactato *Conradi*, Abbatis Vrſpergenſis, plagio ſententia.

Eggebardi Vragienſis Chronicon, multis auctoribus laudatum, nullibi tamen hoc ſub nomine viſum, *Leibnitius* Chronico ſuo *Hildenſemenſi*, et poſtea *Eccardus* in *Annaliſta* Saxone deprehendiſſe ſibi et primum vulgaſſe videbantur: falſus vterque. Superuenere enim in Gallia RR. PP. *Martenius* et *Durandus*, quibus id Chronicon obtigit in peruetuſto codice bibliothecæ Regiæ Pariſinæ, ante annos quingentos exarato, quique id publi-

 ceſſent,

ceſſent, ni vidiſſent, hiſtoriam eam non diſcrepare a percelebri Chronico *Conradi* Abbatis Vrſpergenſis, qui centum poſt annis opus *Eggehardi* audaci furto, vt aiunt, ſibi attribuere non ſit veritus. Nam ſi pauciſſimas, inquiunt, pagellas, et breuia quædam eaque rariſſima aſſumenta excipias, purum putum repræſentat *Eggehardum. Collect. Ampliſſ. t. 4. præfat. §. 2.* Et *t. 5. p. 512. præfat. ad eiuſdem Eggehardi libellum de expeditione Hieroſolymitana* pergunt: *Erunt fortaſſe, qui* Eggehardi *Chronicon, eximium prorſus opus, quod præ manibus habemus, hic a nobis non exhiberi conquerantur. Verum ab hoc onere liberauit nos inſignis plagiarius*, Conradus *Abbas Vrſpergenſis, qui illud ſibi attribuere non eſt veritus, debitamque* Eggehardo *gloriam ingenti furto totam in ſe tranſmouit. Nam ſi decem forte primas paginas excipias, et ea, quæ* Eggehardi *noſtri ætatem ſequuntur, atque breuiſſima quædam eaque rariſſima aſſumenta; integrum Abbatis Vrſpergenſis Chronicon, ne vel minimo quidem apice prætermiſſo, parentem habuit* Eggehardum. His Duumuiris de indicio, quod prohibebit, ne quis in poſterum pro *Eggehardi* Chronico futiles chartas nobis obtrudere poſſit, magnas gratias agimus; maiores debituri,

turi, ſi id nihilominus e codice quingentorum annorum deſcriptum nobis impertiiſſent, quia adhuc in nullam collectionem Scriptorum rerum Germanicarum, quarum multitudine laboramus, relatum habemus. At de plagio Abbatis *Conradi* altior quæſtio eſt; etiamſi præmiſſa omnia conceſſeris. Etenim ad id, vt Vrſpergenſis plagii condemnetur, requiritur, vt plagii conuictus ſit: quod fieri non poteſt, niſi oſtendatur, *Conradum* alicubi auctorem ſe huius Chronici venditaſſe. Dicis: Quid opus eſt teſtibus et argumentis, vbi ipſa libri inſcriptio loquitur? Verum enimuero primum incertum eſt, ipſum *Conradum* libro huic titulum præſcripſiſſe, multumque probabilius, hoc factum fuiſſe ab aliis. Deinde tituli illius longe alius ſenſus eſſe poteſt, quam is, quo *Conradus* libri auctor feratur. Nam et is liber meus eſt, quem ære meo redemi. Si itaque codici anonymo, a *Conrado* in vſum monaſterii Vrſpergenſis comparato, *Conradi* nomen in perpetuam rei memoriam præſcripſerunt grati monachi, et poteſtea expreſſerunt typis poſteri, quia nomen veri auctoris latebat, et codici emto non præſcriptum erat; quis ſani ſyncipitis auſit propterea *Conradum* attributi ſibi alieni laboris accuſare, quod ei ne quidem in men-

mentem venerat, cum librum emeret? Ita vt ſentiam, ſimile idque luculentiſſimum exemplum facit. *Seldeni* Scriptorum rerum Anglicarum tomo primo *p. 726.* inſerta eſt *Ioralanenſis hiſtoria, a Io. Brompton, Abbate Iornalenſi, conſcripta.* Ita quidem *Twyſdenius* librum inſcriptum ad ductum Codicis Cottoniani typis dederat. Sed poſtea *Seldenus* incidit in codicem Benedictinum Cantabrigienſem multo antiquiorem, cui veteri manu hæc præſcripta ſunt: *Liber Monaſterii Iorenallenſis ex procuratione domini Iohannis Bromton, Abbatis eiuſdem loci. Si quis hunc librum alienauerit, delebitur de libro vitæ.* Ex quo *Seldenus præfat. p. 38.* recte infert, *Bromptonum* id Chronicon, quod eius nomen præfert, non ſcripſiſſe, præſertim cum nulla in eo monaſterii eius mentio occurrat; ſed opus eſſe hominis, cuius nomen lateat adhuc. Vt igitur *Bromptonus*, quia deſcriptores exemplis ſuis *Bromptoni* emtoris nomen præfixerunt Chronico illi, pro plagiario haberi nequit; ita et *Conradum* Vrſpergenſem, qui prohibere non potuit, quo minus deſcriptores Chronici *Eggehardi* Vragienſis, cuius nomen eos latebat, *Conradi* emtoris nomen, Codici Vrſpergenſi præfixum, exemplis

plis ſuis alio ſenſu præſcriberent, a plagio abſoluendum eſſe cenſeo, et, ni quis triſtior ſeuериorque aduerſarius intercedat, abſoluo.

CCCCLXXXIX.

Henricus Iuſtellus quædam literaria a *Conringio* flagitat; quædam illi e Gallia nuntiat.

Lutetiæ Pariſiorum d. 20. Dec. 1676.

Henricus Iuſtellus * Conringio S. D.

Ad te ſcribere, Vir clariſſime, non reformidaui, quamquam tibi ignotus, fretus tua bonitate. Spero, te libertatem, qua vſus ſum, mihi condonaturum, et meum erga te ſtudium liberali animo accepturum. Nomen tuum et eruditio tua tanto in pretio eſt in Republica literaria, vt difficile ſit non te conſulere, atque iudicium tuum quærere. Scire vellem, an in bibliotheca Sereniſſimi Ducis Brunſuicenſis reperiantur aliqui tractatus Græcorum nuperorum de Religione, et an Acta Theologorum Wurtenbergenſium ibi ſint am.

* Inſignis antiquarius et Criticus, qui poſt Edictum Nannetenſe ſublatum in Angliam conceſſit, vbi Regis bibliothecarius honorarius fame fere contabuit. Pro nobis loquentur eius epiſtolæ ad *Leibnitium* datæ.

ampliora, quam ea, quæ ſunt edita cum reſponſione *Ieremiæ* Patriarchæ Conſtantinopolitani a *Cruſio* et latine verſa. Opus habemus hoc opere, quod raro hic reperitur. A te etiam ſcire deſidero, an aliquis ex veſtris Doctoribus reſponderit Nizzachon *Lipmanni* Hebræi, et tractatui Theólogico-politico *Spinoſæ*, quæ opera multos in errorem duxerunt, et Chriſtianiſmo valde nocuerunt. Opus eſſet ad ea, quæ attulerunt, ſolide reſpondere. Dominus *Huetius*, auctor Origenianorum, ſuſcepit defenſionem Religionis chriſtianæ. Liber ille erit, vt aiunt, eruditione plenus; ſed forte non ſatis aptus ad conuincendos Atheos. Habemus ſub prælo Dictionarium mediæ ætatis in duo Volumina in folio, et breui omnia *Launoii* opera in vno volumine dabuntur. *Claudius* noſter meditatur reſponſionem contra *Arnaldum* de opinionibus Græcorum, et præterea nouam verſionem Gallicam Sacræ Scripturæ cum aliis viris doctis, cui addentur Prolegomena ampla, vbi textus Hebraicus defendetur, et Dictionarium verborum difficiliorum cum notis grammaticalibus, tractatu de ſtylo Sacræ Scripturæ, erroribus aliarum Verſionum et Varietatibus. Vtuntur Commentariis Karaitarum, quia hi non imbuti ſunt

tra-

traditionibus et fabulis aliorum Iudæorum. Accepi nuper ex Anglia Reſponſionem Samaritanorum ad epiſtolas Doctorum Oxonienſium, quæ Hebraice et Arabice ſcriptæ ſunt. Quando latine verſæ erunt, videbimus, quid contineant. Quando aliquid habebimus, quod te dignum fuerit, illud tibi mittam, teque certiorem faciam omnium, quæ circa libros et eruditionem fient. Vale, Vir Illuſtriſſime. Lutetiæ Pariſiorum die XX. menſis Decembris 1676.

CCCCXC.

Idem ad eumdem de re diplomatica.

Paris 30. Aout 1678.

*Il y a ici un Moine de St. Benoit, qui doit donner un Recueil de Chartes Anciennes, qu'il a tirées des Abbayes de ſon Ordre *. Il y en aura de la premiere, ſeconde et troiſieſme Race. Je ne penſe pas, qu'il y en ait de veritables de la premiere Race, et peu de la ſeconde **. J'ay ramaſſé*

* *C'étoit le bon Pere Dom* Mabillon.

** Quæ ſi de Gallia vera ſunt, vti vera eſſe prudentiores, quique in Gallia exiſtimant, quid dicemus de Germania? Monachos quoſdam, ve-

maſſé quelques Regles generales pour juger de la verité des actes anciens. J'aurois bien de la Joye

veluti auctores in rem ſuam, audiendos eſſe negant, qui affabre efficta donationum inſtrumenta producant, quas tamen antiquitus, ſalua clericis priuata annotatione, ſola rerum donatarum *traditione* peractas fuiſſe vetuſtiſſima Fuldenſium, Laurilheimenſium, Friſingenſium, Ratiſbonenſium, Corbeienſium *traditionum corpora* oſtendant. Cum vero hominum Deo deuotorum opes creſcerent, et Principes edictis cauerent, ne quid eis bonorum et iurium relinqueretur, præterquam quod vel ſuis vel maiorum diplomatibus datum vel roboratum eſſet; tum demum neceſſitatem eis fuiſſe impoſitam diſpiciendi de glaucomate Principum oculis, ſane non lynceis, obiiciendo: hinc natas aiunt confirmationes affaniarum, in quibus inſcitia fraudem tegat, ſcilicet ne perpluat. Metu *reuerentiali* peritiſſimum quemque deterreri a dicenda ſententia, et, ſi dixerit quod res eſt, adigi ad palinodiam: cuius non ex vero cantatæ illuſtria in promtu exempla ſint. Hiſce meum vt iudicium interponam, locus hic non patitur. Exempli tamen cauſſa nominabo ſolum diplomatis Oſnabrugenſis de ſcholis græcis et latinis oppugnatorem, qui, niſi extra oleas euagatus eſſet, qua parte vti-

ye de pouvoir voir ce que vous avez fait ſur quelques titres anciens. Nous croyons, que les Surnoms, les

---

vtique victus eſt, vadimonii deſerendi cauſſam nullam habuiſſet. Aduerſarius enim, dum vulneribus iſti diplomati inflictis mederi ſtudet, emplaſtra aliorum diplomatum adhibet nihilo ſinceriorum: qualia ſunt fundationes Bremenſis et Verdenſis, pridem exploſæ ab iis, qui non ſunt naris prorſus obeſæ. Tum diuitias ſuas æui Carolini explicaturus duo affert *Arnulfi* Imperatoris diplomata, vno eodemque et die et anno et de re eadem data: quorum in altero *Ludouici* filii mentio omiſſa; in altero admiſſa. Merito hic quæritur, quid opus fuerit duobus de eadem re vnoque et eodem et die et anno confectis inſtrumentis? Si omnia probe circumſpicias, cauſſam huius iterationis validam nullam inuenies, niſi dixeris, confecto primo inſtrumento, monitorem acceſſiſſe, qui ſuſpicabatur, *Arnulfum* forte hoc tempore iam filium habuiſſe, et Imperatoribus ſolemne eſſe prolis ſuæ mentionem facere, eoque monito artificem ad condendum aliud diploma, cui filii *Ludouici* nomen inſertum, induxiſſe, vt ita ambidextri eſſent ſacri collegæ, hoc eſt, vt iis, qui *Ludouicum* tum iam natum ignorabant, diploma hoc nomine vacuum; qui ſcire ſe prodebant, plenum, tamquam quoddam caput Meduſæ, obiicere poſ-

les Armes et les Scaux n'ont commencé qu'après l'an onze cens. J'examine depuis peu les Traités qu'on

poſſent. Si qua res alia; res diplomatica certe ſummopere indiget, vt in formam artis redigatur: qualem multi promiſerunt; nemo adhuc præſtitit; neque promittet facile quiſquam, qui et difficultatem operis, et quanto autographorum apparatu, qui non eſt in cuiuſque poteſtate, opus ſit, rite perpenderit. Nam hi ridendi ſunt, qui ex Lindenbrogio, ex metropoli Saliſburgenſi, ex Goldaſto et aliis huiuſmodi libris artes diplomaticas ſtruunt, quaſi vero documenta illa ad amuſſim autographorum typis expreſſa ſint, vel exprimi poſſint. Celeberrimus antiquitatum Italicarum ſtructor ante alios, me iudice, virum ſe hac in arena præſtare potuiſſet, ſi voluiſſet. At enim vero ille vſque adeo refugit omnem huius rei mentionem, vt promum condum diplomatum potius, quam criticum ſe exhibeat. Cuius rei virum tam doctum cauſſas nullas habuiſſe, non facile adducor, vt credam. Nam et dum tacet, docet. Forte ſenſit, incedere ſe ſuper ignes ſuppoſitos cineri doloſo. Forte pectore preſſit illud Curtianum: *Equidem plura tranſſcribo, quam credo.* Sane quæ ex officina Golaltina producuntur, neſcio quid peregrinitatis præ ſe ferunt. At hic perpendendum fuerat, quid fu-

qu'on nous a donné de iure naturali et gentium. *Le Livre de Mr.* Grotius *me paroit obſcur, particulierement ſes Definitions, qu'il a priſes des Caſuiſtes, qui ſont embrouillés et pleins du Jargon de l'Ecole.*

CCCCXCI.

Ex epiſtola *Conringii* ad generum, *Io. Saubertum*, Theologum Altdorfienſem, in huius controuerſia cum *Leibnizio* Norimbergenſi ſcripta *.

Helmſtad. d. 27. Sept. 1674.

De temetipſo quae narras, non minus me habent ſollicitum. Non quod verear, vt poſſis forti animo ſpernere indocti hominis ineptas calumnias. Primum autem, quantum intelligo, ſolus *Leibnizius* te accuſauit. Secundo libellum calumniatoris

futurum ſit de antiquitatibus, ſi fides diplomatum, quibus ea ſuperſtructa, collabeſceret, et annon ſatius foret, pauca exhibita diplomata extra omnem dubitationis aleam collocare, quam dare ſexcenta ſine vllo veri falſique indicio. Sed haec forſan erit poſterorum cura, qui ſi vanno critica ventilabunt, quas aetas noſtra crudas in forum protruſit, farragines, penum omnem granorum bonae frugis intra modicum coërcebunt modiorum numerum,

* Vid. *p. 1298. not.* ***

ris tibi ſtatim communicauit Dominus Scholarcha. Quantumuis igitur ſenio aliiſque non malis moribus auctoritatem ſibi conciliauerit aliquam calumniator; quoniam tamen hactenus reliquum Miniſterium eccleſiaſticum, multo minus collegas tuos, in partes ſuas non attraxit, illius vnius voculas ne Senatus quidem multum æſtimabit. Nec Ephorum tibi male cupere, ipſa illa communicatio videtur indicare: niſi ſane iuſſu aliquo acri Senatus ad id fuerit adactus. Remedium mali, quod optas, vereor, vt exſpectationi reſpondeat. Vt in ſpeciem alio voceris, fieri vix poterit. Si fiat autem, poſſit facile tibi nocere, vbi nempe in diſceſſum tuum, curante *Leibnizio*, Senatus conſenſerit. Si diſſenſerit; haud video, qui poſſit illud a calumnia te liberare. Princeps A. V. non audet quenquam ſibi Conſiliarium vel hic aſciſcere vitandæ inuidiæ cauſſa; multo minus audebit in eccleſiaſticis et foris. Vtitur quidem conſiliis alienis; ſed clam fratre: Vt ſolent in aulis etiam tuta omnia ſuſpecta eſſe. Si titulo autem Conſiliarii fuerit abſtinendum; nulla tibi hinc poſſit exiſtimatio accreſcere. Taceo, quod etiam hinc poſſit augeri calumnia de ſyncretiſmo clanculario: quia nempe etiam omnis aula noſtra huic patet calumniæ. Me quidem iudice, omnium

um expeditiſſimum fuerit, ſi mittas vtramque theſin, quæ in *Leibnizianam* calumniam incurrit, ad Collegium Theologicum Ienenſe, et reſponderi cures, num quæ illarum habeat aliquid heterodoxi. Non dubito, nihil ab iis improbatum iri. Illud itaque reſponſum poterit tibi eſſe loco prolixæ apologiæ, et *Leibnizium* dare in ruborem, vel ſaltem Senatui oſtendere, quantum in ſene illo adhuc valeat imperitia. Quo oſtenſo, triumphabis de calumnia; quantumuis *Leibnizius* nonnullos quoque clam traxerit in partes. Videtur homo ille ægro animo ferre, quod aliquando actum fuerit de te ſibi præferendo. Si placeat conſilium, videtur opus eſſe feſtinato, prius quam emanet in vulgus hæc tibi mota controuerſia. Quantum ſane ex *Giſio* intelligo, latet adhuc res omnis. Gratiſſimum fuerit, ſi me porro feceris huius negotii participem. Quod *Opitium*, illum ineptum tenebrionem, repuleris, gaudeo. Miror vero, hunc hominem a Collegio Philoſophico laudatum, cum habeat Iena Adiunctum, quem vocant, I. H. *Hanerum*, Orientalium linguarum omnium perquam peritum, et minime Waſmuthicum. *Giſius* narrat, profeſſionem illam ſuſcepturum *Wagenſeilium*, aptiſſimum ſane. Si ille nolit, haud deerit *Hanerus* veſtro de-

deſiderio. Propediem dabit ad te literas, et mittet eruditionis ſpecimen. Hæc ſpero ſtatim tibi redditum iri. Certe ideo maturaui hanc ſcriptionem, vt nempe de Leibniziano negotio cito meam ſententiam intelligas. Adfuit mihi heri *Rixnerus*, meumque conſilium approbauit. Vxor, filius et filia, vos omnes ſalutant mecum diligenter.

CCCCXCII.

Eiuſdem alia ad eumdem de eadem re.

Helmſtad. d. 27. Mart. 1678.

Calouianas furias num quiſquam Preſbyterorum ſiue Norimbergæ ſiue Altdorfii, præter vnum *Leibnizium*, foueat, hactenus non ſignificaſti. Neque obſeruo, quoquam eorum amico gloriatum eſſe *Calouium* in ſuo inepto carmine: nam et *Durrius* iam ad meliores eſt ſedes tranſlatus. Si vnus autem duntaxat *Leibnizius* fuerit iniquus, non eſt quare vel hæc moleſtia animum excruciet, præſertim quia tutus eſſe poteris recti conſcientia, alienus ſcilicet ab omni ſyncretiſmo, qualem illum effingunt Calouianæ calumniæ. Igitur in id duntaxat laborandum fuerit, vt vnum illum *Leibnizium* vel feras patienter, vel vincas rationibus, vel humanitate et placidis moribus emollias, vel de-

ni-

nique contemnas inflexibilem. Intelligo enim ex amicis, quibus vterque noti eſtis, tua vero etiam ſalus cordi eſt, *Leibnizium* non tam malum eſſe, quam indoctum zelotam: in te illum quoque non tam deſiderare orthodoxiam, quam mores ad amicam conuerſationem idoneos: cumprimis autem vitio tibi vertere apud Magnates neſcio quam tabagopoſiam. Eſt nimirum primarius Norimbergenſis Reipublicæ Theologus, et ætate multo maior. Itaque fortaſſis etiam æquum fuerit illum frequentiore alloquio honorare; etſi eruditione longe ſit inferior. Hæc vita tales ſibi mores poſtulat. Tabagopoſia autem, etiam me iudice, non decet quemquam tui ordinis, aut loci. Eſt enim fœdum quid *: ne nunc dicam, quam ſit valetudini noxium. Quin igitur, mi cariſſime et optime gener, fac, quæſo, periculum, num vel hoc mo-

* Præſertim in patria *Sauberti*, vbi adhuc ineunte hoc ſeculo vix vnum atque alterum veteranum militem, neque eum quidem ſine quadam leuis notæ macula, hoc fœtore aliorum nares offendere auſum memini, quia tabagopoſia tum nonſolum hominis parum ſciti habebatur, ſed et omnino diſſoluti. Sed inde ab eo tempore partim ex Academiis, partim e caſtris alios mores in patriam relatos facile crediderim.

modo poſſis hominem tibi beneuolum reddere. Poteris ſane ſalua conſcientia omnem ſyncretiſmi culpam procul remouere adductis firmis rationibus. Quodſi exiſtimaueris, poſſe etiam me ſiue apud *Nutzelium*, ſiue apud quem alium rebus tuis commodare, faciam id ipſum promptiſſime, ſimulatque innueris. Scribam quoque ad *Wagenſeilium*, ſi ita tibi placuerit. Velim enim inter vos manere amicitiam, cum collegæ ſitis, et Ebraicæ literaturæ myſtæ maximi. Si nec ita moleſtiam hanc poſſis tollere, patienter illam feras aliquantiſper. Dabit Deus huic quoque finem. Vbicunque ſane locorum vixeris, ferenda aliqua iniuria fuerit. Vita humana aliter ſibi non conſtat. Multis equidem ipſe experimentis id didici, et nunc quoque diſco. Fortaſſis vero et mutanda tibi erit hæc ſedes, vt vel ita effugias hanc Charybdim. Vtinam autem non viciſſim in Scyllam aliquam incidas! Si potero ſane, neque tu renueris, dabo operam, vt inuenias locum, ſaltem Calouianis iniuriis haud expoſitum. Sed quo prolabor? Deum obſecro, vt et hoc, quicquid eſt malorum, auerruncet, et bono publico, eccleſiæ et tuæ domus priuato, te cum tuis longum ſoſpitet! ſaluta Dominos Collegas, *Reinhardum*, *Wagenſeilium*, *Felwingerum*,

Stur-

Sturmium, *Omeiſum*, imo omnes; vt et fratrem et ſororium. Te plurimum optant ſaluere *Titius*, *Rixnerus* et *Buſmannus*.

CCCCXCIII.

Idem ad eumdem de re domeſtica ſua.

Helmſtad. d. 8. Sept. 1678.

Præmaturum obitum fratris tui doleo etiam ego. Teſtandi affectus ergo cenotaphium heri a me poſitum mitto. Exempla libri tui ſuis locis feci, ſimulatque aduenerunt, exhiberi. Cum Duce RVDOLPHO AVGVSTO ipſo colloqui clinico mihi non licuit. Dux ANTONIVS VLRICVS decumbentem me cum binis vicibus viſitaret non ita pridem, gratam ſibi eſſe tuam dedicationem ita ſignificauit, vt non dubitem optima quæque ab illo tibi polliceri. Ducis FERDINANDI ALBERTI deſiderio ſatisfacere non eſt in mea poteſtate: nec enim hactenus vel mihi potui exemplum vnicum verſionis illius impetrare, culpa, quantum arbitror, Bibliothecarii, hominis ſtolidi et mihi iniqui *. Dux ipſe libro edito Dominos

* Iudicium certe iniquum! Neque enim in bibliothecarii poteſtate fuit, libri copiam facere, quem

Fratres nuperrime offendit iterum grauiſſime - - Ego ſuperiore hebdomade coactus fui caput meum quaſi redimere viginti ſex thaleris, vt meorum pauperum ſubditorum capita thaleris ſeptuaginta nouem; interim dum ipſi non ſunt ſoluendo. Ita hic viuitur. - - Mihi propoſitum eſt, ſi valetudo permiſerit, iterum aliquid edere pro vindicando vnius Dei religioſo cultu, quoniam Capucinus meus nondum furere deſiit, et nouus Roma miſſus Epiſcopus Hanouerae apparente ſua ſanctimonia nonnullis imponit perinde, atque Norimbergenſis Medici filium ſeduxit ipſe Apoſtata **. Hodie filiam meam *Mariam Sophiam* deſpondi Gun-

quem Principes tam arcte cuſtoditum voluerunt, vt ipſe *Leibnitius*, Protobibliothecarius, numquam eum ſibi viſum alicubi fateatur. Et generatim quae in bibliothecis et archiuis aſſeruantur, quia non cuſtodum, ſed Principum ſunt, ſine venia vel iuſſu Dominorum ſalua iurisiurandi fide obuio cuique et petenti imperti-ri nequeunt: vt adeo inanes, iniuſtae et parum deliberatae mentis querelae ſint de draconibus, hortorum Heſperiorum aurea mala cuſtodientibus.

** *Nicolaus Stenonius*, Epiſcopus Titiopolitanus, *Leibnitii* amicus: de quo alibi plura.

Gunthero Chriſtophoro Schelhammero, Medicinæ Doctori, *Chriſtophori*, Ienenſis quondam Profeſſoris, vnico filio, eximio doctrina pariter ac probitate viro, qui ſimul locum ambit in Medico noſtro collegio; fortaſſis etiam impetrabit. Vtinam et huic filiæ tandem ſit bene!

CCCCXCIV.

Conringius Pædagogiarcham Göttingenſem, *Iuſtum a Dranſfeld*, ad colligendum et edendum *Caſelianarum* epiſtolarum omnium ſyntagma exhortatur.

Helmſtad. d. 13. Iul. 1680.

Cum ante hoſce duodecim annos, Clariſſime *Dranſfeldi*, centuriam carminum græcorum et latinorum ſummi Viri, *Iohannis Caſelii*, publicares, ſimulque non reliquorum duntaxat poëmatum, ſed omnium omnino illius nunquam ſatis laudati Senis ſcriptorum politicorum, oratoriorum, philologicorum, apologeticorum ac epiſtolicorum editionem promitteres; et pietatem tuam in ciuem ac gentilem incomparabilem, et ſtudium boni publici iuuandi paſſim apud bonos quoſque prædicaui. Et vero ex ſunt eximiæ virtutes Caſelianorum omnium, vt mereantur nunc quoque eſſe in manibus illorum, quibus virtus ſincera, cum ſer-

mo-

mone græco pariter ac latino quauis ambroſia dulciore coniuncta, eſt in iuſto pretio; quorum licet numerus hodie per ſit exiguus. Quid hactenus moretur reliquorum carminum editionem me fugit quidem; non dubito tamen, eundem, qui fuit pridem, tibi animum eſſe, iſtac etiam parte bene de publico merendi. Quamuis enim iam tum anno ſeculi huius viceſimo quarto *Henricus Hedemannus* editis carminibus gamicis græcis et latinis partem huius beneficii quaſi occupauerit, et ipſemet optimus Senex iam anno decimo integrum libellum nobis dederit; haud pauca tamen extra illas collectiones huc illuc vagari, æque mellei et probi ſaporis, minime omnium te fugit, ac proinde publica et horum editio tuam cumprimis operam vnice deſiderat. Inter omnia autem *Caſelii* videntur Epiſtolica hactenus fuiſſe feliciſſima. Namque *Fuchtius* noſtras iam tum anno nonodecimo volumen integrum epiſtolarum ad Principes, et quarto poſt anno alterum ad Viros Nobiles collegit. Primo poſt quadrageſimum *Henricus Vagetius*, doctrina itidem præſtans apud Hamburgenſes Doctor, tertium volumen Roſtochii quondam exaratarum vulgauit: quarum nonnullæ quidem iam ante editæ; pleræque tamen tunc demum in publicam lucem

per-

peruenere. Idem *Vagetius* ſpem quidem fecerat publicandi et epiſtolas, in Iulia hac Academia conſcriptas; verum illa decollauit. Etiam iſti tamen epiſtolarum libri mirifice placuerunt doctiſſimis quibuſque. Et vero liquet ex epiſtola 132. operis Grotiani litterarum ad Gallos miſſarum, inſtructiſſima bibliotheca pariter et varia eruditione pietateque celeberrimum Canonicum, *Ioannem Cordeſium*, libros illos Caſelianos petiiſſe ſibi per *Grotium* Hamburgo Lutetiam deferri. Tunc autem miſſis illis, quae dixi, voluminibus, epiſtola poſt centeſimam ſexta quadrageſima in haec verba ad omnem poſteritatem digniſſima memoratu prorupiſſe: *Vtinam poſſim et Caſelii epiſtolas ad Doctos mittere. Sed nondum prodiere; quanquam promiſſae: certe hic non comparent. Miſi ſciſcitatum in mercatu Francofurtenſi, qui per hos bellorum aeſtus miſere friget. Caſelium a te, quantum meretur, fieri, gaudeo. Valuit iudicio, nitore dictionis, et, quod praecipuum, infucatae virtutis ſtudio.* Sane laus iſthaec vſque adeo propria eſt epiſtolis Caſelianis, vt hactenus illae ſint ſine exemplo *. Quamuis nempe in aliorum quorundam

* Speciminis loco ſit, quam adiungo, epiſtola, ex ipſo autographo transſcripta.

dam epiſtolis plus ſit ex hiſtoria, aut ex ſubtiliore philoſophia, aut ex ſacris controuerſiis, aut ex philologia, variiſque aliis artibus depromptum; hæ tamen in ſolo prope incitamento ad virtutes et literarum ſtudia ſunt occupatæ: quibus parænetici generis ſimiles alias nullas facile reperire fuerit. Vt taceam nunc ſtili incomparabilem itidem puritatem, ſuauitatem atque matronalem elegantiam. Ea propter me plurimum exhilarauerunt nuperæ literæ tuæ, ſignificantes, moliri te nouam editionem integri epiſtolici corporis, imo propediem illud viſurum lucem. Nec vero dubito, compage iſthac comprehendenda non Fuchtianam tantum vtramque, et Vagetianam ſyllogen, vt et *Caſelii* noſtri ac *Petri Victorii* amœbœa, pridem typis Francofurti excuſa; ſed illas etiam literas, quarum titulos recenſuit *Henricus Ernſtius*; imo multas quoque alias, quia earum haud dubie inſignes ſuperiunt copiæ. Merito autem iis adiungi debent, quas in ſingulares claſſes ſiue præfationum, ſiue officioſarum gratulationum, ſiue et apologeticarum epiſtolarum idem digeſſit *Ernſtius*, quoniam et illa omnia reapſe nihil niſi epiſtolæ ſunt, in illamque communem claſſem *Eraſmi* Roterodami ſimilia omnia ſunt redacta; quantumuis *A-*

riſto

riſtotelem ferant noluiſſe talia fieri epiſtolica. Certe dignæ ſunt, quæ itidem coniunctim in conſpectum redant eruditi orbis, idque cum propter dictionis latinitatem vere Romanam; tum quia et ipſæ ſpirant Rhetoricam illam philoſophicam, non alteram adulatricem aut furibundam, quam ſanctiſſimo etiam *Gregorio* Nazianzeno fuiſſe familiarem, in hiſtoria vitæ illius refertur, vitiorum ſcilicet blandam expurgatricem. Dum hoc autem agis, non poſſum non te denuo laudare, optime *Dranſfeldi*; imo gratias tibi habeo maximas, etiam huius noſtræ Academiæ Iuliæ nomine, vtpote cuius interſit, memoriam *Caſelii* ſemper hic ſanctam obſeruari, tanquam Iouis Statoris veræ philoſophiæ ac bonarum literarum, nec non ad ciuilis doctrinæ et primitiuæ aureæ Eccleſiæ ſcriptorum lectionem principis manuductoris. Vtinam vero liceat tibi pergere in iſthoc ſtudio, quo poſſis ſtare promiſſis, et Caſeliana reliqua omnia in publicum lucem rurſus producere! Non ſane qua re alia orbem rectius demereberis. Ego opto tibi ad ſanctum illud propoſitum exſequendum quæuis idonea adminicula: cum primis valetudinem et longam, et proſperam.

CCCCXCV.

CCCCXCV.

Io. Caſelius de ſuis in Principes iuuentutis ſtudiis, de vſu peregrinationum et de vita aulica diſſerit.

Helmſtadii XII. Kal. Nouembr. 1610.

S. Hoc ita eſt, quod neque tu ignoras, *Hermanne Dizi*, vt Princeps et reſpublica arctiſſime inter ſe natura atque ratione connexi ſint, vt qui alterutri ex animo velit, alteri æque velle neceſſe habeat: quando neque reſpublica Principis cura atque præſidio carere poteſt; neque Princeps dicitur abſque republica. Patriam autem quin amet et magni faciat, nemo adeo barbarus eſt: quam tamen quemadmodum quis colat, hæc ſcientia non eſt niſi cultiſſimi animi: quo qui ſit, cum patriæ ſaluti ſe deuoueat, tum Principem eſſe quam optimum velit, et ſi quid huc conferre poſſit, vltro faciat, quod ſe decere intelligat, ſibique licere animaduertat. Sic te etiam affectum non dubito: me fuiſſe affectum itidem, ex quo tempore hæc intellexi, et mihi conſcius ipſe ſum, et probare poſſim, ſi opus ſit. Triginta enim et plures anni ſunt, quando quod a me proficiſci poterat ſtudium, id declarare cœpi Principi HENRICO IVLIO, patre probante, Duce IVLIO, et aulæ

aulæ magiſtris me confirmantibus. Poſtquam porro ab academia ad Varnum huc migraui, præſtiti primum academiæ, quæ potui et debui. Sed et alterum feci et conatus ſum, iubente Duce HENRICO IVLIO, vt educationem Principis FRIDERICI HVLDERICI mihi curæ cordique haberem. Qua in re vt neque cuiquam me præfero; ita nemo meam in hoc diligentiam et fidem ſuæ recte, opinor, poſtponendam cenſeat. Sed neque hic me verbis venditare debeo, qui non niſi officium, etſi æquiſſima voluntate, fecerim. Neque credo te fugit, vt ad Principem, ex quo domo abfuit, diligenter, de quibus erudiendus ſiue monendus videretur, ſcripſerim. Neque dubito, mearum litterarum ad vos perlatas aliquas, quarum etiam exempla penes me ſunt; etſi, vt occaſio ferebat, alias ſcripſi breuius, alias accuratius *. Hæc animo meo de Principe infixa cogitatio fecit quoque, vt, quem eſſe in illuſtri familia primo etiam loco cognouiſſem, te quoque noſſe deſiderarem; idque egi ſedulo, quo tempore te e Gallia huc miſſum conſilii capiendi gratia nunciabatur: etiam tu fortaſſe me libenter noſſes; quod et ipſe non

* Commercii huius teſtem adiicio epiſtolam, Principis quindecennis manu exaratam.

abſque cauſſa volebam. Sed illa ſpes tum me fefellit, cum graui morbo in illis finibus detinereris. Neque tamen non de te ſciſcitatus, audiebam, quæ vellem, ex aliis, et ex natu minorum Principum aulæ magiſtro, viro integerrimo: ea tu ſermonibus, ſiue potius re ipſa, confirmaſti cum ſub idus Septemb. in aulam iuſſus veniſſem. Ita enim mihi placebas, non quod, quæ mea legeras, probares, ſed quod, de quibus incideret mentio, recte ſentires; atque ita me tibi deuinxiſti, vt te paucis diebus compellarem litteris. Quod beneuolentiæ tuæ erat et doctrinæ, non peramice ſolum, ſed erudite et accurate reſpondiſti ſtatim: tu ignoſce meo plurium dierum ſilentio, quod attulit partim deſidia ætatis meæ, partim ſcriptiones aliæ. Doctrinam autem quod diſſimulas ſiue extenuas, hoc ex ea cauſſa, quæ illam auget et auxerat, non accipio. Nam plurium annorum peregrinationes etiam te diſertiorem fecerint et prudentiorem. Hunc enim fructum peregrinando capiunt eximium, qui virtutis cauſſa longinquas terras adeunt, vt videant, quæ, qui pedes ex ædibus aut e patria non extulerunt, ignorare neceſſe eſt in perpetuum; vt vir ſapiens memoriæ prodidit: quod nobile *Philonis* verbum ſæpe in loco celebraris. Tibi

bi vero itinera, et plurium gentium ſermonis cognitio magis profuit, qui, quod amicus item mihi de te prædicauerat, bonos Scriptores ſemper voluere ſolitus ſis: in quo ſtudio optimo conſilio perſeueras; quod neque Principem negligere arbitror, tuo, familiaris, exemplo confirmatum. Noui autem conſilii tibi auctor eſſe non auſim; etſi forte, quod dicam, pridem apud te ceperis. Satis paſſim eſt equeſtris ordinis iuuenum, qui Principum ſplendori ſeruiant: quod etſi dignitate non vacat; non tamen in eo vera eſt dignitas, quæ fructus et opem ferat patriæ. Aliquo fortaſſe tibi, neque magno longioriſque temporis labore opus eſt, vt ſententiam et tu in Senatu dicas, et homo elegans, et ad plurium conſuetudinem vſu factus, quæ duo paucorum ſunt, qui toti deliteſcunt in litteris, primarias legationes obeas. Velim tibi non curioſior, ſed tui ſtudioſior videri, cuius ſum ſtudioſiſſimus. Facies autem, credo, et quod præ te ferebas, vt nos videas ad vnum diem aut alterum, et ego te inuito, et inuitaueram. Te enim ipſum malo, quam litteras; etſi et has velim, niſi ipſe breui venias. Vale. Helmæſtadio ex Academia Iulia XIII. Kal. Nouemb. CIƆ IƆ CX.

Cum aliqua cura meditatus, quæ reſcriberem, in ſcribendo adhibui diligentiæ nonnihil: neque tamen relegens, quæ ſcripſi, ſatis mihi facio. Plura tibi in mentem venient. Quod deſigno, an non hoc ad ornamentum tuæ familiæ; ad honorem apud omnes; ad dignitatem in patria; ad vtilitatem ſiue Principis, ſiue patriæ, quando vtrumque eodem ſpectat; ad commodum item tuum; denique ad vitæ animique tui perfectionem facit? Tu determina, ne mihi epiſtolæ quaſi aliud principium naſcatur. Iterum vale. XII. Kal. Nouemb. cIↃ IↃ CX.

Tui ſtudioſiſſimus

Io. Caſelius **.

Inſcriptio literarum:

Generoſo iuueni, Hermanno Ditz, dicto Schlüter, Illuſtriſſimo Principi Brunſuig. primo a cubiculo, amico honorando. *An ſbr F. G. Hoffe.*

CCCCXCVI.

Sereniſſimi FRIDERICI VLRICI, Tubingæ bonis literis dediti, ad *Io. Caſelium* epiſtola, ex Principis autographo fideliter reddita.

Fe-

** Nomen græcis literis ſcriptum eſt, vt a Sene ſere fieri conſueuit.

Felix tibi nuncius anni.

S. Clariſſime cariſſimeque Dn. D. Caſeli. Vt cognoſcas, me, te abſente, non otio deditum eſſe, non intermittam hanc occaſionem ſcribendi. Id enim agendum eſt, ne dies vacuus mihi a literis prætereat. Quid mihi turpius foret, quam hanc ſpem relinquere, quam in me ſuſtineo, qua vna fortunæ meæ, quæcumque mihi acciderint, pereant? Quæ vero auſpicia ceperim in hoc ſtudio, non ad te prædicabo, ne quid aduerſus leges modeſtiæ delinquam. Sed cum quotidie in literis tuis me cohorteris de ſtudiis meis, amo te plurimum, et contendo, vt eodem ſtudio ſemper vtaris in me mutando, ſi qua in re errem; etſi tibi in gratiis referendis reſpondere hac ætate mea nequeo, niſi quid te forte afficiet, ſi animaduertas progreſſum meum in hoc curriculo, in quo, te auctore, ad palmam potiundam contendo. At Deus longum vita, valetudine, amicis frui te cum familia faciat, et ſi quid optatis. Vale! Tubingæ XIII. Ian. A. cIɔ Iɔ CVII.

FRIDERICVS VLRICVS.

Hæc opera mea eſt abſque opera.

Inſcriptio literarum.

Clariſſimo cariſſimoque noſtro D. Ioanni Caſelio, Profeſſori Academiæ Iuliæ etc.

præſ. vlt. Ian. 1607. CCCCXCVII.

CCCCXCVII.

Conringius Io. Helwigio Sinoldo de *Schütz*, Cancellario Cellenſi, commendat fortunas ſuas, ante conqueſtus, ſcripta ſua Aulæ Cæſareæ eſſe minus grata, et cur?

Helmſtad. d. 21. Octobr. 1675.

Heſterno die multum me exhilarauit *Lundenius*, * tuo nomine non tantum me ſalutans, ſed etiam reddens certum, fore, vt in opere *de Finibus* probe elaborando tua auxilia mihi non ſint defutura. Ego vero vtraque de cauſſa magnas ago gratias, multumque mihi gratulor, preſertim quia video, aliunde fruſtra ſuppetias inſtituto operi exſpectaſſe me hactenus. Nudius tertius ſcilicet mihi nuntiauit Vindobona Oſtfriſiæ patriæ meæ Principis apud aulam Cæſaream *Agens*, quem vocant, ſeſe ab Illuſtriſſimo Comite *Lambergio*, quem per literas rogaueram, vti curaret ex Aula Cæſarea mihi communicari quodcunque poſſit facere ad *Imperii Fines* calamo defendendos, miſſum quidem huius negotii ergo ad P. *Lambecium*, Cæſareæ Bibliothecæ præfectum; hunc vero omnem

* Hunc diſcipulum *Conringii* ſcholæ Cellenſis Rectorem fuiſſe legi alicubi, ni fallit memoria.

mnem operam denegaſſe, iſthoc obtentu, quod ſcripta mea nec in ſacris, nec in aliis cauſſis Cæſareæ Aulæ ſtudiis conueniant: eſſe me inter primos Catholicæ Eccleſiæ hoſtes, improbatumque abs me in literis ad *Boineburgium* diſceſſum ſuum ad partes Romanas. Ea ſane deſperare me faciunt de vllis ex illo quidem loco ſubſidiis impetrandis, niſi forte interdum illinc neceſſaria tu quædam mihi auctoritate tua impetraueris: quod futurum confido. Enimuero tardior hactenus fui ad hoc negotium aggrediendum multis publicis priuatiſque de cauſſis; ſuſcipiam tamen hunc laborem, fretus cumprimis promiſſis tuis auxiliis, eaque, qua vales in Cæſaris quoque aula, exiſtimatione; haud ignarus alias, quam ſoleant talia agi abſque omni pretio operæ. Et vero nec te fugit, Periſluſtris Domine, vt aliis, ita etiam mihi ſubtrahi hoc loco a Sereniſſimis Principibus conſtituta Academica ſalaria; etſi vitæ mediocriter ducendæ vix ſufficiant; nec ſpem meliorum ſero eſſe reliquam: verba quidem interdum dari, ſed inania. Quod equidem non credidi futurum, paſſus ab ampliſſimis propoſitis conditionibus me abſtrahi fiducia Principalium promiſſorum. Scio equidem, etiam tibi, Perilluſtris Domine, multum hæc im-

probari, et ſatis præuidere, actum breui fore de ſalute Academiæ, niſi in integrum res eius reſtituantur; ſimul vero haud neſcire, quam lenta remedia liceat tanto malo exſpectare. Mihi propoſitum eſt, ſeorſim meam cauſſam agere ſupplicibus literis apud ſingulos Sereniſſimos Dominos meos, præſertim quia præ aliis multum mihi debetur, et viciſſim ego multis liberis cogor proſpicere, et intra paucos dies iam ſim ſeptuageſimum vitæ annum aggreſſurus; defuncti autem poſteritati ſpes omnis, vt nunc ſunt mores, ſit præciſa. Remoratur nihilominus hoc meum conſilium hæc tempeſtas bellica, ne ſcilicet intempeſtiuum videatur tale quid agere. Rogo te proinde, Perilluſtris Domine, etiam hac in re me ne dedigneris conſilio et auctoritate, qua polles, adiuuare, idque ſaltem per *Lundenium* mihi ſignificando, placeatne inſtitutum meum, et quandonam hoc agere fuerit viſum ſatis tempeſtiuum. Si voti fiam compos, pergam alacris pro virili in demandata mihi ſtudiorum cultura; quamuis ſenex. Nec vero petam temere miſſionem; etſi iam quadrageſimum quartum Academico muneri annum impendam, et fas forte ſit me rude donari; cum id concedatur hominibus vegetæ ætatis et robuſti corporis, quique

rem

rem Academicam hactenus leuiter curauerunt, neque nunc illam amant niſi quæſtus cauſſa; etſi iam tum pecunioſiſſimi. Quæ hiſce proximis menſibus edidi, mitto: non quod ſint tanti fortaſſis, ſed vti appareat, me more ſolito fuiſſe occupatum in vſum rei literariæ. Vale, PerilluſtrisDomine, et perge fauere!

CCCCXCVIII.

Conringius cum Legato Cæſareo, Comite de Lamberg iuniore, de ſubſidiis ad opus de *finibus Imperii* perficiendum neceſſariis agit.

Helmſtad. d. 6. Octobr. 1681. *

Hochgebohrner Graff, Gnädiger Herr.

Daſs bey letzter Anweſenheit meine ſchuldigſte Aufwartung nicht erweiſen können, hat mich höchlich geſchmertzet. Lebe jedoch der vnterthänigen Zuuerſicht, Ew. Hochgr. Excellentz werde dero Beicht-Vatter von Ludinghauſen meinen damaligen Zueſtandt alſo haben berichtet, daſs ich könne billig entſchuldiget werden. Es hat ja aber auch nachgehendes leider! meine Leibes-Schwachheit ſich nicht gebeſſert, maſſen als den erſten Septembr. Ew. Hochgr. Excellentz gnediges Schreiben mir zue handen ge-

* Tres, quæ ſequuntur, epiſtolæ paullo ante obitum ſunt ſcriptæ. Deceſſit enim *Conringius* d. 12. Dec. huius anni.

gekommen, mir zwar der vnverdienten Gnaden halber keine geringe Erquickung iſt wiederfahren; bin jedoch domals ſchwerlich darnieder gelegen, auch nachgehens ſo vnvermügend geblieben, daſs in Beantwortung dero Gnaden Briefen, wie auch ſonſten, meine Schuldigkeit biſs jetzo nicht habe zu præſtiren vermocht. Dannenhero ich abermals nicht kan vnterlaſſen, vmb Verzeihung zue bitten, geſtalt mittels dieſes Brieffleins Ew. Hochgr. Excellentz ferneren gnedigen Affection mich beſter maſſen auch jetzo empſehle.

Daſs meine Scripta Publica et Reipublicæ Imperii Ew. Excellentz nicht miſsfallen, erfreuet mich billich; wiewohl faſt zweiffele, ob dieſelben alle in dero gnedige handen ſeyn geraten, weil ſie guten theils vorlangſt diſtrahiret ſind. Belangend mein Supplementum operis de Finibus Imperii, deſſen etzliche Bogen alhie vnterthänig offeriren zue laſſen ich mich albereits erkünet, hat deſſen fernere Edirung eine gute Weile müſſen ceſſiren; theils meiner Schwachheit wegen; theils weilen der Verleger iſt verhindert den nötigen Verſchus herbey zue tragen, indeme derſelbe in Meiſſen wohnhafftig, vnd alle commercia mit denen Oertern vnſs ernſtlich ſeint verbotten. Zue geſchweigen, daſs leider! der ſtatus Imperii faſt

von

von Tage zue Tage dergeſtalt abnimmet, daſs auf die veteres Fines *zue gedencken lacherlich fället, und nur muſs bedacht werden* proxime imminens totius Reipublicæ finis, *geſtalt ich nunmehro an einiger Verbeſſerung gentzlich deſperire, beuorab I. Kayſerliche Majeſtet per* zelotica conſilia *im Königreich Hungaren alſo iſt verwickelt, daſs Teutſchland muſs vergeſſen werden: dann auch die vormals terrible Hiſpaniſche Macht zue Boden albereits geworfen worden, auch der Francfurtiſche Conuent ab Frantzöſiſcher Seiten nur wird ausgelachet werden. Zweiffele nicht, Ew. Hochgr. Excellentz ſeint eben meiner Meinung; wiewohl die Grund-Urſachen ſolches clenden Eſtats von der Feder nicht mügen berühret werden.*

Sage jedoch unterthanigen Danck fur dem gnedigen Erbieten, mir zue Verfertigung des erwehnten Buchs ex ipſa Cæſarea Bibliotheca *behülflich zue ſeyn. Solte wider Vermuten der* Status Imperii *nur in etwas ſich beſſer anlaſſen; ſoll es geliebs Gott an meinen Fleiſs nicht ermangelen; würde mich auch erkünen, I. Keyſerlichen Majeſtet das* opus perfectum *allerunterthanigſt zue conſecriren: Zuemahlen Ew. Hochgr. Excellentz Herr Vatter durch den Herrn Grafen von* Windiſchgrätz *vorlängſt ſolches*

hat

hat geraten. Inzwiſchen bitte demütig, Ew. Excellentz mit dero hohen Gnaden geruhe mich ferner zu befehligen, auch bey guter Gelegenheit dero Hocherwehnten Herrn Vatter meine Deuotion zur recommendieren: geſtalt hingegen ich bin

Ew. Hochgr. Excellentz *allemahl dienſtergebener Knecht* Hermannus Conringius.

Inſcriptio literarum:

A Son Tres Illuſtre Excellence Monſeigneur Seigneur Comte de Lamberg, Ambaſſadeur Imperiale preſentement à Berlin.

CCCCXCIX.

Conringius cum Dn. *ab Hornigk* * de ſcriptis ſuis agit.

Helmſtad. d. 6. Octobr. 1681.

Etiam ego doleo, negatum mihi fuiſſe, cum in comitatu Illuſtriſſimi Domini Cæſarii Legati hic viueres, tuum colloquium. Quamuis enim ſenio et perpetuis morbis quaſi confectus ſim, eoque minus idoneus hoſpitibus, qua decet ratione, excipiendis; fuiſſet tamen aduentus tuus gratiſſimus, imo refocillationi. Quamuis autem ea felicitate non licuit frui; conſolantur tamen me literæ tuæ, plenæ inexſpe-

* Hoc quoque viro, Conſiliario poſt Paſſauienſi et ad Comitia ablegato, familiariter vſus eſt *Leibnitius*: quod eius literæ oſtendent.

ſpectatæ, nec commeritæ, beneuolentiæ. Nec enim dubito, illas eſſe ab animo candide erga me affecto profectas: quem integrum mihi ſeruari, etiam atque etiam rogo. Illuſtris Domini Baronis *Boineburgii* p. m. laudatione ad mea de rebus germanicis ſcripta te adductum, eorumque lectionem haud fuiſſe inutilem, impenſe gaudeo. Vtrum autem mea omnia illa in manus inciderint, dubito, quia illorum quoque, quæ typis ſunt publicata, bona pars pridem venalis eſſe deſiit; reliqua hactenus ſunt inedita, nec fortaſſis vnquam perficienda, vt quidem hodie ſeſe habet Germaniæ ſtatus miſer, atque talium apud eos, quibus reipublicæ cura incumbit, contemptus. Quæ de Francorum origine et vetere republica aliquando ſum commentatus, vt expolita edam, vetant, quas modo adduxi, rationes. Et vero nullum fuerit pretium operæ. Vſque ſane adeo talia me mouent, ne quid diffitear, vt ne quidem illud, quod iam vulgare incepi, operis de *Finibus Imperii ſupplementum* hoc rerum ſtatu temere ſim perfecturus, quia videlicet Imperii finis vltimus videtur imminere, et priſcorum iurium commemoratio apud alios riſum; apud alios offenſam loco præmii ſit paritura. Quæ non tantum de Hiſpania, ſed reliquis etiam hodiernis mundi rebuſpublicis quondam diſſerui, iam tum Geneuæ ante aliquot annos quatuor tomis vulgauit. *Oldenburgerus.*

Ne-

Nolim tamen a quoquam æſtimari, niſi addito meo proprio *Admonitionis* libello. Nec enim ſuppoſititium illum fœtum agnoſco: viuo etiam ea tempeſtate, vbi non licet animi ſententiam libere profiteri. Quod *Neſſelii* ** operam mihi velis commendare, ago gratias. Forte propediem illa mihi erit vſui. Vale interim, Nobiliſſime Domine, et perge fauere tui ſtudioſiſſimo *Hermanno Conringio.*

Inſcriptio literarum:

NobiliſſimoDominoPhilippoGuilielmo abHornigk, Illuſtriſſimo D. Legato Cæſareo à Secretis. Berolin.

D.

Conringii memorabilis epiſtola, ad *P. Wolffium* S. I. Presbyterum data, qui Helmſtadii ad ipſum inuiſerat.

Helmſtad. d. 6. Octobr. 1681.

Plurimum Reuerende Domine,
et in Chriſto Frater venerande.

Ex quo me morbis et ſenio prope confectum heic inuiſere es non dedignatus, non excidit quidem memoria tantæ beneuolentiæ, imo ſolamini aliquo modo ea fuit. Multum tamen creuit, quam debeo, gratitudo, poſteaquam literis quoque animum teſtari tuum, quem non ſum commeritus, voluiſti. Et vero, quas Illuſtriſ-

ſi-

** Scilicet hic *Lambecio*, d. $\frac{24.\ \text{Mart.}}{5.\ \text{April.}}$ 1680. defuncto, in præfectura bibliothecæ Cæſareæ ſucceſſerat, cui loco *Leibnitium* quoque imminuiſſe alibi videbimus.

ſimi Domini Legati clementiſſimæ epiſtolæ adiunxiſti, recte accepi; etſi iuſto ſerius, Kalendis nimirum demum Septembribus: quo tamen tempore lecto me affixum et ſuprema exſpectantem morbus attinebat. Quas in tuis cumulaſti mei laudes, adſcribo ſummo tuo fauori, quia excedunt modum. Pridem didici modulo me meo metiri, conſcius, quantum mihi deſit ad vere promeritam laudem; etſi ſimul Deo agam gratias pro cœleſtibus mihi præſtitis innumeris beneficiis. In iis, fateor, nihil mihi eſt acceptius, quam quod me, æternæ ſalutis dies noctesque tot inter huius ſeculi diſſidia omni vita ſumme ſollicitum, in illa via retinuerit, quæ cum conſcientiæ tranquillitate extremo iudicio diuino poſſit ſiſtere. Nec enim cum vulgo hæ curæ me quaſi obiter occupauerunt; ſed ſepoſitis huius mundi ſiue illecebris, ſiue incommodis, omnique et parentum et amicorum auctoritate aut exiſtimatione. Quorum omnium Deum teſtem inuocare, non dubito. Diſſentientem quenquam abſit, vt oderim, aut inſecter. Miſeret me eorum omnium, eorumque meliorem inſtitutionem Deo quotidie precibus meis commendo. Tantum abeſt, vt ego quidem in Dei ſummum iudicium me ingeram; prohibitus præſertim ſeruum alienum iudicare. Quin imo hic dum viuimus omnes, nihil mihi acceptius fuerit, quam ſaltem pace frui ciuili omnes, qui religionem natura notam,

qu-

qua par eſt ratione, colunt et exercent. Non me fugit quidem, quam ab illa ſententia hodie abſint plerique ſectis ac diſſidiis toti addicti; ſpero tamen, libro *de pace ciuili inter Imperii ordines religione diſſidentes* ſaltem Germaniæ noſtræ recte me conſuluiſſe. Præſertim cum videam, contrariis opinionibus, ne alia tangam, Hiſpaniam, Poloniam et nunc Hungariam tantum non ad incitas pene redactam, idemque fatum imminere Gallicæ inuſitatæ tyrannidi. Haud dubito, plurimum Reuerende Domine, in eandem mecum ſententiam ſaltem hac parte te etiam conſenſurum, modo ſepoſito amore et odio librum illum meum expenderis, in quem Societatis tuæ nemo hactenus fuit auſus calamum ſtringere. Expertus nimirum ſum, et iudicio te valere ſimul et animi æquitate. Illuſtriſſimo Domino Legato, rogo, me porro quam officioſiſſime commendare ne ſit moleſtum. Longe autem erit gratioſiſſimum, ſi perrexeris fauore me tuo proſequi. Ego, quamdiu vixero, et ipſo extremo omnium die, manebo tuæ plurimum Reuerendæ Dignitatis obſeruantiſſimus cultor *H. C.*

Inſcriptio literarum:

Plurimum Reuerendo Nobiliſſimoque Domino, *Friderico Ladislao a Ludinghauſen*, dicto *Wolff*, S. I. Illuſtriſſimo Legato Cæſareo a Sacris. Berolinum.

INDEX

INDEX.

A.

Academicæ antiquitates Conringii recuſæ. pag. 1386.
Ackenhauſen *Chriſt. Dietericus* quis? 1394.
Acta ſanctæ Perpetuæ. 1094.
Actorum Senatus Parnaſſici auctor, quis? 962.
Adami *Adamus*. 123. latet ſub nomine Humani Erdmann. 804.
Adamus Bremenſis. 843.
Agylæus de inauguratione Philippi II. 271. 284.
Æmilius *Paulus*. 537. 574.
Ærodius *Petrus*. 131. 874.
Æſcatius in Grotium. 1269.
Aizema *Leo ab*. 1308. eius epitaphium. ibid.
Albericus Gentilis. 343. 347.
Albertus de Albertis. 337. 930.
Albizius Cardinalis. 1169.
Alciatus. 377.
Alegambe *Phil.* S.I. 771.
Alexander VII. Papa. 316. 678. 685. 699. 708. 712. 389.
Alexandri, Legatus Ducis Br. et Luneb. 646. 663. 664. 665. 667. ſq. 701. 706. 762. 787. 889. 1064. 1072. 1129.
Allatius *Leo*. 174. 337. 368. 377. 378. 395. 520. 662. 1093. 1098. 1166. 1168. eius Græcia Orthodoxa. 385. Conſenſio Orientalis cum occidentali eccleſia refellitur. 399. indiculus editorum. 517.
Alphabetum Naturæ. 1094. 1100.
Alſtedius *Io. Henr.* 338. 396. 983. 985. de eius encyclopædia iudicium Conringii. 356.
Amundus Verus, eſt Chryſoſtomus *Egenfeldius*. 839.
Anaſtaſius Bibliothecarius emendatus. 514.
Anatomia Ieſuitarum Scioppii. 695.

Andlo *Petrus ab.* p. 1318.
Andreas Vngarorum Rex. 270. ſq.
Anglicana ſtudia. 1212. 1223.
Anon. Galli Prænotiones Iuris Canonici laudantur. 1137.
- - Remarques ſur la Lorraine etc. 872.
Antonius Viricus, Dux Brunſuic. et L: 639. 1161. 1219. 1465.
Apoſtolica ſedes diſtincta a curia Romana. 834.
Apocrypha ſinceritati fidei officiunt magis, quam proſunt. 377.
Aquilius de concilii Tridentini ſcriptoribus. 967. 982.
Aquinas *S. Thomas.* 461. huius doctrinæ auctoritas. 685.
Aquiſgranenſis pax. 1220 huius pacis ſubſcriptio. 1271.
Aratus. 741.
Arborum cortices ſcripturis inſeruiunt. 919.
Archicancellariatus Moguntinus. 1087.
Archiuorum notitia non temere euulganda. 957
Archiuum Moguntinenſe, num a Suecis ſpoliatum? 959. 1017.
Archontologia Coſmica. 945. 954.
Ariſtides 1070. 1075.
Ariſtoteles. 258. 354. 562. 564. 570 996. 1046. eius Politica a Conringio noua ratione edita. 156. 174. 179. Conſecrata Electori Moguntino. 188. in eius Philoſophia morali deſiderata Boineburgii et Conringii. 474 484.
Arminius *Iacobus.* 809.
Arnaud *Antoine.* 1380.
Arniſæus *Henning.* 456. 539. 938.
Arundeliana marmora. 1082.
Aſchmol *Elias.* 1354. 1356. 1359.
Athei in Italia fiunt per accidens. 151. ſq.
Atheiſmus Italis impactus. 145. 149. 151.
Atheorum Germania non expers eſt. 149.

Avaux

Avaux *Comes d'* p. 482.
Aubertini Euchariſtia. 774.
Auberius. 872. 922.
S. Auguſtinus. 552. 700. 721. 781. ſq.
Auguſtinianæ regulæ. 623. 634.
Auguſtiniano cuidam a Ferdinando Imp. hiſtoriographi munus defertur. 1009.
Auguſtus Dux Brunſu. et Luneb. 381. 555. 646. 658. 1164. 1177. ſq. eius admiranda et elogium. 530. ſagacitas. 785. ſq. obitus. 1179. imago Helmſtadii æri impreſſa. 1136.
Auerſperg *Io. Weichard* Comes. 67. 117. 1290. Romanorum Regis educator. 423. S. R. I. Princeps creatus 1297
Auerſpergius *Wolfg. Engelbert.* 1298.
Aulica vita. 1473 ſq.
Aurea bulla. 186. 219. 224. 226.
Auri factitii laminam vidit Morhoſius. 1352.
Auſtriacæ domus potentia. 226. 232. 1187. eius præcellentia nutat. 1288. potentia ne creſcat Galliæ intereſt. 312.

B.

Bachouius *Reiner.* 459. 755.
Balduinus *Franc.* 505. 755.
Banii, Nuntii Apoſtolici, effatum de Pariſ. Regia conciliorum editione. 882.
Barberinus Cardin. *Franciſc.* 478. ſq. 684.
Barclaius *Io.* 505.
Barclaiorum in Scotia fama. 507.
Barlæus *Caſp.* 740.
Barnefeldius. 1003.
Baronius *Cæſar*, rerum Papalium amplificator. 540.
Barralis *Vincentius.* 548.
Barrenſis Ducatus. 787.
Barrum. 827.
Barthius *Caſp.* 337 394. 1040. 1048. 1068. 1302 eius edenda. 752. ſcripta poſthuma. 1073. 1080.

Bartholini *Thom.* Inſcriptiones veteres. p. 1302
P. Bartholomæi vaticinia. 793.
Batauorum antiquitas, libellus Grotii. 1004.
Bayle *Petrus*, 140. 490. 497.
Becanus *Mart.* 443.
Becker *Guil.* 486.
Beda. 1309.
Benedicta Palatina, coniux Io. Friderici D. Br. et L. 1219.
Bellarminus *Robertus.* 321. 325. 507. 715. 724.
Bellay *Ioh. du* 506.
Bellorius *Io. Petr.* 1094.
Bertramus *Bernard.* 1302
Berneggerus *Matthias.* 953.
Bernhardus Epiſc. Monaſt. 1290.
Beſoldus *Chriſtoph.* 486. 938.
Betſius *Ioh.* Socinianus. 1310.
Beueregius *Guil.* 1318.
a Beuningen. 1309. 1315.
Biblia ſacra ex verſione *Vtenbergii.* 429.
Biblia Tigurina. 751.
Bibliorum verſio Auguſta vernacula. 1333. ſuppreſſa. 1465.
Bibliographia militaris. 934. ſq. 940.
Bibliographiarum ſcriptores. 335. ſqq.
Bibliotheca Wolffembuttelenſis. 832. eius catalogum edi exoptat Boineburgius. 407.
-- quid editionem impediuerit. 516. 406. 409.
Bignonius *Hier.* 738. ſq.
Bigotius *Emericus.* 1102. 1300.
Binnius *Henr.* 947. 950. 963. 965. 980.
Biörnclauius 836. 1137. voluit *Grotii* epiſtolas publicare. 1040.
le Blanc *Auguſt.* 589.
Blancanus *Ioſeph.* 16.
Blaev *Ioh.* et *Corn.* editores operum Grotii. 732. 735.
Blaev *Ioh.* Atlas. 803. 811.
Blomius ſeu Blumius *Reinoldus* 24.
Blondellus *Dauid* 51. 196. 207. 338. 506. 620. 717. 774. 828. 872. 923. 1050 1056. ſq.

ſq. p. 1064. 1071. eius obitus. 107.
Blumius *Henr. Iulius*, alias *Florus*, S. S. Antiquitatum Profeſſor in Acad. Iulia deſignatus. 42.
-- Boineburgii exemplo ad eccleſiam Pontificiam tranſit. 42. 43. 71.
-- cum ſuis principibus ex Italia redit. 54.
-- vna cum Boineburgio Auguſtam Vindel. vadit. 73.
— huius amicus e paucis chariſſimus. 121.
— Conringii ad eum literæ. 77.
— gaudet gratia Electoris Moguntini. 91. 129.
-- eius indoles 434. 438. 535. 997. 1000. ſq. 1004.
-- defectionis ſuæ cauſſam reddere non poteſt. 95. 1417. 777.
— ſplendore aulæ decipitur. 437.
— in cauſſa Moguntina libellum adornat 135. 165. 184. 186.
-- ad excutiendum tabularium Moguntinum commendatur. 137. 139. 143.
Blumius *Henr. Iul.* ſpretis ſtudiis altiora affectat. 428. 927.
-- degit Viennæ. 229.
— in aula Regis Galliæ. 290.
-- abit Romam 369. 379. 410. 688. 705.
-- Boineburgii conſilia ſpernit. 388. 425.
-- laudatur eius pietas et intelligentia. 389. 425.
-- redit Viennam. 535.
-- ---- Moguntiam 577.
-- adfert quædam Allatii. 597.
-- eius dignitas. 978.
-- notatur. 790. 1024. 1027. 1030. 1032. 1078.
— comparatur cum Lambecio. 1025.
Bochartus *Samuel* 396. 1040. 1049.
- - eius obitus 1121.
Bodinus *Io.* 131. 423. 456. 538. 620.
- - eius arcana ſublimia 848 873. 881. ſq. 899. p. 947.

pag. 947. 963. 966. 1119. 1350.
Bodinus *Io.* iudicium Boineburgii de eius dialogis. 853.
-- opus de republica. 1121.
-- ſcripta. 1123.
Bœclerus *Io. Henr.* 331. 499. ſq. 528. 539. 593. 755. 880. 882. 884. 889. 889. 953. 972. 977. 985. 996. 1002. 1082. 1087. 1089. 1092. 1096. 1103. 1177. 1184. 1188. 1192. ſq. 1220. 1261. 1279.
-- Vpſaliæ male habitus. 14.
-- labores hiſtorici. 100.
-- laudatur. 759. 763. 841.
-- Argentina meditatur diſceſſionem. 482.
-- cum Kifero et Tabore male ei conuenit. 482.
-- auctor actorum Senatus Parnaſſici. 962.
-- eius de Hiſtoria receſſuum imperii ſcribenda ſententia. 1012.
-- hanc hiſtoriam parat. 890.
Bœclerus *Io. Henr.* notæ in Grotium. 968. 1025. 1031.
-- indoles. 1037.
-- de Pufendorfiano inſtituto iudicat. 1050. ſq.
-- in Pufendorfium acrior. 1071.
-- de S. Rom. imperio commentatur. 1055. 1057. 1062.
-- Conſiliarii Moguntini titulo ornatur. 1148.
-- Boineburgio filiæ nuptias gratulatur. 1222.
-- obit. 1121.
Bœhmer *Iuſt. Chriſtoph.* 333 975.
Bohnius. 471. ſq. 483. 489.
de Boineburg *Io. Chriſtianus*, Conſiliarius Haſſiacus Landgrauii Ioannis. 18.
-- vocatur in aulam Friſicam. 26. 31.
-- molitur tranſitum ad Pontificios. 34. ſqq 65. ſq.
-- Conringii ex eo dolor. 38. 71. 96.
-- fluctuans eius circa ſacra animus. 39.
de

de Boineburg *Io. Chriſtianus* quæſtiones tres circa religionem Conringio proponit. p. 50.
-- tenerrimum in Conringium affectum teſtatur. 56. ſqq. 647.
-- fit Conſiliarius Moguntinus. 70. 93.
-- quibus ſtudiis delectatus. 17. 1172. ſq.
-- eius ingenium, vacat otio literario. 362. 396. 466. librorum notitia. 926-931. 934.
-- pro Cathedra defendit librum de Germanorum Romano imperio 85.
-- Ariſtotelis Nicomachica in deliciis habet. 342.
-- Eques creatus Ratiſbonæ a Ferdinando IV. 93.
-- eius opus de vſu errorum in rep. 1195.
-- calumniæ ob eius defectionem ortæ. 98.
-- Conringium a controuerſiis Theologicis reuocat. 102. ſqq. 649. 661.
de Boineburg *Io. Chriſtianus* commendat Conringio cauſſam Moguntini in Regibus coronandis. 116. ſq. 122.
-- placet ei Conringii Aſſertio iuris Moguntini conſecrandi Reges. 128. ſqq.
-- flagitat Conringii librum de eccleſia, it. de ciuili prudentia. 62. 79. ſq. 90.
-- non ſine exceptionibus in fide Pontificia vixit. 777.
-- hortatur Conringium ad Scioppianam pædiam illuſtrandam. 780.
-- per iocum demonſtrat, Conringium eſſe catholicum. 195. ſq. 262.
-- negat Rudolphum II. Imp. a Saliſburgenſi fuiſſe coronatum. ib.
-- in lite Colonienſi opem poſcit Conringii. 159. 160.
-- negat, litem illam poſſe deferri in Curiam Romanam. 165.
-- mittit eidem Petri Streit-

Streithagen ſcriptum confutandum. p. 180.
de Boineburg *Io. Chriſtianus* ſpondet editionem Caſtigationis Colon. 189.
-- eam mittit typis expreſſam. 191.
-- hortatur Conringium, vt pro Bauaro calamum ſtringat 223. 244.
-- in cauſſa Gryphiandrina conſilium ſuppeditat Conringio. 228.
-- inſtat pro vicariatu Bauarico. 237.
-- refutat Conringii argumenta pro ſeceſſione ab eccleſia Romana. 561. ſq.
-- Conringio memorabilem Salmaſii epiſtolam mittit. 737.
-- Boineburgio non ſatisfaciunt exempla clauſulæ commiſſoriæ 279.
-- inclinat in Conringii ſententiam. 285.
-- promittit operam in Grotii librum de Iure belli. 283.
-- exquirit Conringii ſententiam, quomodo bellum euitari et lis de Vicariatu componi poſſit. 296.
de Boineburg *Io. Chriſtianus* reditum in patriam a Pyrenæis montibus ſignificat. 319.
-- imminet S. R. I. Procancellariatui. 1. 317.
-- adiumenta flagitat in lectione Grotii. 328.
-- mittit Conringio Chambræi quædam. etc. 332.
-- Conringii notas Grotianas ſibi expetit 342. 392. 400. 755.
-- ſuadet, vt Cardinali Mazarino librum de ciuili prudentia dedicet. 398. 402. 420. 423. item vt Palatino conſecret. 560.
-- optat videre catalogum bibliothecæ Ducis Auguſti. 406. ſq. 428. 431.
-- probat propoſitum Conringii de ſibi inſcribenda epiſtola de bibliotheca Auguſta. 448. 453.

de

de Boineburg *Io. Chriſtianus* gratulatur Conringio Conſiliarii munus. p. 448. 453.
-- ſententiam ſuam de partibus omnibus iuriſprudentiæ et politices etc. exponit 453. ſq.
-- Vorburgii elogium viget. 454.
-- inuitat Conringium ad literarum commercium cum Petro Wälenburchio. 545.
-- agnoſcit Comitiorum neceſſitatem. 469. 510.
-- eius de Comitiis parum certis ſuſpiciones 906. ſqq.
-- incuſat negotiorum comitialium difficultatem. 1130. ſq.
-- eius in Morali Ariſtotelis Philoſophia deſiderata. 474.
-- Concuſſioni fidei Conringianæ minatur. 485. 498. 504.
-- optat, vt G. Titius opus vnionis adgrediatur. 499.
-- Conringii Lampadiana vrget. 519. 564. 593. 616. 645.
de Boineburg *Io. Chriſtianus* monet, quomodo Lampadiana adornanda. 555.
-- eius de Lampadio iudicium. 556.
-- Lampadianis fauentem Lucinam precatur. 901.
-- anxium de re Germanica animum oſtendit. 522.
-- in manus eius peruenit Grotii commentarius in N. T. notis MSS. auctior 537. 549.
-- meditatur iter in Galliam. 550.
-- Grotium in fide Pontificia obiiſſe contendit. 752.
-- zelus in ſacro negotio 611. 616. 987.
-- Iuriſpublici ſcriptoram cenſuram a Conringio ſibi expetit. 633. 645. 650.
-- proponit Conringio Grotium imitandum. 754.
-- eius ſcriptorum iuriſp. recenſio 617. ſqq.
-- Duci Auguſto mittit

Milleterium de pace eccleſiæ. p. 766.
de Boineburg *Io. Chriſtianus* vrget bibliothecæ Auguſtæ indicem. ibid. 407. 420.
-- exquirit Conringii ſententiam de alienatione Lotharingiæ. 768. 880.
-- Conringio exprobrat Arminianiſmum et Sociniſmum. 770. ſq. 809.
-- cuius eum pœnitet. 780. ſ.
-- laudat Conringii literas. 806.
-- de Pufendorfii elementis flagitat Conringii iudicium. 385. 387 393 397. 400.
-- eius deſideria literaria 393. ſq. 1382. ſq.
-- alter ei filius natus. 658.
-- eius de Bodini dialogis iudicium. 853.
-- Conringium impellit in Rebhanium. 921.
-- mittit Walenburchicum librum. 924.
-- ægre fert diſceſſum legatorum Brunſuic. 952.
de Boineburg *Io. Chriſtianus* ſcriptores politices practicæ noſcere geſtit. 985.
-- optat vt *Barthii* inedita ſumtu Auguſti Ducis Br. et Luneb. edantur. 1081.
-- Francofurtenſis conuentus diſſolutionem deplorat. 1065.
-- Ratiſbona reuerſus cuſtodiæ traditur 1143.
-- carceris hiſtoria. 1153. ſq.
-- e carcere honorifice dimiſſus. 7. 1156. ſq.
-- in Conringio laudat officium amici. 1158.
-- iter in terras Brunſuicenſes meditatur 1162.
-- Auguſti Ducis obitum plangit. 1179.
-- laudat priuatam vitam. 1171.
-- Hanoueram accitum ſe iri ſperat. 1181.
-- refutat rumores de ſe ſparſos. 1192.
-- Coloniam iter facit. 1186.

de

de Boineburg *Io. Chriſtianus* Legatus in Poloniam. p. 1261. 1263. 1274.
-- ex Polonica legatione infortunatus rediit. 1276.
-- temporum triſtitiam deplorat. 1201. ſqq.
-- Electori ſuo reconciliatur. 1206. 1215. 1269. 1273.
-- filiæ Mariæ Sophiæ nuptiæ. 1272.
-- ſocer iunior Schönbornius. 1218.
-- demonſtratio politica pro eligendo Rege Poloniæ. 1262.
-- morbo coniugis afflictus. 1331.
-- initiis quibuſdam aſthmaticis tentatur. 1388.
-- eius mors. 1388.
-- vitam quis ſcripſerit? 1097. 1389.
Bolduanus *Paul* 395.
Bona *Iob.* 1174.
Bonnus *Herm.* vertit latine Chronicon Carionis. 1414.
Bopart *Arnoldus a* 300.
Bornitius *Iacob* 1282. 1286.
Borrichius *Olaus* 1282. 1286.
Boſius *Io. Andr.* 953. 1096 1102. 1299. ſq. illuſtrauit Bellarminum de ſcriptoribus Eccleſ. 1300.
-- eius circa Ioſephum cura. 1137. vnde impedita. 1303.
-- nactus eſt Reineſianas reliquias. 1301. quænam illæ. ibid.
Boxhorn *Marcus Zuirius* 456. 484. 539. 930. 938. 983. 985. 1004. 1024.
Boyle *Rob.* 1212. 1224. 1353.
Brachelius *Io. Adolph.* 1034.
Brautlacht *Ge.* 486.
Bremenſium inſolentia notatur 510.
Brendel *Daniel a* Archiep. Moguntinus 207.
Briennæ Comes. 432. 482. 489.
Brioſius. 1062. 1068.
Bromptonus *Io.* 1452.
Browerı *Chriſtoph* Treui-

uirenſia ſuppreſſa. p. 935 943. 954.
Browne *Thomas* libri: Religio medici; auctor. 140.
Brunſuicenſis vrbis obſidio. 1332.
-- ob hanc Ducum ad vicinos Reges epiſtola. 1334.
Brutus *Mich.* 943.
de Bruyn *Io.* 1318.
Bucelinus *Io.* 642. 645. 1097.
Bulla *In cœna Domini* non vbique recepta. 443.
Buno *Io.* 1172. 1174.
Burkardi *Franc.* 619.
Burckhardi *Iac.* 440.
-- eius hiſtoria biblioth. Auguſtæ. 471. 500. 833. 877. 989. 1178. 1292.
Burgundus *Nic.* 711. 721.
Burgoldenſis. 1197. 1706.
Burmannus *Petr.* 625. 644. 744. 1111. 1124.
Buſſier *Io. de* 537. 550. 571. 935. 943. 954. eius Hiſtoria Francica elegans. 571.
-- epitomator Adr. Valeſii, Dupleixii, Meseraii. 572.
Buſmann *Io. Eberh.* 1465.
Butlerus, nobilis Hybernus, alchymiſta. 1359. ſqq. eius diuitiæ per artem Chemicam paratæ. 1361.
Buxtorf *Io.* 337.
Byzantinæ hiſtoriæ ſcriptores. 1139.

C.

Calixtus *Georg.* 26. ſq. 38. 51. 92. 109. 160. 498. 720. 1394. 1404. 1407.
-- ei iurgia mouentur 52.
-- laudatus 55. 59. 72. 89.
-- eius Apparatus. 181. 188. 204.
-- de Henr. Iul. Blumio epiſtola. 777.
Calixtus *Frid. Vlr.* 111. 141. 540. 974. 1184.
Calouius *Abrah.* 1185. 1189. 1299. 1462.
Calouiana indoles. 1427.
Caluinus *Io.* 773. 809. 881.
Caluiniani quidam Dordracenas ſententias perſtringunt. 503.
Caluiſius *Sethus* 844.

Camerarius *Ludou.* p. 814. 819. 836.
Caniſius *Henr.* 1173.
Campanella *Thom.* 538. 816. 854. 869. 939.
Camus. 715.
Capellanus *Io.* 600. 1111.
-- eius vitæ potiora 1113. ſqq. 1122. ſq.
-- obitus. 1124.
-- Regis Galliæ miniſter. 1446.
Capitulatio Cæſarea num auctoritate ordinum promulganda 247. ſq.
-- quæ ei inferenda 265.
Capitulatio perpetua. 1119. 1142.
Caraffa rerum Ferdinandearum ſcriptor. 1034.
Caramuel a Lobkowiz *Io.* 772.
Cardanus *Hier.* 816.
Carionis Chronicon. 1414.
Carlilius Angliæ Legatus 1310.
a S. Carolo *Ludou. Iac.* 337.
Carolus IV. Imp. 275.
Carolus V. Imp. 220. 270. 275. 1007.
Carolus Guſtavus Suediæ Rex. 902.
Carolus Ludouicus Elector Palatinus. 1364.
Caroli Lotharingiæ Ducis pactum cum Rege Franciæ 767.
Carolus Senior Lotharingiæ Dux inquietus 1324.
Carolus iunior Lothar. Dux aſſenſionem ſuam denegat conuentioni de alienatione Lotharingiæ. 767. ſq. 853.
-- eius indoles. 803.
-- Moguntiæ degit 858.
Carpzov *Bened.* 461.
Carrerius *Alexand.* 507.
Carteſius *Renatus.* 85. 328. 578. 1025. eius Phyſica non probatur 341.
Carthaginenſes nummi. 576.
Caſaubonus *Iſaac.* 368.
Caſaubonus *Mericus* 1357.
Caſelius *Io.* 463. 476. 539. 937. 970. 1467. 1476. 1472. laudatus 1469.
-- de ſuis in Principes iuuentutis ſtudiis 1472.

Io. Caſimir. vide lit. I.
Caſlæus *Dauid.* p. 917. eius de medii æui ſcripturæ differentiis diſſertatio. ibid.
Caſſander *Georg.* 202. 505. 554. 569. 714. 818. 834. emendatus 315.
Caſſius *Chriſt.* Legatus Epiſcopi Lubecenſis. 66. 69.
-- ei Boineburgius quæuis officia ſpondet. 73. 76.
Caſtro *Alphonſus a* 370.
Caſus Conſcientiæ qui elaborant, multa ex iure Canonico petunt 340.
Cauſſinus *Nic.* Ieſ. 614.
Cautio catholica circa miracula etc. 1366.
Cellarius *Balth.* 46. 111. 540. 983. 1024. 1057.
Cellus. 804.
Ceratarum tabularum vſus. 920.
Ceriſier *Renatus.* 537.
Chambre *Marinus Curæus Dn. de la* 334. laudatus. 335.
-- eius librorum quorundam recenſio. ibid.
-- notationes in II. librum Aphoriſmor. Hippocratis. 343. 345. ſq.
Chamier *Daniel* 51.
Chartaceorum codicum initium. 877.
Chemnitius *Bogiſlaus Philipp.* auctor libri *de ratione ſtatus.* 19.
-- hiſtoriæ belli Suecici. ibid.
Chifletius. 539. 828.
Chinenſes literæ. 1100.
Chilonienſis Academiæ facies a. 1671. p. 1342. ſqq.
Chilii. 1126.
D. Chriſtiani. 881.
Chriſtina Suediæ Regina. 140.
-- illius libri manuſcripti. 1002.
-- ad Atheiſmum eam flexit If. Voſſius 1019.
Chriſtoph. Philipp. Elect. Treuir. 935.
Chronicon Hildeſheimenſe MSS. 361. de eo Conringii iudicium 362.
-- Magdeburgenſe 1414.

Chro-

Chronicon Riddageſhu-ſenſe. p. 842.
-- Schaumburgo-Holſaticum MS. 361.
-- Vrſpergenſis Abbatis. 1447. ſq. 1449.
Chryſoſtomi homiliæ Græcæ, literis capitalibus ſcriptæ. 694.
Cicero. 354.
Cippi Hottingeri. 575.
Clapmarius *Arnold* 456.
a S. Clara *Franc.* 714.
Claramontius *Scipio* 1146
P. Claudii Reſponſio contra Arnaldum de opinionibus Græcorum. 1454.
Clauſula commiſſoria num capitulationibus inſerenda? 264.
-- non probantur exempla a Conringio adducta. 279.
-- Reges ſuos per clauſulam dictam obſtrinxiſſe populos Germanicos contendit Conringius. 280. ſq.
-- Nuntii Apoſtolici obiectiones. 289.
-- Conringii de iis iudicium. 290.
Clemens *Claudius.* 337. 1039. 1048. 1060.
Cluuer *Phil.* 645. 649. 653. 1172.
Cluuerus *Io.* 1025.
Codex Ludouicianus. 1226.
Codicum manuſcriptorum vetuſtas quomodo dignoſcenda? 693. ſq.
Codicum veterum diſcretio. 850.
Cörber *Caſp.* 526.
Cocceius *Io.* 1311.
Cocus *Robert.* 338.
Colbertus Regis Galliæ miniſter ſtatus. 1220. 1325. 1443. 1445.
-- obtulit Conringio Regium munus. 1429.
Colerus *Chriſtoph.* 900.
Colonienſis Electoris controuerſia cum Moguntino circa Coronat. Regiam 81. 186. 191. 200.
Comenius *Io. Amos* 538. 1095.
-- de eius Ianua Conringii iudicium 1099. ſq.
Comitia nouiſſima in herbis. 446. ſq. 449. 520. 487. 493. 509.

p.

p. 511. 536. 671. 675. 976.
Comitialium legum hiſtoria 1037.
Communio cum Romana curia num poſſit obſeruari? 492.
Concilia Africana collecta a L. Holſtenio. 514.
Concilia Romana. 515.
Concordia eccleſiaſtica. 545.
Conceſſio Conringii parum probatur Boineburgio 775.
Condæus 496.
Conerdingius 1418.
Conradus, Abbas Vrſpergenſis, num ſit plagiarius? 1447. 1449. 1451.
Conringius *Hermann.* e Suedia redux 13.
-- in Friſiam iter parat. 21. 243.
-- e Friſia redux. 253.
-- cogitat in Sueciam redire, et abdicare ſpartam Academicam. 23. ſqq.
-- ſed non dimittitur 25.
-- vadit Hamburgum et Stadam. 39.
Conringius *Herm.* intercedit pro Euangelicis in terris Auſtriacis 74.
-- acceptus aulæ Cæſareæ proceribus. 76.
-- eius Antiquitates Academicæ. ibid.
-- eius liber de ciuili prudentia 21. 57. 60. 110.
-- de purgatorio. 29.
-- de electione paparum 36.
-- de eccleſia 56. 99.
-- de Finibus Imperii Germanici 66. 71. 99.
-- de Germanorum Romano Imperio 85. 96.
-- Conceſſio fundamentorum fidei Pontificiæ, Blumii cauſſa ſcripta. 97. 101.
-- in Machiauellum animaduerſiones. 47. 299.
-- de Magiſtratus ciuilis officio. 74.
-- introductio in artem Medicam a Scheffero curata. 89.
-- defendit ſe contra zelum Boineburgii. 99.
-- eius de libris combuſtis iudicium. 101.

Conringius *Herm.* cum Boineburgio redit in gratiam p. 113. ſq.
-- Diſſ. ad l. 1. Cod. Theod. de ſtudiis liberalibus V. R. et C. 114.
-- eius libri politici deſiderantur a Boineburgio 118. in politicam doctrinam ſtudium. 131 144.
-- mittit Boineburgio libellum pro cauſſa Moguntina 124. ſq.
-- ad Dn. Electorem Moguntinum literæ 127. ſq.
-- ab eo vino donatur 129. 133.
-- Aſſertio iuris Mogunt. Francofurti excuſa 132.
-- petit veniam recudendi Aſſertionem ſuam Helmſtadii 133.
-- huius ſcripti noua editio 154.
-- commendat Blumium ad curandum tabularium Moguntinum 137.
-- Italis atheiſmum impingit 145.

Conringius *Herm.* contra ſententiam Boineburgii 149. ſq.
-- ſuam ſententiam contra illius obiectiones defendit 156. ſq.
-- latet ſub Cyriaci Traſymachi nomine 168.
-- mittit Boineburgio caſtigationem ſuam, ſub larua Romanenſis auctoris edendam 182. ſq. 191.
-- Sedis Moguntinæ dignitatem promittit defendere 187.
-- iudicium eius de lite Colonienſi circa ius coronandi Regem 162. ſq.
-- reſponſionem ad iteratas vindicias Colonienſes promittit 170. ſq.
-- libellus hic Francofurti excuſus 178.
-- cur a controuerſiis ſacris abſtinere non poſſit 202.
-- promittit Lampadii libellum de imperii rep. edendum 203. 229.
-- pictam Moguntini ima-

maginem deſiderat p. 204.
Conringius *Herm.* mittit Boineburgio hiſtoriam conclauium 210.
-- circa electionem noui Imperatoris ſuſpiciones ſuppeditat 216. ſq. 245. ſqq.
-- vrget vectigalium diminutionem 232.
-- liber de Pace Germaniæ 234. 249. 251.
-- donatur ab Electore Moguntino torque aurea 235. 242.
-- notas ad ſcriptum Colonienſe promittit 240.
-- impetrat diploma Bauaricum pro libris ſuis 249.
-- ſcriptum pro Vicariatu Bauarico adornat 256.
-- Boineburgio explicat ciuilis ſuæ prudentiæ diuitias 266. ſqq.
-- contendit, omnes populos Germ. originis lege commiſſoria obſtrinxiſſe Reges ſuos 280. ſqq.
Conringius *Herm.* iudicium de obiectionibus Nuntii Apoſt. circa clauſulam commiſſ. 290. ſqq.
-- Electionem Imperatoris differendam ſuadet 298.
-- quid in Capitulatione Leopoldina deſideret 300.
-- ſententia de vicariali lite 302.
-- arguit Boineburgium vulgatarum literarum 306.
-- libertatis publicæ defenſorem ſe porro fore ſpondet 309. ſqq.
-- male ominatur Boineburgio in cauſſa Pro-Cancellariatus S. R. imperii 317.
-- parat filiæ nuptias 319.
-- gratulatur Boineburgio fauſtum reditum in patriam 322.
-- Grotianæ lectioni alium ſcriptorem haud coniungendum putat 339.
-- iudicium de ſcriptis Grotii 349. ſq.

Con-

Conringius *Herm.* ab Oſtfriſiæ Comite euocatur p. 364.
-- eius de recta ferendarum et examinandarum legum ratione liber 380.
-- non callet linguam Italicam 381.
-- diiudicat Pallauicinianam concilii Tridentini hiſtoriam 380. ſqq.
-- cum Legato Gallico amicitiam contrahit 390. ſq.
-- de Vorburgiano opere hiſtorico iudicat 418. 627. 633.
-- laborat calculo 426.
-- de Stuckio iudicat 427.
-- dolet Blumium a bona mente abreptum 428. 437.
-- optat continuationem operis Vorburg. a Blumio 638.
-- a Gryphiandri calumnia ſe liberat 430.
-- miratur Bibliorum in vernacula ſine conſenſu Pontificis editionem. 438.
Conringius *Herm.* Epiſtola de bibliotheca Auguſta 444. 529.
-- allectus a Duce Auguſto in numerum amicorum intimæ admiſſionis 466. conſiliis eius intereſt 489.
-- illuſtrat Lampadii librum de Rep. ibid.
-- ad Lampadiana perficienda ſubſidia flagitat 529. 550.
-- ſcripta ſua extemporanea nuncupat 516.
-- Mazarini diuitias expilationem regni prodere autumat 517.
-- via ad notitiam principis Furſtenbergii 526.
-- de Eccleſiæ Græcæ dogmatibus ſcriptum meditatur 532.
-- Gallicæ linguæ imperitus 533.
-- Walenburchium aduerſarium habere exoptat 548. 551.
-- de Crucibus Neapolitanis indicat 577. ſqq.
-- nummum Franciſci Re-

Regis Galliarum explicat p. 588. ſqq.
Conringius *Herm.* Electorum prærogatiuam agnoſcit 601.
-- Proteſtantium Eccleſias defendit 605.
-- politices ſcriptorum cenſuram offert Boineb. 622.
-- in horum enarratione ſolos Latine ſcriptos vel conuerſos indicat. 939.
-- præmium a Lioneo ſe exſpectare ſignificat 624.
-- in Metrophanem præfatio olet ſtudium partium 649. 653.
-- refugit iudicium de ſcriptoribus iuris publici 651. 671.
-- obitus eius nepotis 676.
-- de Rep. Hiſpanica diſcurſus 681.
-- iudicium de Codicibus Latinis MSS. 693. ſq.
-- diſſ. de Rebuspublicis præcipuis 695. 762. 1428.
Conringius *Herm.* mittit ſyllogiſmos quoſdam Fratribus Walenburchiis ſoluendos 734.
-- Pontificiorum partibus ſe vnquam acceſſurum negat 761.
-- in negotio Religionis Grotio parum aſſimilis 770.
-- de moribus hominis politici diſſ. 766.
-- Romanam eccleſiam libere taxat 770. 781. 787. ſq.
-- impactam ſibi Arminianiſmi et Sociniſmi calumniam vlciſcitur 790.
-- in limite mortis conſtitutus 769.
-- Lotharingiam valide alienari poſſe negat 828. 830. horum argumentorum diſcuſſio 859. ſqq. 868.
-- Auguſto Duci dedicat ciuilem prudentiam 801.
-- natalem Boineburgio gratulatur 818.
-- Iſ. Voſſium Atheiſmi poſtulat 869.

Conring. *Herm.* Voſſium vidit Hamburgi p. 878
-- ex iudicio Boineburgii Conringium non omnes aſſequi valent 885.
-- de libello Gallico *Auberiano* iudicium 922. ſq.
-- de Walenburchii maledictis conqueritur 933. 940.
-- totus eſt in refutandis Walenburchiis 993.
-- reſponſum aduerſus Walenburchium 1022. 1028.
-- Hippolytanos errores in Lampadianis emendat. ibid.
-- liber de Vicariatu Palatino 999.
-- eius Muſæ errantes 975. 1136.
- - - Propolitica probantur 969.
- - - auide exſpectantur ab Electore Mogunt. 1047.
- - - de varia et maxime vera iuriſprudentia diſſ. 977.
Conringius *Herm.* a Suecis vocatur ad munus conſiliarii ſtatus 1000.
-- Lambecii et Blumii ambitiones ridet 1031.
-- iudicium de diuerſa legum Comitialium peritia 1037.
-- de Hobbeſio iudicium 1042. ſq.
-- de conatibus Sam. Pufendorfii iudicium 1044. ſq.
-- admonet Boineburgium periculi ex aula imminentis 1046.
-- de Reineſii laboribus notitia 1048.
-- Ariſtotelis cultor 1052.
-- meditatur legiſlatoriam iuriſprudentiam 1053.
-- de rebus Imperii ſententia 1069.
-- ei a Rege Galliæ donum ſubmiſſum 111.
-- Bodini arcanorum copiam nactus 1119.
-- eius de hoc libro iudicium 1120.
-- Gallo imperium Europæ ominatur 1127.

Conringius *Herm*, Gallum imperii ſceptro admoueri poſſe, ſtatuit p. 1435. 1437. 1444. ſq.
-- librum de Moguntino coronationis iure recudi facit 1128. 1143.
-- collectio libellorum de bello contra Turcas prudenter gerendo 1141. 1149.
-- nouam editionem parat libri de origine iuris Germanici 1145. 1226.
-- ob huius libri editionem plagii accuſatus 1391. 1395.
-- ei iniungitur in cauſſas ſupernatationis eorum, qui Dæmonibus ſunt fœderati, inquirere 1147.
-- inuitat Boineburgium 1160.
-- ei locum in Aula Hanouerana deſtinat 1175. ſq.
-- de Auguſti Ducis Br. et L. noua S. ſcripturæ Germanica verſione 1178.
Conringius *Herm.* Coloniam Agripp. accitus 1181.
-- hortatur Boineburgium, vt ſequatur ſe vocantem Principem 1182. 1200.
-- diſſuadet Boineburgio legationem Neoburgicam in Poloniam 1228.
-- gratulatur ei fauſtum reditum e Polonia 1263.
-- fit Conſiliarius ſtatus Danicus 1265. 1280. ſq.
-- poſt obitum Auguſti manet in ſtatione Academica 1281.
-- defendit ſuam Hermeticam ab animadverſionibus Borrichii 1282.
-- in Hermetica medicina in laudem Chriſtianiſſ. Regis quædam præfatus eſt 1441.
-- de Leibnitii conatibus iudicium 1283.
-- de ſtatu Europæ diſſerit 1288.
-- eius cum Waſmutho

tho diſſidia p. 1333
Conringius *Herm.* dolet, quod Hanoueram excurrere nequeat ad videndum Boineb. 1328. 1387.
-- nobilem iuuenem commendat Boineb. 1329.
-- edidit librum de piſcinis 1330.
-- Friſicum ingenium Conringii 1384.
-- per Lampadiana claudere ianuam conſtituit meditationum politicar. 1384.
-- eius de vniuerſæ eruditionis propagatione et ſcriptoribus commentarius 1386.
-- epiſtola apologetica contra plagium a Io. Gryphiandro ſibi impactum 1395. ſq.
-- liber de Origine iuris Germanici oppoſitus *Nibuſii* Irnerio 1411.
-- vnde prima huius libri capita deſumta 1413.
-- mittit Geſenio fundamentorum fidei Pontificiæ concuſſionem, *Blumio* oppoſitam 1417.
Conringius *Herm.* operis de Finibus Imperii publicatio 1418.
-- agit cum Comite de Lamberg iun. de ſubſidiis ad opus de finibus imperii 1482. 1485.
-- ſolatur Pufendorfium 1426.
-- ex eius de Rep. diſſertt. mutuatur Pufendorfius pleraque 1440
-- in res Gallicas nimium eius ſtudium 1429. 1439. 1441.
-- de Maris mediterranei dominio et commerciis Regi Galliæ vindicandis liber 1430. 1434. 1436.
-- monetur de ſcripto aliquo conficiendo pro Rege Chriſtianiſſimo contra Lotharingum 1436.
-- meditatur librum de Imperatoris Romano-Germanici legitima gente, patria, ætate, ſeru,

ſexu, virtute p. 1438. ſq. 1440. 1443.
Conringius *Herm.* a Rege Galliæ Saluægardiæ literas ſibi expetit 1442.
-- maleuolorum calumnia ipſum domi continet 1442.
-- ſuadet pacem 1443. ſqq.
-- iudicium de Chronico Abbatis Vrſpergenſis 1447.
-- eius res domeſticæ 1466. ſq.
-- commendat fortunas ſuas Dn. de Schütz 1479. ſq.
-- eius ſcripta aulæ Cæſareæ minus grata 1479.
-- de Francorum origine commentatio 1485.
-- vt ſapiens vir extenuat laudes ſuas 1487.
-- Germaniæ conſuluit libro de pace ciuili inter Imperii ordines religione diſſidentes 1488.
-- opera politica iunctim edita 47. ſed male correcta 959. 975. 898. 1043.
Conſcientia probabilis 1061.
Contarenus *Franc.* 1009.
Conuentus Francofurtenſis 887. 891.
--- conſeruandus 894. 898. 902.
Coſterius *Io.* 547.
Corbachius Medicus et aduocatus quondam Amſtel. 1307.
-- eius paradoxæ opiniones. ibid.
Corradi 1068.
Cordeſius *Io.* 1120. 1469.
Cornæus *Petr. Phil.* 772. 815.
Coronationis lis compoſita 235.
Coruinus *Io.* 813.
Coruinus *Arnoldus.* ibid.
Côuarruuias 350.
le Court *Pierre* 1003.
Creighton *Rob.* 1099.
Creilius *Io.* 821. 1173. 1306.
Crequius Lotharingiæ immiſſus 1324. ſq.
Creſollius *Lud.* 458.
Crocius *Io.* 27. 141.

Crom-

Cromwellus p. 141. 146. 152. 292.
de Sancta Cruce Marchio 1238.
Cruciformes apparitiones Neapoli 577. ſqq.
Cuiacius *Iac.* 459.
Cuper *Giſb.* 1319.
Curcellæus *Steph.* 810. 1172.
Curia Romana a ſede Apoſtolica diſtincta 834.
Curiæ Pontificiæ licentiam et prauos mores qui impugnauerint? 563. 594.
Cyprianus 721.

D.

Dacherius *Lucas* 1173.
Dagobertus Rex Francorum 1448.
Mr. D'alence 1380.
Dallæus *Io.* 338. 700.
Damianus *Petr.* 563.
Dapiferatus Imperii 224.
Dauity *Petrus* 938. 944. 956.
Daumius *Chriſtian.* 1302
Dee *Io.* 1356.
von Degink *Margaretha*, vxor Morhofii 1342.
Delrio *Marc. Ant.* 338. 1147.
Denaiſius *Petrus* 461.
Deputatio Imperii num Ratiſbonam transferenda? 446. 451. 526. 941.
-- tranſlationi aduerſatur Boineb. 610. 636. 650. 655. 657.
Deuſingius *Ant.* 908. 1003.
Dialogus de Polygamia 1426.
Diana *Ant.* 340.
Diarium Europæum 872.
Diephold *Rudolph.* 983.
Dietericus *Io. Conrad.* 8. 140. 209.
Digbius *Kenelmus* 539.
a Dingelſtet *Rudolphus*, Archiep. Magdeb. 1414.
Dio Caſſius 1168.
Diplomaticæ rei conditio 1458.
Ditz dictus Schlüter *Hermann.* 1476.
de Dominis *Marc. Ant.* 262. 505. 613. 686. 747. 808. 834.
Dorſchæus *Io. Georg.* 780.

Dransfeld *Iuſtus a* excitatus ad Caſelianas epiſtolas edendas p. 1467. 1741.
Duckius *Arthur.* 460.
Duncker *Arnold.* 1188. 1193 1282. 1266.
Duræus *Io.* 141. 145. 152.
Durandus 1419.
Dürrius *Io. Conr.* 661. 1319.

E.

Eccard *Io. Georg. ab* 143. 1449.
Eccleſia vera ac Deo accepta quænam? 36.
-- catholica laborat Tridentiſmo et Romaniſmo 317. 552.
-- Romanæ præconium 43.
-- in illa concordia mere politica. ibid.
-- concordiam molitus eſt Boineburgius cum aſſeclis 531.
-- Græcæ a Romana diſſenſio 609.
Eccleſiæ monarchia Hildebrandi et ſucceſſorum artibus ſtructa 712.
Echellenſis *Abrah.* 337. 395.
Edda Iſland. 1173.
Edenus, Syndicus Bremenſis 1312.
Edzardus 1327. 1329.
Egenfeld *Chryſoſtomus* 839.
Eggehardi Vragienſis Chronicon, quale? 1449. 1450.
Eiben 1291.
Eichelius *Io.* 456. 541. 727. 841 974. 1226. 1282. 1286. 1291.
Einhardus 843.
in Electione Imperatoris quæ conſideranda? 298. ſq.
Electorales prærogatiuæ 544. 593.
Electoralis res 1063.
Electorum origo 274. ſqq.
- - - - auctoritas 601.
Eliſabetha AngliæRegina 1358.
Elizalda de vera religione quærenda et inuenienda 874.
Energumeni Paderbornenſes 1372. ſq.
Eniedinus in ſcripturæ ſacræ loca difficiliora 1317.

E-

Epiſcopius *Simon.* p.790. 809.
Epiſtolæ Belgarum et ad Belgas 943.
Epiſtolographorum latinorum recenſio 954. ſqq.
Equites creandi ritus peracta Imperatoris coronatione 94.
Eraſmus Roterodamus 317. 719. 782. 816. 1470.
-- eius Paraphraſis Noui Teſt. 537. 990.
- - - Arianiſmi poſtulatus 821.
Erbermannus *Vitus* 114. 257. 324. 376. 474. 485. 506. 804. 815. 925.
Erdmann *Humanus* eſt Adamus Adami 804.
Erneſtus Haſſiæ Landgrauius 8. 1261. 1364.
-- eius tranſitus ad Pontificios 26. 35. 40 74.
- - - verus, ſincerus ac diſcretus Catholicus 1364.
Ernſtius *Henr.* 138. 921. 1172. quis? 932.
Erycius Vid. Puteanus.
Erythræus *Ianus Nicius* 377.
Eſclachius 1057.
Euangelici non niſi cum multis exceptionibus fiunt Catholici 777.
Euangelicorum propoſitio 846.
Euſebiani iudicii auctor H. Wangnereccius 753. 760. 780 804. 815.
Ewichius Veſaliæ eccleſiæ miniſter antiquitatis peritus 1304.
Exorciſta 1374.

F.

Faber *Tanaquil* 1121. 1174.
Fabri *Honoratus* 250. 257. 1161.
-- eius liber contra indifferentiſmum 258.
-- Conringii de eo iudicium 531. 551.
Fabricius *Io.* de itinere ſuo Belgico 1314.
Falconerius *Octauius* 1166.
Farneſius Cardin. 1239.
Fecialis Germanicus 948. 951. 963. 981.
Federicus Borromæus 816.

Felden *Ioannes* p. 328. 463. 539. 727. ſq. 816. 819. 820. 974. 986. 988. 1025. 1087. 1090. 1092.
-- Grotii manibus parum æquus 132.
-- promittit iuris gentium conſcriptionem 331.
-- laudatur 340.
-- eius animaduerſiones in Conringii ciuilem prudentiam 489. 497.
-- notatur 996.
Felwinger *Ieremias* 459.
Ferdinandus I. Imperator 318. 1007.
Ferdinandus II. Imp. 220. 1009.
-- monarchiam ſtruxit 248.
Ferdinandus III. 268. 771
Ferdinandus IV. 1297.
Ferdinandus Æpiſcopus Colonienſis 1377.
Ferdinandus Albertus Dux Brunſu. et Luneb. 1465.
Ferdinandus Furſtenbergius Epiſc. Paderb. 143. 366. 658. 684. 688. 1371. Boineburgium adpellat cognatum ſuum 513. 514. eius encomium 525.
Ferrarius *Franc. Bernh.* 1174.
Flacius *Matthias* 564.
Fidei Chriſtianæ fundamentum 201.
Fleiſcher *Tob.* 1293.
Florus 549. 943. 1078.
- - - idem qui Blumius.
Fœtus lapideſcens 374.
Folieta 1068.
Fons Briaudi, Fontainebleau 600.
Formula concordiæ 503.
Formularium ſummorum Pontificum vetus 515.
Forchemenſis ſynodi priuilegium 704. 711.
P. Forerus 88. 98. 731. 752. 760. 772.
Forſterus *Val. Guil.* 460.
Forſtnerus *Chriſtoph* 528. 539. 707. 897. 901. 906. 928. 934. 941. 1178.
-- eius epiſtolæ 1014. 1034. 1040. 1206.
-- epiſtola de hiſtoria receſſuum imperii 1005. 1020.

Forſt-

Forſtneri *Chriſtoph* epiſtola de filiis ſuis p. 1133
-- ephemerides politicæ 1206.
-- mors 1204.
Forſtnerus *Guil.* de ſui officii difficultate 1322
-- epiſtolas fratris cum ephemeridibus edere cogitat 1325.
Forteguerra, Florentinus 1009.
Fournier *Georg.* 1082.
du Fraiſne 1378.
Francica feuda 827.
Francicæ antiquitates 425.
Franciſci Galliæ Regis aurei nummi 585. 589.
Francofurtenſis conuentus diſſolutionem aula Viennenſis optat 972.
Freherus *Marqu.* 619.
Freinſhemius *Io.* 14. 334. 707. 935. 943. 953. 1002. 1082.
-- eius inedita 397. 406.
Freinſhemius *Abrah.* 507.
-- liber MS. Fabularum Phædri 1081.
Fridericus III. Imp. 1007.
Fridericus Vlricus Dux Br. et Luneb. 22. 1335. 1473.
-- eius ad Io. Caſelium epiſtola 1477.
Frieſen *Henr. L.B. a* 925.
Friſchmann *Io.* notatur 499. ſq. 507.
Friſius *Abrah.* 395. 882. 908.
Fromondus *Libertus* 702. 711.
Fuchte *Ioh. a* Collector Caſelianar. epiſtolar. 1468.
Fuquetiana tragœdia 696.
Fürſtenbergius, vide Ferdinandus Furſtenberg.

G.

Gailius *Andr.* 461.
Gallia Chriſtiana 842.
Galliæ Regis liberalitas erga eruditos 1111.
Gallicæ fortunæ 1187.
Gallica pax 1220.
Gallicanæ eccleſiæ libertas 194.
Gallorum philologica ingenia 1137.
Gamanſius *Io.* 429. 433. 441. 703. 830. 841. 843. 847. 881.
Gaſſendus *Petrus* 328. 396. 856. 870. 1354.

Gaſſendus *Petrus*, de eo Conringii iudicium p. 341.
Gemmarum paratio 1362
Gentilis *Albericus* 131.
Georgia regio 1093.
Georgius, Haſſiæ Landgrauius 610.
Georg. Wilhelmus Dux Br. et Luneb. 953.
Germaniæ quorundam eruditorum præclara nomina 684.
Germonius 1069.
Gerſon *Io.* 563.
Geſenius *Iuſtus* 1414.
Geſnerus *Conr.* 395. 882. 908.
Giannonius 443.
Giſelbertus *Henr.* 430.
Giſenius *Io.* notatur 1424.
Giſius 755. 1461.
Godeau *Ant.* Epiſc. 537. 1068.
Godofredus *Iac.* 336. 460. 522. 536.
Goldaſtus *Melch.* 460. 609. 827. 1395. 1397. 1407. 1447.
-- eius Manuſcripta Bremæ ſeruantur 1312.
Græcia orthodoxa L. *Allatii* 378. 385.
Grammondus *Gabr. Barthol.* 20. 550. 1379. 1381.
-- Tacitanam dictionem affectat 538.
Graſwinckel *Theod.* 131. ſq. 280. 328. 340. 367. 369. 371. 387. 539. 707.
Gratiani *Comes Hieron.* 1167.
Grauellus *Robertus* legatus Gallicus 391. 401. 486. 489. 496. 509. 511. 513. 518. 521. ſq. 542. 786. 821. 823. 1149. 1325. et paſſim. Dehortatur Contingium a ſuſceptis conſiliis etc. 432.
-- in Germania legationis ſocium habuit fratrem 1440. 1446.
Grauerolius, vitæ Sorbierii ſcriptor. 520.
Grauina *Dominicus* 683. 686. 700.
-- eius doctrina Thomiſtica 917.
Gregorius Toloſ. vide Toloſanus
Gregorius XV. PP. 708.
Gretſerus *Iac.* 619.

Gronouius *Io. Frid.* p. 539. 689. ſq. 727. 729. 755. 850. 856. 1145. 1192.
-- eius indoles 774. Liuius 1311.
-- cogitata de codicum MSS. vetuſtate dignoſcenda 856. 876. ſigillatim 911-918.
-- parum faciunt ex Conringii iudicio ad codicum MSS. ætatem 876. ſq.
-- in Grotium animaduerſiones 762.
Gronouius *Iac.* 1159. 1175.
Dn. de Grot 1382. ſq. 1388.
Grotius *Hugo* 99. 107. 264. 265. 270. 283. 425. 431. 727. ſq. 738. 779. 814. 819. 1004. 1040. 1093. 1098. 1208. 1459.
-- laudes 707. Commentatores 328.
-- encomium eius promittit Conringius 800. 811.
-- in eius de Chriſtianæ religionis veritate
Conringii commentarius 118.
Grotius *Hugo* de Iure Belli et Pacis Boineburgii iudicium 131.
-- Grotii Princeps, quid libri ſit 360. 364.
-- octodecim menſibus librum de Iure B. et P. exaſciauit 370.
-- Iſagoge iuris Batauici e Belgico Latine vertenda 390. laudatur 476. 1226.
-- Annotamenta in vtrumque Teſtam. latent auctiora Pariſiis 482. 537. 765. 836.
-- de Commentariis eius in SS. literas Salmaſii iudicium 732. 742.
-- Apologetici Riuetiani diſcuſſio 505.
-- quantus in literis humanioribus fuerit? 939. ſqq. 747. 752.
-- eum non omnes aſſequi valent 885.
-- in Grotii lectione quid obſeruandum? 339.
-- num quis Grotio maior

ior in omnigena eruditione? p. 759.
Grotius *Hugo* tranſitu in aliud genus peccauit 749.
-- partibus Socinianis addictus. ibid.
-- a Romana Eccleſia abhorruit 753. 761.
-- Grotianæ tabulæ 969.
-- opuſcula poſthuma ab Iſaaco Grutero edita 1034.
Gruterus *Iſaacus* 387. 689. 764. 803. 804. 939. quis fuerit? 776. 778. 835.
Gruterus *Ianus* 919.
Gryphiander *Io.* 985. 996. 1025. 1390. notatus 212. 213. 214. 1395. ſqq.
-- Conringium plagii accuſat 1409.
-- literæ ad Nihuſium olim datæ plenæ fellis 212. 228.
-- liber de Weichbildis laudatur 221.
Gryphiandrinæ controuerſiæ hiſtoria 305.
Gryphiander *Chriſtoph.* 1416.
Guadagnolo *Phil.* 460.
Gualdus *Galeatius* 1010. 1016.
Gudenus *Valent. Ferd.* 842.
Gudius *Marqu.* 1344. laudantur eius MSta et bibliotheca 916. 1346.
Guicciardinus caſtratus 572.
Guilielmus, Vinariæ Princeps 15.
Guldenlöw 1295.
Guſtmeieri Fecialis Germanicus 948. 956.
Gylmann *Adr.* 461.

H.

Haack *Theodori* literæ 1083-1086.
Habbeus *Io.* 850. 1035. 1023. 1029. 1036.
Haberkorn *Petr.* 29. eius colloquium cum Capucino 38.
Hæner *Io. Henr.* 1461.
von Hagen *Gottl.* 461.
Hagen *Chriſtoph* von 486
Hahnius *Henr.* 111. 460. 541. 989. 986.
Halloſius *Petrus* 338.
Hamartolus *Georg.* 1300.
Ham-

Hamburgenſium eruditorum indoles p. 987.
du Hamel *Io. Bapt.* 1318.
Hammondus *Henr.* 506. 717.
Hanifius *David* 1292. ſq. 1294.
HannoldusChriſtoph 114. 485.
Heidelbergenſis aulæ diſſidium 344.
Heidmann *Chriſtoph.* 328 463. 539. 985. 996. 1025. 1172.
Heiland *Polyc.* legatus Guelphicus 273. 314. 398. 560. 646. 660. 663.
-- Conringius *Saluatorem* vocat 666. 668.
Heinſius *Daniel* 347.
Heinſius *Nicol.* 463. 475. 624. 644. 740. 943. 975. 1124. 1151. 1166. 1208.
Helmont *Franc. Mercurius* notatus 20.
-- Romæ in carcerem coniectus 1094. 1099. 1103.
-- de eo Conringii iudicium 1100 ſq.
-- Sophiæ Electrici Brunſu. et Luneb. innotuit Heidelbergæ 1103.
Helmſtadienſium ICtorum laus 987.
Heluicus *Chriſtoph* 983.
Henricus IV. Imp. 216.
Henricus Iunior Dux Br. et L. 361.
Henricus Iulius Dux Br. et Luneb. 1472.
Heraldus *Deſiderius* 460.
Herbert *Eduard* 150. ſq.
Heringius *Io.* 429. ſq. 1390. Comitis Oldenb. Conſiliarius 1392. 1401.
-- de doctis mulieribus commentari inſtituit 430.
-- pro Legato in Holſatiam miſſus 1415.
Heroldus *Baſilius* 460.
Hertius *Io. Nic.* 966.
Herward de Hohenburg *Io. Georg.* 619.
Hettinger, Conſiliarius Moguntinus 958.
Heumann *Chriſtoph. Auguſt.* 333. 1164.
Heuſchius 533.
Hildebrandus, Papa 810.

Hildebrandina dogmata p. 564. 613 ſq.
Hildebrand *Ioach.* 540. 649. 962. 973. 991.
Hilpertus *Io.* 145.
Hippolytus, vide, a Lapide.
Hiſpania 1289.
Hiſtoria bibliothecæ Auguſtæ 971. 975. vid. et Burckhard.
Hiſtoria miſcella 345.
Hiſtoriæ medii æui laus 1448. ſq.
Hiſtoriæ vniuerſalis compendia 996.
Hiſtoricum ſtudium totum hominem requirit 1410.
Hobbeſius *Thomas* 141. 145. 456. 473. 539. 558. 855. 931. notatus 20.
-- indoles eius 1042.
Holſtenius *Lucas* 366. 368. 376. 684. 912. 1094.
-- eius ſcripta affecta 514.
-- inedita corpori Hiſtoriæ Byzantinæ inſerta 492. 499. 525. not.
-- Index librorum, quos MSS. notis illuſtrauit 704.
Holſtenius *Lucas* bibliothecam Auguſtinianis legauit 478. 492. 701. obitus. ibid.
Homfeldius *Petrus* 1447
Hoornbeck *Io.* 814. 821. 1319.
Hopperus *Ioach.* 130. 148. 193. 458. 991. 998.
von Hord *Pieter* auctor libri: Het intereſt van Holland 1003.
Horn *Georg* 337. 396. 539. 620. 1175.
-- in delirium lapſus 1315.
Horneius *Conr.* 540. 985. 996.
Hornigk *Phil. Guil. ab* 1489.
Horſtius 647.
Hortleder *Frid.* 619.
Hottingerus *Io. Henr.* 337. 396. ſq. 460. 498. 500. 557. 567. 575. 650. eius laus 656. 670. 673.
-- cum Allatio certamen 674.
-- in Coranum conatus 357.

Hottingerus *Io. Henr.* de antiquorum codicum veſtigiis et characteribus p. 681. 689.
-- de Manuſcriptorum antiquitate 918. ſqq.
-- aqua periit 1184. 1189. 1193.
Hottomannus *Franc.* 131.
Huberus *Samuel* 809.
Huetius *Petr. Daniel,* auctor Origenianorum 1454.
-- defenſio religionis Chriſtianæ 1454.
Hugenius *Conſtant.* 1347
Hugo *Ludolph.* 947. 965. 980. laus 986. 994. 997. 1024. 1033.
-- vltimus Procancellarius in aula Hanouerana 1284.
Hulſemann *Io.* 501. ob zelum religionis notatus 92. 141.
Humanitatis Chriſti vbiquitas 502.
Hungariæ facies 1290.
Hungarica pax infida 932. ſq.
Huxariæ aduocatia 1290.

I.

Iacobus Rex Angl. 350.
Iacobus *Ludou.* 1039. 1048.
Iamblichus 966.
Ianſenius *Cornelius* 721.
Ieſuitæ Marianæ paradoxa 1270.
Ieſuitarum nonnulla dogmata 1061.
Ieſuitarum diſcrimen 695. 714. 715. ſq.
Ieſuitica factio in Hungaria 932.
Ieſuitica imprudentia notata 1107
Ieſuitica Theologia 318.
Ieſuitica tyrannis 146.
Imhofius *Hier.* 337. 460
Immaculatæ conceptionis B. Mariæ Virginis definitio requiritur 77. 678. 683.
-- ei feſtum dedicat Eccleſia Romana 724.
Inchofer *Melch.* 338.
Independentes 716.
Indifferentiſtæ 503.
Indifferentiſmus 250. 257. 262.
Index librorum prohibitorum 442.
Indoles diuerſa in rep. 779.
Infallibilitas Pontificis 678.

p. 678. 695. 717. 720.
Inſula mentalis quæ? 708.
Inueſtitura negata 1063.
Io. Caſimir Rex Poloniæ 1228.
-- eius teſtamentum 1229-1237.
-- in Societatem Ieſu Laureti ingreſſus 1237.
-- literæ ad fratrem Poloniæ et Sueciæ regem 1243-1248.
-- ad Andr. Baſcum 1248. ſq.
Ioannes, Epiſc. Hildeſh. 361.
Io. Fridericus Dux Brunſuic. et L. 1160. 1181. 1295. 1385. 1387.
-- verſus Venetias iter fecit 1183. 1197. 1202.
-- eius coniugium 1219.
Ioan. Guilielmus, Princeps Neoburgicus 1265.
Ioannes, Landgrauius Haſſiæ 18. 31.
Ionſius *Io.* 337. 396. 1080.
Iordanus *Hieron.* 24.
Ioſephus 1275.
Irenicorum quorundam recenſio 152. ſq.
Iſtuanſius *Nic.* Rodolpho II. a ſecretis 1008.
Italorum ingenia et ſtudia 1167. ſq.
Iudæi Clandeſtini in Gallia 1124.
Iuliani Saturnalia 1002.
Iulianus Apoſtata 853.
Iulius Dux Br. et Luneb. 1472.
Iungius *Ioach.* 948 951.
Iunius *Franc.* 395. 1247.
-- de pictura veterum 1309.
-- circa linguam Anglo-Saxonicam opera. ib.
Iuriſp. ſcriptorum enarratio 926. ſqq.
Ius Germanicum duplex 461.
Ius imperii in Lotharingiam 787.
Ius publicum Grotio eſt ius gentium 332.
Iuſtellus *Chriſtoph.* 338.
Iuſtellus *Henr.* 371. 1453.
eius laus, ibid. de re diplomat. 1455. ſq.
Iuſti ciuilis principium 1045.
Iuſtiniani Pandectæ Florentiæ MStæ 912.
Iuſtinus 572. 944.
Iu-

Iuuenalis p. 564.
le Journal des Sçavans 1211.

K.

Kamen lingua Slauonica eſt lapis 19.
Kanſtein *Dn.* *de* Legatus Brandenb. 241.
Karoli M. Capitulatio de partibus Saxoniæ 365. ſq. 373.
Katte *Marqu.* eques Bremenſis 1330. ſq.
Kedde *Iodocus*, Theologus polemicus 54.
Kellæi *Ed.* fata 1354. ſqq.
Kemen lapis 19.
Kemnatæ, ædificia lapidea 19.
Kemnitius *Mart.* 51.
Kerckringius *Theodor.* 1347.
Keuenhülleri Comitis *Franciſci Chriſtiani*, Annales Ferdinandei 468. 1008.
Kircherus *Athanaſius* 576. 578. 780. 874. 1082. 1101.
Kirſtenius *Mart.* 24.
Kortholtus *Chriſtian.* auctor Valeriani defenſi 981. ſq. 1023. 1029.

L.

Labadie *Io.* 1316.
Labbeus *Phil.* 94. 321. 375. 520. 536. 844. 856. 871. 875. 878. 881.
-- moritur 1184. 1189. 1193.
-- ſugillat Conringii elogium bibl. Auguſtæ 832. 843.
Laërtius *Diogenes* Menagii 368. 375.
Laimannus *Paulus* 443.
Lambecius *Petrus* 368. 378. 388. 395. 681. 690. 822. 908. 969. 994. 1140. 1478.
-- eius fata 977. 982. 987. 1025. 1027. 1030.
-- bibliothecæ Cæſareæ præficitur 997. 1036. 1051.
Lambergius Comes, Legatus Cæſareus 1478.
Lambertus Schafnaburgenſis 135. 216. 799.
Lampadius *Iac.* 118.
Lampadiana. vide Conringius.
L'Empereur *Conſtantinus* 460.

Langerbeccius *Henr.* p. 1284.
Langermann *Chriſtian.* 916.
a Lapide *Cornel.* 724.
a Lapide *Hippolytus* 461. 486. 497. 618. 966. 981. 983. 988 993. 997. notatus 91. 92. 100.
-- quis ſub hoc nomine lateat? 19.
Lapis Philoſophicus 1352.
Laſſer *Hermannus Andr.* 1287.
Latinius *Latinus* 943. 954.
Launoius *Io.* 338. 438. 763. 775. 1174.
-- Contingianam concuſſionem refutauit 925.
Laurentii Amalthea onomaſtica 1174.
de Lauzun Comes 1381.
Lehmann *Chriſtophorus* 619. ſq. 998. 989. 1025.
Leichner *Eccardus* 948. 950.
de Lenten *Theodorus* 824. 841.
Lentulus *Cyriacus* 337.
Leodius *Bened.* 1370. 1378.
Leopold *Cour. Chriſt.* 1219.
Leopoldi Guilielmi Archiducis obitus 999.
Leopoldina-Capitulatio 300. ſqq.
Leopoldus Imp. 216. ſq. 246. 420. 1289.
Lerbeke *Herm.* de 361.
Lerinenſis inſulæ ſitus 548.
Leſſius *Leonh.* de iuſtitia et iure 370.
Lex Regia 1144.
Baro de Ley 1274.
Leibnitius *Godofr. Guil.* 391. 405. 411. 798. 831. 850. 1104. 1107. 1140. 1282. 1358. 1378. 1380. 1389. 1447. 1453. 1484. 1486. eius dotes 1286. 1291. 1293.
-- eius iudicium de P. Bartholomæi vaticiniis 798. ſq.
-- Chemicis ſtudiis delectatus 1172.
-- methodus noua diſcen-

cendi docendique iurisprudentiam 1208. p. 1220.
Leibnitius *Godofr. Guil.* Corporis iuris reconcinnandi ratio 1221. 1275.
-- de hoc libello Conringii iudicium 1225.
-- ſcriptum pro Duce Neoburgico 1260.
-- iudicium de Io. Dei conuerſatione cum ſpiritibus 1365.
Leibnitius *Iuſt. Iac.* 1299. 1459. 1462. 1463.
Libanii epiſtolæ ineditæ 1002.
Licetus *Fortunius* 816.
Ligæ vnionisque nomina vnde nata? 1008.
Ligorius *Pyrrhus* 1302.
Limnæus *Io.* 486. 619.
Linckerus de Lutzenwick *Io.* laudatus 7.
van der Linden *Io. Ant.* 1352.
Lindenbrog *Frid.* 460. 620. 1395. 1397. ſq. 1407.
Lindenſpurius 252. 260. 263.
Lingelsheim *Georg Mich.* 943.
Lioneus Marchio *Hugo* 399. 426 428. 488. 598. 692. 696. 713. 830. 840. ſq. 1111. 1325.
-- Boineburgii de eo iudicium 432. 494. ſq.
-- eius fata 600.
-- ei conſecrat Conringius Anti-Machiauelica ſua 508. ſq. 512. 517.
-- eius epiſtolæ 532. 592.
-- Conringio auream catenam mittit 733. 822.
-- moritur 1438.
Lipmanni Nizachon 1454.
Lipſius *Iuſtus* 262. 456. 539. 931.
Literatura Gothica 919.
Literæ Capitales 917. 919.
-- Longobardicæ 917.
Liuii codex MS. 913. editus a Gronouio 1175.
Logicæ veræ argumentandi ratio 725.
de Lomenie *Henr. Aug.* Co-

Comes Brienuæ p. 542. 830.
de Lomenie *Henr. Aug.* auus eius *Verſaliarum* dominus fuit, cui, quod reformatis ſacris addictus eſſet, tempore lanienæ Pariſienſis hoc prædium ereptum et fiſco regio adſcriptum eſt.
Londorp *Caſpar.* 94. 297 619. 838 1023. 1064.
Longolius *Chriſtoph.* 728.
Loperus *Bernard.* S. I. Exorciſta 1370. ſq. 1372.
Lotharingia num alienari poſſit? 768. 825. ſq. 827. ſq. 841 847. 853. 856. 859. 1056.
-- Regi Galliæ vendita 782. 786. 941.
-- in prouinciæ formam redacta 1324.
Lotharius Imperator 1390. 1415.
de Lubienitz *Staniſlaus* 1266.
Lucanus 742.
Lucani codices MSS. 417. ſq.
Lucianus 854.
a Ludinghauſen, dictus Wolff *Frid. Ladiſlaus* 1481. 1488.
Ludolfus *Iobus* 1358.
Ludouici XII. Regis aureus inſcriptus: *Perdam Babylonis nomen* 588.
Ludouicus XIII. Rex Galliæ 352.
Ludouicianus Codex 1283.
Ludouiſius Cardin. 961. 965. 980. 1023.
Lugo *Io.* de 368. 715.
Lundenius 1478. 1480.
Lutherus 564. 1270.
Lycoſthenes *Conradus* 395. 882.
Lyprandus *Georgius* S. I. 789. 792.

M.

Macedo *Franciſcus* 479.
Machiauelli Princeps a Lioneo defenſus 599.
Maſſeius *Io. Petrus* 538.
Magalotti *Laurent.* 1167.
Maimonides 748.
Maior *Io. Tob.* 1302.
Maldonatus *Io.* 724.
Mallinckrot *Bernh.* a 394. 724. 619. 1087. 1092. 1097. 1103.

Mal-

Malvezzi *Virgil.* p. 538.
MSS. librorum latinorum antiquitas 909. ſq. 918.
Manutius *Aldus* 1068.
de Marca *Petrus* 207. 1173.
Marci *Marcus* 1086.
Marcionitæ 595.
Mareſius *Sam.* 145. 740. 789. 808. 810. 1312. 1318.
Mariana *Io.* 538.
Marſalia, locus 785. 802.
Martha 507.
Martene *Edm.* 1449.
Martianus Capella 741.
Martinus *Iac.* 938.
Maſenius *Iac.* 681. 734. 784. 924. 935. 731.
-- eius indoles 690. 694.
Mauderoda *Ott.* *Otto* de 953.
Mauritius *Ericus* 885. 887. 963. 1002. 1342.
-- iter eius Belgicum 1303. ſqq.
Maurus *Hartmann.* 186.
Matthias Imp. 1008. ſq.
Mathematicum diſputandi genus 640.
Maximilianus I. 1007.
Maximilianus II. Imp. 207. 318. 1007. 1015.
-- eius concordiæ ſtudium 1008.
Mazarinus, Cardinalis 391. 398. 402. 420. ſq. 706. 895.
-- eius merita 517. obitus 486. 488.
Mecklenburgicorum Principum inter ſe contentio 994.
Meibomius *Henr.* 361. 380. 842. ſq. 1286.
Meibomii *Io. Henr.* hiſtoria artis Medicæ 1060. 1067.
Meier *Gebh. Theod.* 540. 973.
Meiſnerus *Mich.* 882. 905.
Melanchthon *Phil.* 498. 773.
Menagius *Ægid.* 1159. 1173.
Mencken *I. B.* 1041.
Menno *Simonis* 721.
Monzerus *Balth.* laudatus 49.
Mercenariam militiam improbat Conringius 233.
Merceri elegia in Grotium 870.

Baro Metternichtius p. 705.
Metrophanis Patriarchæ Alexandrini confeſſio 380. 609. 623.
Meurſius *Io.* 337.
Meyerus, Conſul Bremenſis 1312.
Mezerai *Fr. Eud.* de 635.
Michael Rex Poloniæ 1265.
Milæus *Chriſtoph.* 395. 909.
Milletiere *Theoph. Brachetus* Dn. de 61. 714. 755.
-- indifferentiſta 262.
-- Romanenſibus inuiſus 473. 485.
-- a Sorbona acri cenſura notatus 490. 497. ſq.
-- de pace eccleſiæ 766. 806. ſq.
Milton. *Io.* 550. 572. 883 948.
-- eius liber pro diuortiis 951. 964.
Mimigardeuordicus i. e. Monaſterienſis 1386.
circa Miracula cautio catholica 1366.
Miræus *Aub.* 395. 822. 909.
Mörſburgenſis Comes 1217. 1225.
Moguntini Electoris prærogatiuæ 1087. 1089. 1091. 1279.
-- eius ius circa coronationem Regiam 78. 80. 87. 187. 190. 197.
MoguntinenſeArchiuum 1016.
Molina *Ludouicus* 340.
Mollerus *Io.* 1030. 1342.
Monarchiæ per gradus ſurgunt 248.
Monaſterienſis pacis tractatus 1391. 1416.
Montaltius 1141.
Montanus *Arnold.* 1311.
de Monzambano *Seuerinus* 1198. 1207. 1216. 1220. 1267. 1421.
-- pleraque ex Conringii exercitt. de Rep. imperii Germanici mutuatus eſt 1440.
Moralis theologiæ ſcriptores multa ex Iure Canonico ſolent petere 340.
Moralis iuſti principium 1045.
Morhofius *Dan. Georg.* de itinere ſuo Belgico et

et Anglicano p. 1342.
Morhofius *Dan. Georg.* in Chimicis nimis credulus 1352.
-- Boylii librum de Coſmicis qualitatibus latine vertit et edidit 1353.
Morinus *Io.* 55.
Morum doctrina trifaria, huiuſque nonnulli ſcriptores 462. ſq.
Morus *Alexander*, eius ſingularia 744.
Muhammedana religio 57.
Muhammedis prophetæ vicarii 736.
Moulin *Io. Petr. du* 1319.
Müller *Ioh. Pilip.* 1097.
Muller *Laurent.* 1105.
Mullerus *Io. Paul.* 699.
Muſæus *Io.* laudatus 327. 1271. 1313.
-- de fugiendo ſyncretiſmo 1343.
Muſeum nummorum veterum 1262.
Mynſinger *Ioach.* 461.
Myſienſis Epiſcopus 969.
N.
Naudæus *Gabriel* 17. 335. 400. 421. 459. 538. 850. 900. 927. 977. 1043.
Nardini Roma antiqua 1166.
Nazianzenus *Gregorius* 1471.
Neoburgicus Dux 493.
Neoburgica cauſſa 1261.
Neumann *Andr.* 560.
Neſſelius *Dan.* 1486.
Niederſtedii *Burc.* Malta 624.
Nierembergius *Io. Euſebius* 539. 758. 763. 775. 816.
Nigellus poëta, alias *Vigellus* 989. 1026.
Nihuſius *Barthold.* 28. 36. 52. 212. 430. 1128. 1390. 1392. ſcribit ad Boineburgium 53.
-- negotia Amſtelodami 54. 147. notatus 214.
-- editor Grotianæ diſcuſſionis 761.
-- Ienæ Principum Iunior. Saxoniæ, lineæ Altenburgicæ, præceptor 1401.
-- eius cum G. Calixto controuerſiæ 1402. 1415.
Nouarinus *Aloyſius* 816.
No-

Nouellæ hiſtoriæ p.678.
Numini Hebraici raro genuini 575.
Nutzelius 1464.

O.

Ochinus 1350.
Ogerius *Franc.*481.498.
Ognatus, Hiſpaniæ orator 246.
Oinhuſius 1170. ſq. 1174.
Oldenbarneveld *Io.* 1093. 1318.
Oldenburger *Phil.Andr.* 1485.
-- Burgoldenſis nomine latitans 1216.
Oldenburgica compoſitio 1345.
Oligarchia 1125.
Oligarchicum ſtudium 1063.
Olhaſius *Io. Chriſtoph.* 1013. ſq. 1314.
Omeiſius *Magnus Dan.* 1465.
OnomaſticumRomanum barbarum 1080.
Opitius *Henricus* notatur 1461.
Opratus 596.
Orbanus *Ferdin.* Elect. Palatini a ſacris 1259.
Oroſius MSS. 912.
Oſiander *Io. Ad.* 1332.
Oſnabrugenſis pacis formula 1014.
Otto III. Imp. 216.
Oxelius, Bauariæ legatus 255. 260. 262. 265.
Oxenſtirna *Axelius*, Sueciæ Cancellarius 399. 814. 819. 836. 1017. 1040.

P.

Pacis Eccleſiaſticæ conſilia Romæ agitari dicuntur 411. ſqq.
-- Moguntinus Elector in hanc pacem pronus 429.
Paganica religio 571. 595. ſq.
Palatinæ domus imbecillitas 226.
Palatinus Sulzbacenſis 902.
Palladius *Andr.* 1094.
Pallauicinus *Sfortia* Cardin. e. S. I. 368. 381. 475. 506. 539. 715. 724.
-- eius hiſtoria Concilii Tridentini 376. ſq. 388.1094. 1099. 1166.
Pamelius *Iac.* 395.

Pan-

Panuinius *Onuphrius* p. 620.
Papa Romanus num ſit infallibilis? 30.
-- eccleſia, quæ Romanum Pontificem infallibile caput colit, num vera? 36.
Papæ infallibilitas perſonalis non eſt articulus fidei 613.
Papæ primatus 54. 197.
Papebrochius *Daniel* 54.
Papiſtæ nominis notatio
Papus *Leonard.* 1010. 1015.
Papus *Io.* 1040. ſq. 1050.
Paracelſus *Theophr* 716.
Pariſienſes ephemerides 1224.
Pariſius *Matth.* 1082.
Paruta *Paulus* 576.
Paterculus *Velleius* 943.
Patientia politica 852.
Patriæ ſtatus 774.
Pauermeiſter *Tob.* 486.
Pauli *Sim.* 1138.
Paulius *Ant.* duxit Coringii filiam 319.
Peneranda, Hiſpanicus Orator 280.
Peirerius *Iſaac.* notatur 140. 145. 159. 854.
Peregrinationum vſus p. 1475.
Pergameno ſcripti Codices antiquiſſimi 919.
du Perron Cardin. *Iac. Dauid* 61. 210. 505.
S. Perpetuæ acta 1094.
Pflug *Iulius* 620.
Philelphi poëmata 989. 1025.
Philippus, Haſſiæ Landgrauius, Butzbachii habitans 26.
Philippus Guil. Princeps Neoburgicus 1228.
Philonis dictum 1474.
Photiniana ſynodus 1099.
Photius 395. 1040.
Petauius *Dionyſ.* 338. 707. 715. 724. 983. 1025.
Petitus *Samuel* 437. 491.
Petruccius vid. Pieruccius
Petrus Gregorius, vide Toloſanus.
Piccart *Mrch.* 985.
Pieruccius, Moguntinus Reſidens Romæ, 693. 700. 752.
Piſtorius *Io.* 547. 566. 754. 773.
Pius Papa V tus 955.

Pla-

Placcius *Vincent* 839.
Planci diſſert. contra Socinianos 1319.
Plato 354.
Platonicorum Philoſophorum monumenta nondum publicata 514. ſq.
Pœlenburgius *Arnold.* 810.
Poëta Saxo 843.
Politica doctrina a Conriegio eruta 144.
Politicæ inſeruientes auctores 956. ſq.
Politices rudimenta 995.
Polonia 1289.
Poloniæ Regis electio 1265. ſq.
Polonorum res 1264.
Polus Cardin. *Matth.* 1238. 1319.
Polybius 944. 1310.
de Pompone, Lionei ſucceſſor 1438.
Pontifex Romanus pro Vice Deo non poteſt haberi 531.
Pontificia maieſtas defenditur a curia Romana 41.
Pontificum prohibitiones parum curant Galli 492.
Porphyrius 854.
de Portia *Io. Ferdin.* 423. 447.
Portnerus *Io. Alb.* Gallis inuiſus 1320.
Poſſeuinus *Ant.* 16. 822.
Poſſinus *Petrus* 1166.
Poſtellus *Guil.* 460. 808.
Poza *Io. Baptiſta* 708. 710. 718. 724.
-- eius indoles 763. 775
Præadamitæ 140. 145. 149.
Præſumtionum natura 604. ſq.
Pragmatici orbis terræ turbones ibid.
Pregizerus *Io. Vlr.* 959.
Prieter *Paul*, gener Conringii 591.
Primogenituræ ius in Germania 22.
Principatus literarum humaniorum 739. 742.
Principia credendi 37.
Principium Chriſtianæ doctrinæ certiſſimum 725.
Priolus *Beniamin* 1174.
Proteſtantes Galli et Angli ad concordiam aptiſſimi 767.

Proteſtantium fidei principia mathematice demonſtratum iuit Conring. p. 1418.
Prudentius 1208.
de Pufendorf *Sam.* 19. 458. 816. 874. 959. 986. 1033. 997. 1153.
-- ſub *Monzambani* nomine aliquamdiu latuit 1196. 1198. 1220. 1227.
-- eius principia 1053. ſq.
-- elementa iuriſprudentiæ vniuerſalis 385. ſq. 389.
-- laudantur a Conringio 404. 405.
-- ex E. *Weigelii* Ethica Euclidea efformata, Leibnitius tradidit 405.
-- citat neminem 389.
-- in Scaniam vocatur 1201.
-- differit de interregnis 1221.
-- Iuris naturæ et gentium opus 1420.
-- querelæ de aduerſariis in Germania 1423.
Puritani 564. 716.
Puteanus *Eryc.* 337.
Puteanus *Petrus* 475. 539. 872. 879.
-- de Libertatibus eccleſiæ Gallicanæ 194. 196. 207.
Pylberg *Nic.* 1423.
Pyrenæa pax 398.

R.

Rachelius *Samuel* 541. 946. 954. 989. 991. 1091. 1102. 1142. 1189. 1208. 1344. 1346.
-- Iuriſprudentiæ Grotianæ exornator 386. 389. 1198.
-- in facultate morali validus 394.
Radziewski de negotio elect. Polonicæ 1310.
Ragocius 849.
Rainaldi *Odorici* Annales 136.
Ramus *Petr.* 595. 716. 983. 985.
Ranzouii defectio 38. 72.
Ratio ſtatus curiæ Romanæ 685. ſq. 699.
Ratiſbonæ Comitia incipiunt 952. 975. 1021.
-- huius vrbis diaria 207.
Rauius *Chriſtian.* 1313.

Ray-

Raynaudus *Theophilus* p. 338. 700. 757. 763. 775. 816. 925. 983.
Rebhan *Io.* 430. 921. 1062.
Receſſuus Imperii quo ordine et modo legendi 622. 633.
-- eorum hiſtoria difficilis 887. quomodo concinnanda 890. 897
-- ad eam tria neceſſaria 1013. ſqq.
Reckius ICtus 1147.
Reformatio 773.
Regalia 464.
Regius *Ludouicus* 538.
Regulæ pro fidè Catholica 547.
Rhenanus *Beatus* 620.
Reiſenbergius Boineburgii aduerſarius 1180.
-- ad carceres condemnatus 1273.
Reiſenbergica ſeditio 1269.
Reihing *Iac.* 777.
Reineccius *Reinerus* 394.
Reineſius *Thomas* 394. 882. 905. 1040. 1048. 1080.
-- eius inſcriptionum opus 1300. 1303.
Reineſii *Thomæ* ad Paetinum de familiis Romanis adnotationes 1301.
Reinking *Theodor.* 461. 486. 988.
Reipublicæ curandæ duo neceſſaria 138.
-- multa in republica occurrunt diuerſæ indolis 779.
Rerumpublicarum adminiſtratio 804.
Religionis contemtores in Anglia 151.
Remarques ſur la Lorraine etc. 872.
Remonſtrantes ab Arminii placitis num receſſerint? 814. 821.
-- non ſunt Sociniani 791.
Reunio deputationis 469. 476. ſq.
Reuſnerus *Nic.* 774. 983. 1141.
Ricardius *Nic.* 377. 383.
Rhinocerotis exuuiæ 1307
Richelieu Cardinalis 61. 107. 375. 505.
-- tres tantum viros doctos magni fecit 738.
Richterus 943.

Ridder *Franc.* p. 1318.
Rigaltius *Nic.* 99. 207. 715.
Ritterſhuſius *Nic.* 983.
Riuetus *Andr.* 338. 490. 497. 740. 753. 772.
Rixnerus *Henr.* 1462. 1465.
R. a Rockwood de Staringfield 1214.
Rodingus *Guil.* 461.
Rhodius *Andronicus* 347. 360.
Romana curia vicedatum ſibi arrogat 551.
Romana eccleſia vapulat Contringio 770. 781. 787. 806.
-- eius conſenſio cum Græca 532.
Du Roy philoſophiæ Carteſinæ doctor 1312.
Rubens, pictor Antverpienſis 1306.
Rudolphus II. Imp. 443. 1007. 1015. 200. 207
-- eius ingenium 1008.
-- librorum Chemicorum æſtimator 1019.
Rudolph. Auguſt. Dux Brunſu. et Lun. 1296. 1335. 1465.
-- eius quædam epiſtola 1338. ſq.
Rumelinus *Mart.* 619.
Rupertus *Chriſtoph. Adam.* 337.
Rupertus, Princeps Palatinus 1364.
Ruſticæ rei doctrina 475.
Ryſſenius 814.

S.

Sacri Imperii titulus 1057.
Salica lex 858.
Salmaſius *Claud.* 13. 431. 490. 506. 538. 572. 574. 699. 706. 727. 738. 755. 759. ſq. 773. 916. 951.
-- eius quædam epiſtola 738. ſq.
-- de ea I. H. Hottingeri iudicium 742. ſqq.
-- in Grotium iniquior 739. 761. 920.
-- Anti-Miltoniana 550. 572.
-- eius de adnotatis Grotii ad Vetus Teſt. iudicium 742.
-- in Spanhemium acerba cenſura 744.
-- principatus literarum 746.
Salmuthi *Ge.* obſeruationes medicæ 345.
Salonum oppidum 1229.

Saluius *Adler* p. 814.
Samſon *Nic.* 983.
Sanderus *Anton.* 395.
Sandius *Chriſtoph.* 1310. 1316. ſq.
Sarpius *Paul.* 262.
Sarrauius *Claud.* 490. 738. 854. 943.
Saubertus *Io.* Conringii gener. 1129. 1298.
-- eius cum Leibnitio Norib. controuerſia 1459. ſq. 1464.
Sauelli Cardin. 1238.
du Sauſſay *Andr.* 775.
Scaliger 844.
Schannat *Io. Frid.* 1097.
Schefferus *Guil. Erneſt.* 37. 52. 56. 89. 103. 117. 155. 178. 193. 238. 944.
Scheinius *Herm.* 1209.
Schelhammerus *Gunth. Chriſtoph.* Conringii gener. 1467.
Scherbius *Phil.* 937. 944.
Scherzer *Io. Adam*, eius indoles 1427. ſq.
Scheurlius *Henr. Iul.* 335. 394. 541.
Schildius *Io.* 957.
Schlichting *Ionas* 1173.
Schlüter, vide *Ditz.*
Comes de Schönborn *Melch. Frider.* 1272.
-- *Phil. Erwin.* 1272. 1275
Schoockius *Mart.* 1004. 1144. 1208. 1216.
Schottus *Caſp.* 395.
Schraderus *Chriſtoph.* 111. 541. 575. 983. 1286. 1291.
Schreuelius *Corn.* 1208.
Schütz *Io. Helwig Sinold de* Cancellarius Cell. 619. 1478.
a Schurmann *Anna Maria* 1316. 1391. 1393. ſq.
Schurzfleiſchius *Conr. Sam.* 405.
a Schwalch *Chriſtoph. Mart.* 1420.
Schwammerdam *Io.* 1349
Schwartzkopf. *Io.* 23. 99. 256. 308. 1035.
Scioppius *Caſp.* 337. 394. 538. 550. 643. 695. 752. 754. 772. 803. 812. 954. 96. 1969 ſq.
-- eius fama non bona 656.
-- librorum edendorum indiculus 644. 760.
-- pædia politices laudatur 900. 926. 930. 945.
-- cura Conringii edi a 1091.

Scioppius *Caſp.* theſaurus MSS. p. 700.
Scribonius *Guil. Adolph.* 1147.
Scriptura ſacra 37.
Scriptorum domeſticorum præſtantia 842.
Seceſſionis in eccleſia ratio 672.
de Seckendorf *Vitus Ludouicus* 619. 880.
Seguierius *Petrus* 334.
Seldenus *Io.* 131. 264. 350. 485. 460. 707. 874. 885. 1159. 1452.
-- Seldeniana laudantur 390.
-- Scriptores rer. Brit. 1082.
-- liber de titulis honorum. ibid.
Sempilius *Hugo* 16. 336.
P. Senaldus 335.
Seneca 849.
Septalius *Ludou.* 463. 475. 538.
Serrarius *Nic.* 136. 954.
-- eius Moguntia acceſſionibus amplificata 831
Seruetus *Michael* 854.
Seuerinus de Monzambano 1190. 1193. 1196.
Sicli nomen quibus nummis debeatur 755.
Sidonius *Alexand.* 1352.
Siemienowicz *Caſim.* 16.
de Silhon *Io.* 421. 536. 538. 605. 939.
Simler *Ioſ.* 395 822. 908
Simplicius Verinus eſt Salmaſius 730. 755.
Sirmondus *Iac.* 338. 707. 715. 724. 1302.
Sixtus Senenſis 337. 395.
Skytte *Io.* nobilis Suecus, ex Legato fit Capucinus 479.
Sleidanus *Io.* 1016. 1018.
Sluter *Io.* 461. 486. 988. 1314.
-- eius animaduerſiones in Hippolytum 328.
-- de iis Conringii iudicium 340.
Smalcius *Val.* 1319. ſq.
Smetius *Io.* 1304. ſq.
Smithus *Thom.* 1356.
Societas Regia Anglicana 1083. 1211.
Societatis Ieſu morbi 772.
Socinus *Fauſtus* 721. 809. 814. 821. 854. 1306.
Socrates 1052.
de Sorbiere *Sam.* 457. 473.

p.473. 491. 505. 520. 557. 743. 789. 937. 1043.
Sorberiana 600. 1100.
Sorbona 807.
a Soto *Dominicus* 370.
Sotuellus *Nathan.* 804. 805. 1372.
Southwellus *Thom.* 61.
Spanhemius *Frider.* 399.
Spanhemius *Ezech.* 501. 565. 643. 700.
-- eius dignitas 416.
-- Boineburgii de eo iudicium 435.
-- parat Lucani editionem 436.
— quæ lucem non aſpexit 440.
-- laudat Conringium 439.
-- de viſis et obſeruatis in itinere Italico epiſt. 1164-1170.
-- ſcripta affecta 1168.
Speckhan *Eberh.* 460.
Spinoſa *Bened.* 1315. 1350.
Spirmann, Cellenſis legatus 1267.
Spizelius *Theoph.* 389. 520.
Sprat *Thomas* 1211.
Stahlius *Dan.* 983.
Staricius *Georg.* 1363.
de Staringfield, vide Rockwood.
Steinberg *Io. Melch.* 734.
Stenonius *Nic.* 1466.
Stephanus de vrbibus 514. 687.
Strada *Famianus* 284. 351. 538. 550.
Strauchius *Io.* 1299. 1302.
Streithagen *Petrus* 164. 168. 173. 176. 180.
Comes Strozzius 537.
Struuius *Burch. Gothelf.* 47. 52. 500. 1097. 1448.
Stuckius *Io.* Conringii ſocer. 70. 392. 419. 427. 431. 1396.
Suareſius *Ioſeph Maria* 107. 348. 370. 460. 519. 525. 535. 724.
Suauis *Petrus* ſeu Paulus Venetus 382.
Suidas 1309.
Sulpitius Seuerus 694. 1175.
Swanmann *Chriſt.* 461.
Syluestri ſumma 370.
Symmachus 753.
Syncellus *Georg.* 1300.
Syncretiſmus clanculari- us 881. 1460.

Syl-

Syluius *Franc.* notatus p. 1349.

T.

Tabagopoſia 1463.
Tabor *Io. Otto* notatus 64.1062.1087.1090. 1092.ſq.1098.1105. Conringii hoſtis 100. 123.
Tabulæ diſciplinarum 994. 1056. 1058.
Tacitus 334.
Tannerus *Adam.* 441. ſq.
Temple *Wilh.* legatus Angliæ 1308.
Terentius antiquiſſimus in charta 877.
Tertullianus 99. 100. 547. 552. 561. 570. 595.ſq. 604.616.623. 634. 700.709. 719.
Theophanes 1300.
Theophraſtus 354.
Theſaurus ſtatuum omnium 944. 956.
Theuenot *Mich.Melchiſ.* 1341.
Thierius *Io. Bapt.* 1179.
Thomaſius *Iac.* 932. 1023. 1028. 1057. 1447.
Thraſymachus *Cyriacus* eſt Conringius 168. 944. 956.
Thuanus *Iac.Auguſt.* 20. 281. 374. 537. 571. ſq. 574. 935. 954. 1018.
Thyſii *Ant.* Relatio de Aſia 1312.
Tigurinæ ſcholæ incunabula 751.
Tillius 1009.
Tiraquellus *Andr.* 827.
Titius *Gerh.* 46. 327. 499. 649. 654. 662. ſq. 666. 713. 717. 723. 731. 734. 753. 776. 1271.
Tolet *Io.* 715.724.
Toloſanus *Petr. Gregor.* 131. 816. 820. 874. 939.
Traditionum corpora 1456.
Transſubſtantiationis demonſtratio mathematica 1326.
Transſyluania 1069.
Tribechouius *Adam* 1343
Turenuius 692.
Turca a temporibus Maximiliani I. vicinior factus 1226.
-- ab eo imminens periculum

culum Comitiorum cunens p. 510. 511. 756.
Turcarum vaſrities 892.
Turcicum bellum 774. 1095. 1108. 1136.
Turſellinus *Horatius* 538. 1025.

V.

Vagetius *Henr.* 1468. ſq.
Valentia *Gregor.* de 107.
Valentinianus Imp. 345.
Valerianus Magnus 28. 36. 38. 474. 967. 981. 1061.
Valeſius *Henr.* 368. 375.
Vallenſis *Petrus.* 1093. 1094. 1098.
Vaninus *Iul. Caeſ.* 869. 1350.
Varga *Alph.* 763.
Vaſquius *Ferdin.* 350. 724.
Vaticinia P. Bartholomæi 793. ſqq.
Vbiquitas humanitatis Chriſti 502. ſq. 809.
Veielius *Elias* 653.
Veldthuſius *Lamb.* 1311.
Verjuſius *Ludou.* 1442.
- - - - *Anton.* 1446.
Vernulæus *Nic.* 539.
Veron *Franc.* 505.
de Verulamio *Baco Franc.* 395. 539. 909. 1059. 1066.
Vicariatus diuinus Pontificum 201. 207. 210. 259.
-- Imperii Rhenenſis 222. 224. 1034. ſq.
-- Baůaricus 225. 229. 230. 239. 255.
-- Palatini auctoritas 224. 225. 296. 302. 439. 441. ſq.
Vicedeatus Papalis 107. 358. 563. 568. 594. 603. 612. ſq. 640. 686.
Vigil *Chriſtian.* quis? 1424. 1426.
Vigorius *Simeon.* 715.
Victorius *Petrus* 1470.
Vincentius Lerinenſis 547. 679. 683. 686. 700. 709. 719.
-- eius regularum infirmitas 553. 561. 610.
Viottus *Barthol.* 380. 536. 609. 623. 647. 653. 1045. 1054.
Virgilius MSS. Florent. 912.
Viſiones ſuſpectæ 1366.
Vitrum voce humana perfractum 1350.

Vlembergius *Caſp.* p. 435.
Vlicouius 1260. 1262.
Vlphilæ Euangelia 1003.
Vmſtadienſe negotium 1035.
Vnionis opus? 499. ſqq.
Voet *Paulus* 460. 500.
Voetius *Giſbertus* 337. 395. 810. 814. 1311.
Vogelſang *Theod.* 1318.
Voglerus *Valent. Henr.* 24. 29. 388. 396. 541. 954. 974. 991. 1286. 1291. 1327. 1331.
Volmarus *Iſ.* 972. 976.
Voluminis ſignificatio 1038. 1072.
Voluſius *Adolph. Gotfr.* 817. 845. ſq. 934.
a Vorburg *Io. Phil.* 64. 87. ſq. 101. 125. 129. 130. 164. 173. 241. 304. 333. 344. 356. 418. 431. 607. 627. 848.
Vorburgius *Franc. Io. Wolfg.* 633. 726. 844.
Vorſtius *Io.* 953.
Voſſius *Gerh. Io.* 15. 17. 264. 431. 1080.
Voſſius *Dionyſ.* 748.
Voſſius *Iſaac.* 13. 394. ſq. 620. 739. ſqq. 855. 869. ſq. 873. 878. 909. 1192. 1346. 1350.
-- ex Chriſtinæ Reginæ Sued. bibliotheca prædam egit 1002. 1019.
-- Hagæ Comitis ædes magnificas exſtruxit 1308. 1315.
Vrbanus IIX. Papa 77.
Vrſpergenſis Abbas 1447. 1449 - 1453.
Vſſerius *Iac.* 396. 1309.
Vulgata Latina verſio Bibliorum 878.

W.

Wadingus *Petrus* 810.
Waddingus *Lucas* 1370.
Wagenſeil *Io. Chriſtoph.* 461. 1464.
Walæus *Ant.* 746.
a Walenburch *Adr.* et *Pet.* fratres 40. 49. 545. 639. 653. 662. 672. 683. 711. 718. 723. 725. 731. 776. 800. 809. ſq. 817. 819. 828. 836. 846. 880. 925.
-- horum patria 968. ſq. notantur 933. 993. 1104. 1109.
Wallendorfius 559. 560. 567. 576. 597. 602. 506. ſqq. 637. 650. 569. 736.
Waltonus *Brianus* 1042.

Wan-

Wangnereccius *Henr.* p. 707. 729. 752. ſq. 760. 771. 779. 802. 805. 812. 819. 835. 929. 934. 961.
Wangnereck *Simon* 771.
Waradinum 655. ſq. 849. 1069. 1075.
Waſmuth *Matthias* 1343. 1189.
Waſſenbergius *Eucrb.* 1041.
Webb *Io.* 1310.
Weichbildici iuris Codex 1413.
Wedderkopf *Magnus* 1346.
Weigelius *Eberh.* 405.
Weizius *Io.* 1302.
Wendrockius 1141. ſq.
Wernigeroda 888.
Wicelius *Georg.* 68. 202. 207. 317. 505. 714. 818. 834.
Wicquefort *Abrah.* 1308.
Wielopolſki 1259.
Wildfangus 467.
Willegiſus 135.
Willerſhuſius *Henr. Inl.* 362.
de Windiſchgrätz Comes 1483.
Wiſſowatius *Andr.* 1319.
Witte *Otto Io.* Procancellarius Hanouerae 1284 ſq. 1288 1279. ſq. 1327. Legatus Brunſuic. Francofurti 314.
de Witte *Cornelius* 1305.
de Wittenum 1308.
Wizendorf *Guil.* 619.
Wolf *Frid. Ladiſl.* vide a Ludinghauſen.
de Wolzogen *Ludou.* 1311. 1317. 1319.
Wrangelius *Guſtau.* 880. 886. 888. 895. 899.

X.

Xenophon 463. 475.

Z.

Ziegler *Caſp.* 1193. 1332.
Zoncheus *Rich.* 131. 343. 390 460 816. 874. 991.
Zwickerus *Dan.* 1315. ſq.

ERRATA.

p. 42. not. pro Theologiae leg. *Antiquitatum.*

p. 74. l. 7. pro 1553. --- *1653.*

p. 613. l. 4. pro inenarrabilitate leg. *inerrabilitate.*

MAG 201A97